Vol. 4 2nd. Ed.

A. XXXIV
18/5

3 vols

AA 2600

part V missing

ARW.
9/3/54

2 leaves
269 pp
[illegible]

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b3041295x_0002

JO. FRANCISCI SCARDONÆ RHODIGINI

APHORISMI DE COGNOSCENDIS ET CURANDIS MORBIS

Uberrimis commentariis, atque animadverſionibus illuſtrati,

Quibus quæſtiones ſingulæ, quæ cum in theoriam, tum in praxim medicam cadunt, hodie maxime illuſtres, ſedulo pertractantur, diſcutiunturque.

EDITIO SECUNDA

LIBER QUARTUS.

De Febribus in genere, & in ſpecie.



PATAVII, Typis Seminarii, MDCCLIV.
Apud Joannem Manfrè.
SUPERIORUM PERMISSU, & PRIVILEGIO.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

INDEX CAPITUM

Quæ in hoc Volumine continentur.

I. De Febribus in genere. 1
II. De Febribus in ſpecie, de Ephemera, & Synocho ſimplici. 53
III. De Synocho putri, & Cauſo, ſeu febre ardente. 75
IV. De Febre Hectica. 97
V. De Febribus intermittentibus in genere 113
VI. De Febribus intermittentibus in ſpecie, quotidianis, tertianis, quartanis. 145
VII. De Febribus periodicis continuis, nempe, quotidianis, tertianis, quartanis, hemitritæo. 172
VIII. De febribus malignis, contagioſis, peſtilentibus, & peſte. 201
IX. De Febre Varioloſa, & Morbilloſa. 225

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. Fr. Paolo Tomaſo Manuelli Inquiſitore Generale del Sant' Offizio di Venezia*, nel Libro intitolato: *Aphoriſmi de Cognoſcendis, & Curandis Morbis &c. Scriptore Jo. Franciſco Scardona Rhodigino;* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Giovanni Manfrè Stampatore di Venezia*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 15. Maggio 1753.

(*Gio: Emo Proc. Rif.*

(*Barbon Moroſini Proc. Rif.*

(*Alviſe Mocenigo IV. Cav. Proc. Rif.*

Regiſtrato in Libro a Carte *9.* al num. *60.*

Gio: Girolamo Zuccato Segr.

Adì 19. Maggio 1753.

Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſſimo degli Eſecutori contro la Beſtemmia.

Alviſe Legrenzi Segr.

DE

APHORISMI
DE COGNOSCENDIS, ET CURANDIS FEBRIBUS
LIBER QUARTUS
CAPUT I.
De Febribus in genere.

I. SI febrem communiſſimum, ſæviſſimumque morbum eſſe dicam, mox ſalutarem, garrire forſitan, & ſomnia narrare nonnullis videar. Mirum autem id ipſum eſſe, quod febrem claram facit.

II. Si definitionem traditurus ab inveſtigatione earum affectionum, quæ febris maxime propriæ ſunt, exordiar, neque ingenio vela me dare velle alii facile intelligent, nec ejus ætiologiam, ac cauſas arbitrio, & voluntate dimetiri.

III. Ea autem ſunt fere pulſus celer, & frequens conjunctus interdum cum frigore, horrore, rigoreque, cui calor ſuccedit, vel cum perpetuo frigore, vel perpetuo calore, vel caloris, & frigoris inſultibus alternis vel aliarum partium frigore, aliarum calore, vel frigore, & calore in una eademque parte.

IV. Horum ſymptomatum cauſam proximam & continentem non aliam

eſſe, quam circulationem ſanguinis vel nimis velocem, vel nimis tardam, vel partim nimis velocem, partim tardam facile conſtitui, cum probe noverim calorem naturalem a naturali ſanguinis circulatione pendere atque eumdem etiam in naturali ſtatu diſpari velocitate moveri, & ubi pars aliqua ſanguinis ob quamvis cauſam ſegniter movetur in quibuſdam vaſis, anſam præbere aliæ parti ſanguinis ad celerius fluendum in aliis, & contra.

V. Remote velocior cordis, & arteriarum contractio conjuncta 1. cum ſanguine, craſſo, viſcido, & lento, cujus craſſitiem, viſciditatem, & lentorem ſolvere poſſit, vel contra cum ſanguine, cujus lentorem ſolvere nullo modo poſſit, vel ubi jam ſolutus ſit in priſtinum ſtatum reſtituatur: 2. conjuncta cum ſanguine naturaliter fluido, aut fluidiori naturali concinne, atque ordinate ventriculos cordis ingrediente; 3. demum cum ſanguine partim craſſo, partim fluido, iiſdem producendis opportuniſſima exiſtit.

VI. Sequitur hinc concitatus ſpirituum animalium motus, qui concinnus tamen ſit, & ordinatus. Secus enim omnium muſculorum convulſio continget.

VII. Demum omnia ea quæ 1. in ſpiritus proxime ſæviunt, cujuſmodi ſunt graviora animi pathemata, & effluvia maligna, ac deleteria per œſophagum, pulmones, & poros cutis intus penetrantia: 2. quæ remote, ſeu fluidorum, ſolidorumque vitia inſignia.

VIII. His ita ſtatutis an inauditum quidpiam proferam, ſi dicam: Febris eſt perturbata ſanguinis circulatio œconomiam Animalis pervertens, orta a velociore cordis, & arteriarum contractione conjuncta cum variis ſanguinis conſtitutionibus, ob auctum ſpirituum animalium motum, ab inſueta vi præſentis ſtimuli excitatum?

IX. Nemo dixerit, qui cauſam proximam ſedulo perpendat, quam partim ab Archibaldo Pitcarnio, qui febrem in circulatione ſanguinis per æqualia temporis intervalla æqualiter aucta conſtituit, partim a Jacobo Sylvio, qui a circulatione ſanguinis nimis ſegni, & tarda repetit, depromptam viderit.

X. Si Pitcarnius animadvertiſſet quanti facienda ſit Galenicorum ſententia, qui putant proximam febris cauſam eſſe calorem in univerſum corpus diffuſum, cum quibus fere conſentit, in quas propterea incidat difficultates, quæ contra Galenicos afferri ſolent, quaſque contradictiones involvat, Algidam febrem excludens, vel eamdem ab aucta ſanguinis circulatione repetens, nec non ſigna morbi febri adhærentis tradens, procul dubio tantus ingenio vir auctam ſanguinis circulationem unicam febris cauſam minime conſtituiſſet.

XI. Neque Jacobus Sylvius ſuam illam nimis ſegnem, & tardam pro unica febris cauſa habuiſſet, ſi ſedulo perpendiſſet, quot ſunt febres, in quibus ſanguis nimia velocitate movetur, vel in ſtatu & vigore ſolum, vel ſemper, & quibus remediis iiſdem occurratur, & quam aleæ plenum ſit

ſit omnia febris ſymptomata viſcido, coactoque ſanguine, atque hinc prodeunte prȩternaturali fermentatione explicare.

XII. Si de remota cauſa ſermo ſit grates habendæ Hermano Boerhaavio, qui Borelli doctrinam illuſtrans eamdem nobis contemplandam exhibuit. Mirum & ipſum eam tamquam proximam agnoviſſe, cum remota tantum eſſe poſſit.

XIII. Quid pro ſpiritibus Animalibus animadverſione dignum non protulit Mortonus? Quam eſſet optandum, ut in his quacumque demum ratione affectis remotiorem tantum cauſam agnoviſſet, quæ licet tertio loco poſita, tamquam princeps eſt reſpicienda.

XIV. Remotiſſimas tandem mirum dictu omnis ævi Medicos attigiſſe, A. Veteres putredine illa ſua; quam ad corruptionem ſanguinis per coagulationem, vel per diſſolutionem, vel coagulationem ſimul, & diſſolutionem apte referas. B. Bellinum vitio illo ſuo ſanguinis in quantitate, qualitate, motu; plethora ſcilicet vera, vel apparente, vel e contra inanitate, craſſitie, viſciditate, & lentore, vel tenuitate, ac fluiditate nimia, & fuſione: acrimonia ſive acida ſive alchalica, ſive ſalſa; aucto demum ſanguinis motu, vel diminuto, vel perturbato. C. Williſium, & Chymicos fermentatione, vel ſi libet aucto motu inteſtino, & progreſſivo ſanguinis, qui nonnullis fermentationis nomine venit. D. Mazinum ſuo illo motu aſymmetro elementorum maſſæ ſanguinis. E. Franciſcum De le boe, Sylvium ſua ſucci pancreatici cum bile atque pituita effervescentia. F. Borellum ſua illa obſtructione glandularum. G. Vetuſtiſſimum Dioclem Solidorum inflammatione, abſceſſu, ulcere. H. Hoffmanum ſpaſmodica univerſi generis nervoſi, & vaſculoſi affectione: quæ omnia in ſpiritus agunt eos remote concitando, & compellendo.

COMMENTARIA, ATQUE ANIMADVERSIONES IN APHORISMOS

DE COGNOSCENDIS, & CURANDIS FEBRIBUS

LIBER IV.

CAPUT I.

1. SI *febrem communiſſimum , ſæviſſimumque morbum eſſe dicam , mox ſalutarem* &c.

Qui ſalebroſam , abſtruſam , & innumeris fere Philoſophorum , Medicorumque inter ſe diſcrepantibus ſpeculationum commentis, & hypoteſibus ſuperſtructam febrium provinciam aggrediuntur, ab inveſtigatione nominis, ejuſque naturæ plerunque initium ducere ſolent . Hinc febris nomen alii a verbo ferbeo, ideſt ferveo, & efferveſco derivatum volunt: Quæ enim Latinis febris, Græcis πυρετός, & Hippocrati πῦρ, ignis , ut notat Galenus (*a*) appellatur, præſertim ſi vehementia ſua ad igneam caliditatem accedat . Alii e contra a februo , ideſt expio, & expurgo derivatum volunt: ut enim a dolendo, & ferventibus flammis februa celebrantur, ſic febrilis caloris fervore ſanguinis, & humorum vitia expurgantur . Si quis velit ab utroque, ei licet: dummodo per igneam naturam id potiſſimum intelligat, quod ignis inſtar , aut ſævius eodem totum hominem, animam, & mentem extorqueat, quod vel iis accidere videmus , qui Algida febre laborabant , ut infra dicemus, vel frigore , horrore, rigoreque , aliiſque graviſſimis ſymptomatis inter initia febrium plerunque exercentur. Præterquam enim quod communiſſimus morbus eſt febris, & omnes homines ex æquo abripit , cujuſcumque ſint ætatis , ſexus, & temperamenti , quocumque ſub cęlo vivant , ut ajebat Cajus Mæcenas & quocumque etiam victu , & vitæ regimine utantur , illud etiam accedit non raro Epidemice graſſari , & in mortis diſcrimine prope certiſſimo conſtituere , & quamplurimis aliis paſſionibus adjunctam , cachexiæ videlicet , ſcorbuto, phthiſi, lui venereæ, hydropi , hæmorrhagiæ , capitis dolori , cranii fracturis , contuſionibus, arthritidi , aliiſque pęne innumerisis eaſdem periculi plenas facere ſævioreſque, unde tritum illud invaluit: Neminem ſine febri mori. Quid de iis morbis referam , qui febre accenſa concitato motu cordis , ut pravi , & incongrui humores maſſam ſanguinis conſpurcantes extra corporis confinia educantur proficiſcuntur . Nonne vitio naturæ ſtagnantibus iiſdem in Cerebro Apoplexiæ , Epilepſiæ; in corde, aut Pulmonibus palpitationes, ſyncopes, aſthmata , tubercula ; in Ventriculo cardialgiæ , vomitus, in Inteſtinis diarrhœæ, dyſenteriæ, dolores colici, iliaci ; in Hepate , Meſenterio , obſtructiones , hydrops; in glandulis cutaneis lepra, ſcabies, elephantiaſis, exanthemata , variolæ , morbilli , puſtulæ, aliaque fere infinita mala enaſcuntur ? Quamquam provida naturæ beneficentia effectum eſt , ut quæ graviſſimorum morborum cauſa fuerit multorum quoque , quos

(*a*) *com. in* 1. *epid.*

quos medicamenta non ſanant, ſit medicina. Et ſane febrili motu univerſo corpore concuſſo crudi, lentique humores atteruntur, attenuantur, coquuntur, & repurgantur, & qua data porta extra corpus eliminantur. Ejuſmodi ſunt Epilepſiæ, Apoplexiæ, Paralyſes, Convulſiones, Arthritides, morbique in primis omnes, qui appellantur chronici, & lenta ipſa febris, aliique ab Hippocrate memorati plurimis in locis (*b*) quorum magnam partem collegit Celſus agens de illis notis, quæ in quoque morbi genere, vel ſpem, vel pericula oſtendunt: cujuſmodi ſunt præcordiorum, & jecinoris dolores ſine inflammatione, nervorum diſtenſio, & rigor, difficultas urinæ, aliaque id genus. Hinc optime febrim interdum excitandam eſſe data ope tradiderunt Hippocrates, & Galenus, & jure Crato apud Celſum, & Galenum vinum iis potandum exhibebat, qui lenta febre tenebantur, ut magna ſuperveniente, felici eventu eadem deleretur. Quid de congenitis, & hæreditariis morbis dicam, quos ſola febris radicitus evellit? quid de detrimentis ineuntis ætatis, quæ longioris adoleſcentiæ fructus ſarcit? quid de ſenum imbecillitate, quos mirifice recreat, confirmat? quid de corporis languore, cui venuſtatem conciliat, & robur? Quibus fere rationibus permotum Cl. Hoffmannum minus mirari ſubit ad conſcribendam diſſertationem *de febrium ſalubritate* excitatum fuiſſe, ac virum præſtantiſſimum Sydenhamium febrem non aliud definiviſſe, quam *naturæ conatum materiæ morbificæ exterminationem in ægri ſalutem molientis*; ac Campanellam *bellum naturæ dixiſſe adverſus cauſas morborum, quas omnino edomat, niſi invita corporis deſtitutio naturæ conatus irritos, & inanes faciat*. Apte cadit in hunc locum, quod tradunt fere rerum Scriptores, Antiquiores homines pervidentes febrem pernicioſiſſimum eſſe morbum, neſcienteſque ad quoddam cauſarum genus referrent, Numen finxiſſe, ideoque templa ipſi dicaſſe nomine Febronæ ſæviſſimi Numinis, cui trepido metu ſacra faciebant, ut placaretur, ut Plinius teſtatur (*c*). Hinc forte νόσους Heſiodi ex Pandoræ pyxide elapſos febres ſimpliciter vocaſſe Horatium dicentem:

Poſt ignem ætherea domo
Subductum, Macies, & nova Febrium
Terris incubuit cohors.

egregie adnotavit celeberr. Gerardus Wan-Svvieten Cæſareus Archiater, ac præclariſſimi Hermanni Boerhaavii Interpres eruditiſſimus (*d*). Qui cultus, atque obſervantia ſucceſſu temporis florentibus Hippocrate, & Aſclepiade altiori voce damnata fuit ab iis qui pervidentes emolumenta, quæ interdum ex febre in homines emanare ſolent, beneficum Numen eſſe dixerunt, & ob id potiſſimum in templis ſacra facienda: ſtulte quidem, ut ait Cicero, ſapienter tamen, ſignificantes interdum pernicioſiſſimum eſſe morbum, interdum vero ejus vim, & utilitatem eſſe tantam, proficuam adeo, & ſalutarem, ut non morbus, ſed morborum domitrix appellari jure merito poſſit, quod erat nobis demonſtrandum.

II. *Si definitionem traditurus ab inveſtigatione earum affectionum, quæ febris maxime propriæ ſunt* &c. Si febris natura vera, ac genuina hactenus a Medicis, qui in ejus inquiſitione nervos induſtriæ omnes intenderunt, ſatis explorata non fuit, ob id potiſſimum eveniſſe facile judicaverim, quod in tanta opinionum varietate, ea quæ perſpicua videntur, & minus incerta ab incertis, atque obſcuris minime ſepararunt, atque optimum illud hac in re ſolertiſſimorum Philoſophorum conſilium aſſequuti non ſunt, qui monent cum rei cujuſpiam naturam inveſtigamus, omni diligentia, atque animi contentione inquirendum eſſe, quæ inter omnes

(*b*) *Aphor.* 42. *ſect.* 2. *De morb. lib.* 1. *cap.* 7. *Aph.* 5. *ſect.* 5. *De morb. lib.* 1. *cap.* 4. *Epidem. lib.* 1.

(*c*) *Hiſtor. natur. lib.* 3. *cap.* 7.

(*d*) *Com. in aph. Boer.* 558.

mnes rei affectiones ab ipſa poſſint ſecerni, quæ vero non poſſint; in his poſtremis jam fortaſſe requiri, in quo rei natura ſit conſtituta. Hæc vero ut erui commode poſſit, pervidendum nobis eſſe, utrum aliqua ex his affectionibus, quæ a ſe ſeparari non poſſunt ejuſmodi ſint, ut reliquæ ab ipſa quaſi rivulus a fonte emanent, cumque eam aſſequimur, rem totam, & reliqua, quæ ad ipſam ſpectant, aſſequamur: hanc enim ubi invenerimus, minime dubitandum eſſe, quid pro quæſita rei natura ſit habenda. Id quod facere, licet difficultatis, ac periculi pleniſſimum noverim, præclariſſimi tamen Boerhaavii præeunte exemplo, ingenioli mei vires tentare auſi, atque ex omnibus affectionibus, quibus febris ſtipatur, eas ſeligendas eſſe conſtitui, quæ cum omni febre, cum ſola, & ſemper conjunctæ ſunt, quaſque cum in homine percipio, febricitare eumdem, cum vero abeſſe video, hominem a febre immunem eſſe certo certius affirmo. Quod fere per ea verba expreſſi: *earum affectionum, quæ febris maxime propriæ ſunt*: quodque plerique Medicorum non præſtitere, ut mox videbimus.

III. *Ea autem ſunt fere pulſus celer, & frequens conjunctus interdum cum frigore, horrore* &c. Nimirum communi Medicorum conſenſu ſtatutum eſt, unum eſſe maxime proprium, & inſeparabile febris ſignum, quo ſolo præſente de febris exiſtentia certum judicium ferri poſſit. In eo tamen aſſignando orta litigia. Alii enim frigoris ſenſum, horrorem, rigoremque volunt, & hæc quidem varia gradu pro morbi, & ſubjectorum diverſitate, cui calor ſuccedit, & ipſe varius, ut varia ſunt febris gradus, & tempus, ſubjecta item, & cauſæ: alii calorem tantum: alii demum pulſum naturali frequentiorem ceteris proprietatibus, quæ & ſenſibus obviæ ſunt, & a Medicis colliguntur ad ferendum judicium de febre facile anteponendum eſſe ſuſtinent. Hæ ſunt celebriores Auctorum opiniones. Reliquum modo eſt, ut mentem noſtram aperiamus. Si de frigore, horrore, rigoreque ſermo ſit, fateri oportet, multas quidem eſſe febres, quæ hiſce affectionibus comitatæ incipiunt, ſed illud etiam tenere neceſſum eſt, non paucas eſſe, quæ nullo prægreſſo frigore, invadunt cum caloris ſenſu, nec non alios eſſe caſus, in quibus friget univerſum corpus præter febris initia. Qui Rheumatiſmo, qui malo Hypochondriaco tenentur, algent: algent qui diuturnis tenentur morbis: algent demum eadem fere ratione, qua ſolent febrientes Melancholici, ut diligens obſervator Sydenhamius animadvertit. Præter quam quod non quovis tempore febris obſervatur eadem, ut notat egregie Boerhaavius, ſed inter initia tantum, & ſi forte diu protrahantur, febrem non prius deſinere, quam ægri intenſiſſimo calore torqueantur. Calorem modo contemplemur. Sed antea nonnulla circa Veterum doctrinam exploremus. In calida nempe totius corporis intemperie febris naturam Veteres unanimi conſenſu poſuerunt. Cum enim vitalis calor juxta ipſos a corde in omnes partes emanet, ſi forte in ipſis calor quidam præternaturam accendatur, iſque diffundatur in totum corpus, naturali partium temperiei additus exceſſum quemdam caloris efficiet, atque intemperiem calidam ſuſcitabit in toto corpore, quæ febris nominatur: propterea febris a Sennerto ex illorum ſententia non aliud definitur, quam *intemperies calida totius corporis a calore præter naturam in corde accenſo, & mediantibus ſpiritibus, & ſanguine per venas, & arterias in totum corpus diffuſo ortum habens, functioneſque naturales lædens*. Modo huncce eumdem calorem ſignum pathognomonicum febris auſi ſunt pronuntiare. Verum hanc Veterum doctrinam redarguunt in primis obſervationes febrium, in quibus non calor, ſed frigus potius, & algor percipitur: Ejuſmodi ſunt Algidæ, Caſtrenſes, Syncopales, Lacteę, & Lentæ omnes, & Malignæ nullo infeſto calore ægris moleſtæ, ut Hippocrates, Avicennas, Helmontius, Franciſcus De le boe Sylvius, aliique commemorant. Quibus rarius addi poteſt exemplum tertianæ febris, in qua frigori, & horrori non calor, uti fieri ſolet, ſed acerbiſſimi dolores totum corpus excruciantes ſuccedebant, ut Cl. Et-

mul-

mulierus teſtatus eſt. At hiſce etiam omiſſis non ita certe rarum eſt morbos dari quoſdam, qui cum moleſto calore conjunguntur, licet febris non adſit: Nonne Maniaci febre carentes adeo incaleſcunt, ut vel intenſiſſimum frigus tolerent? nonne qui temperamento donantur bilioſo, nocturno præſertim tempore calore æſtuant, licet febre non afficiantur? Hoc demum uno ſatis oppugnari poſſe videtur opinio; quod cum frigore pleræque febres adoriuntur, intermittentes omnes, & nonnullæ etiam continuæ, & tunc ſolum calor ſe prodit, cum jam orta eſt febris. Sed jam facile conijcio non defuturos, quibus hæc differendi ratio diſpliceat, iis præſertim, qui cum proximam febris cauſam in calore ponant per univerſum corpus diffuſo, ut ab hac difficultate ſe expediant, frigus, horrorem, rigoremque non verum initium febris eſſe dicunt, ſed neſcio quid adveniens ante acceſſionem febris: atque hinc nullam dari Algidam febrem putant, atque initium febris cum calore ſemper conjungi, perinde ac ſi febris initium non ſit febris ipſa, & ſi forte contingat, ut ægri tunc cum frigore, quod magnam paroxyſmorum partem occupat, torquentur, pereant, non febre pereant, ſed frigore, quod plane ridiculum eſt. Cum his fere conſentit Archibaldus Pitcarnius, qui propterea eiſdem fere rationum momentis refelli poteſt. Sed de hoc erit infra dicendi locus. Illud interim, cum proprium febris criterium, & pathognomonicum ſignum conſtituant ea, quæ omni febri, & ſemper, quin etiam ſoli conveniant, illud citra ullius erroris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur, neque frigus, horrorem, rigoremque, neque calorem, cum neque omnibus febribus, neque ſemper, neque ſolis conveniant, pro eodem haberi nulla ratione poſſe, ut egregie adnotavit Boerhaavius. Eritne pulſus naturali frequentior, ut ipſe præſtantiſſimus vir, (*e*) De le boe Sylvium, (*f*) & Alphonſum Borellum (*g*) hac in re ſequutus, exiſtimavit? Niſi aliud magis ſententiæ officeret, quam id quod a nonnullis opponitur, in primis ab Avicenna, (*h*) qui dari aſſerit quaſdam febres, in quibus pulſus non alteratur, immo in principio febris phlegmaticæ, & Syncopalis pulſum eſſe rariorem, me ne vel minimum quidem moverent, quominus eam pugnaciſſime ſuſtinerem. Quod enim de alteratione pulſus dicitur ab Avicenna, nolim ejus defenſionem ita ſuſcipias, ut neges aperte nulla ratione a naturali diſcedere. Nullam enim alterationem patietur, ſi magnitudinem reſpicias, duritiem, robur, aliaſque ejuſmodi proprietates. At niſi frequentiam excipias, vereor, ne pulſuum illa mutatio, quam adnotavit Galenus (*i*), & quam confirmavit Sennertus (*k*), quæ videlicet adeo exigua eſt, ut cum pro nulla fere haberi poſſit, facile quoque Medicos decipiat, te quoque in fraudem inducat. Si de rariore pulſu febris phlegmaticæ, ut Avicennas putat, ſermo ſit, quis credat de raritate abſoluta, non reſpectiva, loquutum fuiſſe; ideoque pulſum eſſe naturali frequentiorem? Si de Syncopalis febris pulſu loqui velimus, eo quod debilis, & imbecillis ſit, rarior videtur naturali, frequentiorem tamen eſſe Cælius Aurelianus (*l*) animadvertit. Ad hæc adde, quod pulſus frequentia omni febris tempore adeſt, ita ut pulſus initio parvus, ſæpe & debilis ſit, ſemper vero frequens obſervetur, non ita quidem ut in febris augmento, & ſtatu ſed tamen magis frequens, quam naturaliter eſſe ſoleat: frequentior enim fit, quo magis augetur febris. Verum enimvero cum probe noverim multos eſſe morbos, qui pulſum naturali frequentiorem coniunctum habent, febrim non habent, dempta mihi omnis ſuſpicio non eſt, eumdem pro maxime proprio, & pa-

tho-

(*e*) *De feb. in genere* 5. 570: (*f*) *Diſputat. Med. prax. Med. lib.* 1. *cap.* 27. (*g*) *De motu Animal. cap.* 2. *prop* 225.
(*h*) *Prim. f.* 4. *can. cap.* 4.
(*i*) *Lib.* 3. *de præſag. pulſ. cap.* 3.
(*k*) *Lib.* 4. *cap.* 10. *de febr. peſtil.*
(*l*) *Acut. morb. lib.* 2. *cap.* 32.

thognomonico febris ſigno haberi poſſe. Ejuſmodi ſunt palpitatio cordis, polypus aneuryſma, aliaque organica præcordiorum vitia quæ cum ſedem ſuam agnoſcant in parte prope cor ſita, pulſum quidem celerem efficiunt, non eum tamen velociorem ſanguinis motum, ejuſque rareſcentiam efficient, qua opus eſt ad febrilem calorem excitandum, qui in aliis obſervatur, ut currentes ſilentio prætercam, & qui magnis exercitationibus corpus exagitant, qui gaudio ſummo, aut ira, qui mærore inſigni, ac timore, aliiſque ſimilibus pathematibus afficiuntur, pulſus frequentia corripi, febre non corripi, niſi iſtorum vehementia, & diuturnitas tanta ſit, ut velocitas naturalis ſanguinis augeatur non ſolum, ſed aucta diutius permaneat. Quapropter ut pulſus naturali frequentior ſignum inſeparabile febris dici poſſet, oporteret talem diu permanentem concipere citra ullius externæ cauſæ concurſum, atque præſentiam morborum organicorum cordis, & arteriarum, quæ impedimento ſunt, quominus circulationem ſanguinis pervertat. Quibus conditionibus cum decipi facile Medicus poſſit aut dubius ancepſque animo hærere, luce clarius apparet ſignum maxime proprium, & pathognomonicum, quod competat omni, ſoli, & ſemper non aliunde deſumendum eſſe, quam a colectione, ſeu, ut ajunt, ſyndrome quadam affectionum, quæ ſi non ſeorſim ſingula, ſed omnes vel pleræque earum ſimul ſpectentur, certum de febris exiſtentia poſſumus judicium ferre. Hanc autem ſyndromem conſtituunt præter pulſus celeritatem, & frequentiam quæ omnibus febribus competit, & ſemper, & cum allatis conditionibus etiam ſoli, modo frigus, horror, & rigor, cui calor ſuccedit, modo perpetuum frigus, modo perpetuus calor, aliaque ſupra recenſita ſymptomata, quæ omnia non omnibus quidem febribus, ſed alia in aliis varia pro varia febris indole percipiuntur.

IV. *Horum ſymptomatum cauſam proximam, & continentem non aliam eſſe, quam circulationem ſanguinis vel nimis velocem* &c. Ubi earum affectionum, quæ proprium febrium criterium, ſeu pathognomonicum ſignum conſtituunt, cauſas invenerimus, jam confecta res. Quænam ſint cauſæ febris facili negotio intelligemus. Cum enim a febre ſejungi nulla ratione poſſint, ſeu febris nil aliud ſit, quam collectio ſymptomatum, & affectionum, quibus eadem ab aliis morbis diſtinguitur, conſequens eſt, ut cum iſtarum cauſas aſſequimur, & febris cauſas ſimus aſſequuti. Id autem facere aleæ plenum opus eſt, ac diſcriminis. Cum enim præſtantiſſimi omnis ævi Medici in iis inquirendis omni ſtudio, omnique animi contentione incubuerint, mira res videtur nondum nobis probe cognitas eſſe planeque perſpectas. Quod non aliunde, ſi quid in re ardua, ac perdifficili ſentio fe repetendum traderem, quam ex altero Medicorum vitio, qui ad multiplices, uti cæterorum morborum, ita etiam febrium cauſas minime attendentes, ne ſuum quidem unicuique locum tribuerunt. Hinc everſus earum ordo, quem in rerum obſcurarum inveſtigatione ſervare non ſolum apprime utile, ſed pernecesſarium eſſe jam docuit Galenus (*m*) hinc orta confuſio, quæ claram earum notitiam ſummopere retardavit. Utrum hac in re aliorum morem ſequutus ſim, viderint alii. A proxima certe & immediata initium duxi, eamque non aliam eſſe; quam circulationem ſanguinis vel nimis velocem, vel nimis tardam, vel partim nimis velocem, partim nimis tardam conſtitui, animadvertens potiſſimum illam eſſe, a qua omnes affectiones, & proprietates, quæ proprium febris criterium conſtituunt proxime, & immediate, tamquam rivulus a fonte emanant, ut infra oſtendemus.

Cum probe noverim calorem naturalem a naturali ſanguinis circulatione pendere &c.) Ad hujuſce rei ſtatum melius intelligendum inveſtigare primum operæ pretium eſſe duxerim, undenam calor naturalis proficiſcatur. Qua in re quidem non

(*m*) *lib. de ſymptom. differ.*

non Antiquorum doctrinas ſectabimur, qui in explicatione ſui illius calidi innati caloriſque nativi ideas ſibi efformarunt ea obſcuritate laborantes, ut quo magis iis operam naves, eo fere indoctior evadas, ſed Recentiorum Philoſophorum, qui eſſentiam caloris, quam Veteres generaliter non conceperunt in motu fere poſuerunt. Et ſane experientia compertum eſt calorem, vel eſſe ipſum dictum motum, vel ſaltem proximum ejus effectum. Videmus ſiquidem dum ſanguis incaleſcit floridum eſſe, dum calorem amittit, amittere etiam motum: in vaſe quieſcentem motu ſenſim ſenſimque privari, frigeſcere, figi, condenſari, & in partes inter ſe diverſas ſecedere: quæ omnia adeo perbelle evincunt, calorem naturalem ſanguinis in motu conſiſtere, ut nullus ſuperſit ambigendi locus: atque eo quidem motu, qui neque a fermentatione oriundus ſit, ut quidam cum Chymicis voluerunt, quę a veritate alieniſſima eſt, ut infra dicemus, neque accenſionis, & inflammabilitatis, quæ in ſanguine aqueis particulis diluto, & in vaſis ſanguiferis teneris, flexilibuſque membranis obvolutis, neque concipi poteſt, neque intelligi, ſed eo tantum, quem cordis contractione particulæ ſanguinem conſtituentes recipiunt, placido æquabilique, neque nimis veloci, neque nimis tardo. Cum enim ſanguis fluidum ſit compoſitum ex diverſis particulis craſſis, tenuibus, fluidis, ſolidis, ſalinis, ſulphureis, terreſtribus, volatilibus, aereis ſi libet, ut multi cum Liſtero ſunt opinati, aliiſque nobis fortaſſe ignotis, tum cum e Corde moderate pulſum primum in Aortæ latera impingitur, & tota fere ſua mole in curvaturam ejus incurrit, dum a figura, & elatere ejus, nec non a mole præcedentis ſanguinis retro premitur, dum in Aortæ ramos diſpergitur, canaleſque conicos elaſticos, varieque inflexos obicem offendit, dum incumbentium denique partium moderato elaterio, pondere, ac motu premitur, cuilibet ſanguinis particulæ quolibet momento temporis moderatum motum, niſum, rotationem, attritionem conciliari contingit, moderatam ſulphurearum, ac volatilium exſolutionem ſubſequi, atque hinc naturalem totius maſſæ fluiditatem, ac naturalem calorem exoriri.

Atque eumdem etiam in naturali ſtatu diſpari velocitate moveri.) Illud etiam ſcire oportet, utrum ſanguis in naturali ſtatu diſpari velocitate moveatur, an contra. Quo loco quæſtio occurrit. Si enim cl. Verheyenium audimus, qui cum obſervaſſet per ſingulas horas in homine ſano, & conſiſtentis Ætatis plus minus ter mille cordis pulſationes, unamque circiter unciam e quolibet cordis ventriculo ſingulis conſtrictionibus expedi poſſe, facile colligit ſingulis horis per cor tria millia unciarum ſanguinis circiter, quæ conſtituunt libras ducenas, & quinquaginta medicinales, quarum unaquæque unciis duodecim conſtat tranſire: unde dato in homine ſtaturæ mediocris contineri libras ſanguinis quindecim cum dimidia, totam ſanguinis maſſam plus decies ſexies in hora cor pertranſire conſtituit. Quam ſententiam quidquid aliis videatur nullatenus ſectari auſim, quoniam ut omni ex parte vera eſſet, aut ad veritatem ſaltem propius accederet, oporteret, ut omnes partes maſſam ſanguinis conſtituentes pari velocitate per vaſa ſanguifera moverentur. Quod jure negant alii cum Lanciſco: hinc fieri quidem poſſe reputatur, ut libræ circiter quindecim plus decies ſexies ſingulis horis juxta Verheyenii calculum per cor pertranſeant, non vero tota maſſa ſanguinis, ut præclariſs. Lanciſius egregie demonſtravit, (*n*) qui datis etiam in homine bene conſtituto libris ſanguinis duabus, & viginti (quo loco lis occurrit ad eo parva, ut animadverſionem mereri non videatur) conjicienſque unaquaque cordis pulſatione, ſanguinem emitti duarum circiter unciarum copia, univerſam quidem ſanguinis molem plus decies ſexies cordis itinera ſingulis horis remetiri putat, quaſdam tamen partes bis tantum, aut ter. Niſi autem ſentias

(*n*) *Diſſert. Anat.* 2.

id evenire ex diſpari ſanguinis velocitate, ad meliores cauſas confugias neceſſe eſt. Nullus tamen dubito, quin in hanc aliis relictis opinionem iturus ſis, ſi illud vel leviter tantum mente volutaveris, ſanguinem humorem eſſe diverſis partibus conſtantem, quemadmodum apparere facile poteſt perpendenter ex Chylo ſucco maxime ætherogeneo oriri omnium partium nutritioni, ſuccorumque omnium ſecretioni deſtinatum, quarum rerum diverſitas fere eſt incredibilis, ſibique relictum in partes ſecedere inter ſe longe diverſas, ac demum deſtillationi commiſſum primum copioſum phlegma largiri, tum dein modicam liquoris acris portionem, auctoque gradatim igne liquorem tenuem fœtentem, mox nigrum, & fœtens oleum, tandem ſal fixum, & terram: quæ omnia adeo manifeſto evincunt, partes eumdem conſtituentes mole, figura, promptitudine ad motum diverſas eſſe oportere, alias videlicet craſſiores, alias tenues, quaſdam aſperas, leves alias, nonnullas rotundiores, ramoſas alias, has fluidas, & viſcidas, illas vero ſolidas, ideoque non omnes ab eadem vi cordis pari velocitate pelli, pari directione, ac conſtantia, ſed alias recta, alias oblique, quaſdam tardius velocius alias moveri, ut nihil ſit manifeſtius. Si tamen ſuſpicari non deſinas, explora quæſo varium partium ſitum, & diſtantiam a corde, nec non variam eorum ſtructuram: nullus enim dubito quin & diverſum quoque ſanguinis per eas fluentis motum conſtituas. Quę per vaſa pericardia, & coronaria moventur pari ne velocitate movebuntur cum iis, quæ ad caput aſcendunt, licet non procul a corde natura locaverit? Ecquis neſciat ita difficilem eſſe ſanguinis ad Cerebrum aſcenſum, ut ſi forte Cordis vis motrix non admodum ſit valida in ſitu erecto facile animi defectiones contingant? Dum horizontaliter decumbimus, & difficilem eſſe ejuſdem ſanguinis regreſſum ad cor manifeſta res eſt: hinc declivis capitis ſitus valde noxius, & ſummi diſcriminis plena res eſt moribundis pulvinaria ſubtrahere non ob aliam rationem, niſi quod difficiliore reddito ſanguinis ad Cor regreſſu, languidus ipſius cordis motus facile extinguitur. Partes ſanguinis quæ per Pulmones, aut Renes iter conficiunt contemplare: quam expedite ob reſpirationis vim, vel ob fortem vaſorum ſtructuram, vel amplitudinem, vel parvam a Corde diſtantiam conficiunt? Non eadem vero ratione promptus, & expeditus erit ſanguinis curſus in Hepate ob peculiarem vaſis advehentis ſtructuram, quod vena eſt arteriæ munus gerentis. Hinc ab hoc difficili tranſitu ſanguinis per venam Portæ ad Hepar ſtagnationes, infarctus, aliique innumeri morbi lenti, & chronici in viſceribus cum ea vena communicantibus proficiſcuntur. Quid quod retardato ſanguinis per eamdem venam progreſſu ex arteria meſeraica inferiore, novus ſanguis ad inteſtinum Colon, & Rectum delatus vaſa in extremis ani partibus ita diſtendat, ut interdum etiam diſrumpat, unde hæmorrhoidalis fluxus originem habet? Partes ſanguinis quæ per celluloſam Lienis ſtructuram moventur expende, & difficilem eſſe ſanguinis progreſſionem facile invenies: non ſecus ac in Omento, & Utero ob frequentes vaſorum plexus. Quæ ad extremas partes, ad pedes feruntur inſpice, ac difficillime ad Cor redire ob longiſſimum iter facile deprehendes, unde tam facile in imbecillioribus poſt graves morbos, tumores in ipſis contingere ſolent. Quid plura? Eademne velocitate moveri cenſeas partes quæ per axem feruntur, ac illæ quæ per latera, dum hæ tot affrictus remoraſque patiuntur, illæ vero nullum obicem offendentes circulum ſuum conficiunt? Ut ſilentio prætereeam alias partes ſanguinis per meatus glandulares, alias in interioribus corporis partibus moveri, alias per exteriora frigoris injuriis, atque aeris prementis ponderi ſubjecta: quæ omnia niſi te ad credendum vehementer adducunt ſanguinem in ſtatu naturali diſpari velocitate moveri Medici dignitate cadas, cum ejuſmodi ſint, ut lippis æque, ac tonſoribus nota ſint plus, quam ipſorum digiti, atque ungues. *Et ubi*

pars

pars aliqua ſanguinis ob quamvis cauſam ſegniter movetur in quibuſdam vaſis, anſam præbere &c. Si demum conſtet partem aliquam ſanguinis ſegniter motam in quibuſdam vaſis, anſam præbere alii parti ſanguinis ad velocius fluendum in aliis, & contra, nihil nobis negotii faceſſet explicatio omnium affectionum, & proprietatum, quæ proprium febris criterium, & ſignum pathognomaticum conſtituunt per ſolam perturbatam ſanguinis circulationem, quam proximam, & immediatam earumdem cauſam conſtituimus. Cur autem non conſtet exemplo præclariſſimo in ramis fluminis, aut in rivis in flumen tamquam in communem alveum influentibus? Obſtructis enim aliquot ejus ramis aquam majori vi, copia, & velocitate in non obſtructos exonerari videmus, aut aliquot obſtructis rivis, aquam ex aliis non obſtructis majore vi, copia, & velocitate in flumen influere, ac devolvi. Res eſt luce clarior. Rami arterias, rivi fluminis venas ad amuſſim æmulantur. Si igitur rami arteriarum obſtruantur, ſanguinem obicem offendentem ramorum, qui ſunt obſtructi, majore impetu, velocitate a trunco arteriæ influere in vicinos ramos contingit, qui obſtructi non ſunt, pleniorique flumine in eoſdem irruere; non ſecus ac ramis venarum in communem truncum influentibus obſtructis, ſanguinem minus impedimenti offendentem ad fluendum propter defectum ſanguinis, qui ex obſtructis ramis effluere nequit, majore velocitate ex non obſtructis ramis in eumdem communem truncum influere neceſſe eſt. Quod ſi ſanguis nimia velocitate fluat per ramos quoſdam arteriarum nonne ſingulis cordis pulſationibus plus ſanguinis arteriarum oſtia ingredi oportet, minus vero ingredi oſtia vicinarum, qui minore vi, ac momento præcedentem ſanguinem in iiſdem arteriis urget, & movet? Sanguinem hinc magna celeritate motum in quibuſdam ramis arteriarum cauſam eſſe, cur in aliis ſegniter moveatur adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. His ita ſtatutis propoſiti noſtri non pœniteat, & ſymptomatum explicationem aggrediamur. Jam vero cum ex hactenus dictis luce clarius appareat, calorem naturalem a naturali ſanguinis circulatione pendere, neque ſcilicet veloci nimis, neque nimis tarda, ecquis non videt aucta eadem, ac celeriore facta, calorem præternaturalem facile ſubſequi oportere? Dum nempe ſanguis niſu, vi, atque impetu in Cor truditur, Cor onere, & mole ſanguinis influentis preſſum, & dilatatum celeriter conſtringi contingit, hinc ſanguinem in Aortę latera, ejuſque ramos impelli, ac muſculorum, & partium corporis vaſa circumplectentium preſſione valida accedente, validos ictus pati, atteri præter modum, ac fundi, unde ſulphureæ, ac volatiles particulæ libertatem nactæ, ac per univerſum corpus diffuſę agitationem, furoremque inducunt, ac calorem. Quod ſi e contra ſanguis tarde admodum moveatur, lentum quoque, & ſegnem eſſe particularum eumdem conſtituentium motum, ac niſum neceſſe eſt, hinc earumdem rotationem, attritionemque præpediri penitus, aut plurimum ſaltem imminui, ſulphureas, ac volatiles ſalinarum, terreſtrium, fixiorumque copia coerceri, hinc nullam non modo agitationem, caloremque excitari, ſed contrariam omnino affectionem, frigus nempe exoriri. Ex his illud tecto colligi poſſe videtur, cum ſanguis in quibuſdam febribus inter initia nimia tarditate movetur, in ſtatu vero nimia velocitate, frigus primum; dein calorem exoriri: cum omni febris tempore nimia tarditate movetur, perpetuum frigus, cum e contra nimia velocitate, perpetuum calorem. Quoniam vero demonſtratum eſt ſanguinem etiam in ſtatu naturali ob variam ipſius conſtitutionem, vaſorumque vim, robur, & figuram diſpari velocitate moveri, & ubi pars aliqua ſanguinis ob quamvis cauſam ſegniter movetur in vaſis, anſam præbere alii parti ſanguinis ad celerius fluendum in aliis, & contra; fieri hinc ſubinde poſſe perſpicuum eſt, ut ſanguis partim nimia velocitate, partim nimia tarditate moveatur, vel vero in quibuſdam vaſis, nimia velo-

citate, in aliis nimia tarditate, unde caloris & frigoris inſultus alterni, vel aliarum partium calor, aliarum frigus, vel calor, & frigus in eadem parte proficiſcuntur.

V. *Remote velocior Cordis, & arteriarum contractio conjuncta, cum ſanguine craſſo, viſcido, lento &c.*) Quoniam inter omnes affectiones, & proprietates, quæ proprium febris criterium & ſignum pathognomonicum conſtituunt pulſus frequentia principem obtinet locum, quid ni liceat ſuſpicari frequentiæ hujuſce proximam cauſam, quæ nihil eſt aliud quam velox Cordis contractio, arteriarumque, pro cauſa febris proxima habendam eſſe? Ut tamen ſatis eſſet momenti in hoc argumento, oporteret, ut a velociori hac Cordis contractione omnia febris ſymptomata proxime proficiſcerentur. Quod veritati repugnat. Velox enim Cordis, & arteriarum contractio ſymptomata febris propria non alio modo progignere valet, quam ſanguinem ea ratione movendo, qua opus eſt vel ad majorem ſulphurearum, ac volatilium particularum ſecretionem a reliquarum nexu exſolutionemque, unde calor, vel ad earumdem depreſſionem majorem, quam naturæ ordo poſtulat, unde frigus excitatur: verbo dixerim, circulationem ſanguinis pervertendo, unde caloris, & frigoris inſultus alterni, vel aliarum partium calor, aliarum frigus, vel calor, & frigus in una eademque parte ſubſequuntur. Ut autem id efficiat neceſſe eſt, ut cum variis ſanguinis conſtitutionibus conjungatur. Inter varias autem ſanguinis conſtitutiones, quibuſcum conjuncta velox Cordis, & arteriarum contractio ſymptomata febris propria ciere valeat, recenſetur primo craſſities, viſciditas, & lentor, cum ex hoc potiſſimum fonte frigus, quod plerunque initio nonnullarum invadit, ſit repetendus. Cui quidem ſententiæ hoc vel unum robur addit, quod ſanguis craſſus, viſcidus, & lentus ſegniter per vaſa movetur, & a Corde in univerſum corpus diffuſus pari ratione peracto circulo Cordis ſemitas repetit: conſequens hinc eſt, ut ſegnius, quam par eſt in Cor redeunte ſanguine, Cordis & arteriarum contractio parva fiat, exiliſque: cum illud invaluerit parvitatem ſyſtolis, & diaſtolis, ſeu conſtrictionis & dilatationis Cordis ab inopia ſanguinis ejus ventriculos, & auriculas ingredientis pendere. Atqui in parva exilique Cordis contractione minus truditur ſanguinis in arterias, quam in contractione naturali, ubi magnitudo contractionis naturalis majorem habeat rationem ad magnitudinem contractionis parvæ, quam reciproce velocitas contractionis parvæ ad velocitatem contractionis naturalis: ergo in veloci Cordis contractione conjuncta cum ſanguine craſſo, viſcido, & lento minus ſanguinis truditur in arterias, quam in contractione naturali. Sed quoties Cordis contractio minus ſanguinis trudit in arterias, maſſam ſanguinis ſegniter movet, ex motu vero ſanguinis imminuto, & retardato oritur frigus, ut demonſtratum eſt; ergo velox Cordis contractio conjuncta cum ſanguine craſſo, viſcido, & lento frigus efficiet. Ad hujuſce rei ſtatum melius intelligendum nonnulla exploranda ſunt, quæ paſſim tradunt Anatomici circa ſanguinis quantitatem, quæ in naturali Cordis contractione truditur in arterias, & circa frequentiam ipſius naturalis contractionis. Invaluit igitur in naturali cordis contractione duas uncias ſanguinis medicinales, quarum unaquæque drachmis octo conſtat trudi in arterias, & Cor omni minuto ſecundo ſemel conſtringi (*o*). Si ergo parva cordis contractio, quæ quoties naturalis eſt trudit in arterias uncias duas ſanguinis omni minuto ſecundo, eodem ipſo temporis intervallo quadruplo velocior fiat, quam naturalis, erit ratio magnitudinis contractionis naturalis ad magnitudinem contractionis parvæ, ut 16. ad 2. ſeu ut 8. ad 1.: erit velocitas contractionis parvæ ad velocitatem contractionis naturalis, ut 4. ad 1., & propterea ratio magnitudinis contractionis naturalis ad magnitudinem contractionis par-

(*o*) *Lanciſ. diſſert. Anat.* 2.

parvæ major erit, quam velocitas contractionis parvæ ad velocitatem contractionis naturalis, & propterea omni minuto ſecundo, quo naturalis Cordis contractio uncias duas ſanguinis trudit in arterias, quotieſcumque parva fiet, trudet in arterias unciam unam tantum. Quare minuto ſecundo contractio Cordis parva minus ſanguinis trudet in arterias, quam naturalis. Atqui oſtenſum eſt ſegnem, & tardam ſanguinis circuitionem frigus efficere: velociorem igitur cordis & arteriarum contractionem conjunctam cum ſanguine craſſo viſcido, & lento in febribus frigus progignere adeo manifeſto evincitur, ut nullus ſuperſit ſuſpicandi locus.

Cujus craſſitiem, viſciditatem, & lentorem ſolvere poſſit.) Reliquum modo eſt, ut videamus quomodo a velociori Cordis contractione ſoluto ſanguine calor exoriatur. Quæ res nullius fere momenti eſt. Si enim Cor repetitis ſuis contractionibus ſanguinem craſſum, viſcidum, & lentum ſolvat, eumque ſolutum conſervet, perſpicuum eſt celeriter quoque ſolutum ſanguinem moveri oportere per vaſa univerſa corporis, & a Corde profectum celeriter quoque a natura deſtinatas ſemitas remetiri, hinc contractionem Cordis velociorem fieri neceſſe eſt, vehementioremque. Quemadmodum enim parvitas ſyſtolis & diaſtolis ab inopia ſanguinis Cordis ventriculos, & auriculas ingredientis pendet, ut ſupra oſtendimus, ita magnitudinem ab ejuſdem copia exoriri manifeſtum eſt; nam a contraria cauſa contrarium etiam effectum naſci luce meridiana clarius apparet. Conſequens hinc eſt, ut ocyus quam par eſt in Cor redeunte ſanguine, velocior quoque, ac vehementior fiat Cordis contractio, quo ſanguinem, & velocius, & validius moveri contingit, exagitari, ſulphureas ejus, volatileſque particulas exaltari, fundi, exſolvi, atque hinc calorem poſt frigus exoriri. Rem ſi placet exemplo illuſtremus. Naturalis Cordis contractio in arterias trudit uncias duas ſanguinis, contractio parva trudit unciam unam omni minuto ſecundo. Fiat contractio parva omni minuto ſecundo quater, naturalis ſemel tantum. Erit magnitudo contractionis naturalis ad magnitudinem contractionis parvæ, ut 2. ad 1. Erit velocitas contractionis parvæ ad velocitatem contractionis naturalis, ut 4. ad 1. ergo magnitudo contractionis naturalis ad magnitudinem contractionis parvæ majorem habebit rationem, quam reciproce velocitas contractionis parvæ ad velocitatem contractionis naturalis: ergo velocior Cordis, & arteriarum contractio conjuncta cum ſanguine craſſo, viſcido, & lento, cujus craſſitiem, viſciditatem, & lentorem ſolvere poſſit, primo frigus, deinde calorem excitabit. Solvere autem poſſe Cor repetitis ſuis contractionibus ſanguinem craſſum, viſcidum, & lentum dubitare nemo poteſt, qui ſedulo perpendat totam Cordis actionem Muſcularem eſſe, & tantam, ut quæ de ipſa ab Auctoribus traduntur incredibilia pæne videantur. Animadverſionem præ cæteris meretur experimentum, quo compertum eſt intruſum digitum in vulnus Animantis Cordi inflictum, validiſſimam conſtrictionem perſentire, quod ſane inſignem illam vim arguit, qua opus erat ad tot atque tam magnas reſiſtentias ſuperandas, quot ſanguinis curſui obſiſtunt: molem videlicet ſanguinis vaſa replentis, conicam arteriarum figuram curvaturam Aortę, vim ejus elaſticam, ambientium partium preſſionem, atque extremorum vaſculorum anguſtiam. Quæ vis Cordis excedens ſupra reſiſtentias omnes ſimul aggregatas, licet magni facienda ſit quoad motum ſanguinis perennem, & nunquam interruptum, a quo partium eumdem conſtituentium rotatio, attritio, atque hinc naturalis fluiditas conciliatur, nullius tamen momenti eſt ſi cum ea comparetur, quam largita eſt ei natura per interiorem ventriculorum cavitatem variis ſulcis, & fibris inæqualem, præſertim vero per columnas, ſeu lacertulos, carunculas ſcilicet quaſdam teretes, & oblongas a lateribus ſurſum erectas, quarum apicibus per tendinoſa filamenta valvulæ

vulæ triangulares alligantur: quibus columnis intertexti cum ſint multiplices fibrarum faſciculi retis in modum implicati, qui in dextro præſertim ventriculo ab interno latere ad oppoſitum trabis ad inſtar tenduntur, mirum piſtilli ad inſtar conteri ſanguinem, attenuari, fundi, & quaſi per cribrum filtrari, ut ſapientiſſime præ cæteris Malpighius opinatus eſt. Quo loco minus mirari ſubit in febrium intermittentium initiis frigus cum pulſu celeri, ac parvo adeſſe, in incremento vero, & vigore calorem cum pulſu frequentiori non ſolum, ſed validiore naturali promoveri: quod non ad aliam cauſam aptius retuleris, quam ad craſſitiem, viſciditatem, & lentorem ſanguinis vi Cordis ſolutum, quo ſpiritus Animales majore copia ſecerni, & in Cordis fibras uberius, ac vehementius influentes, calorem non ſolum excitare perſpicuum eſt, ſed pulſum celeriorem, validioremque: niſi forte ea ſit febrium conditio, quarum paroxyſmi cum frigore invadunt, quod nullus, vel minimus deinceps calor excipit; quæ res ſpiritus Animales celeri quidem motu influentes deſignat, ſed ſumme languidos, qui niſi vires recolligant ſuas, validiuſque ad Cor, & cæteras partes vigorandas ferantur, ejus actio omnis tandem ceſſabit, ut in malignis quibuſdam febribus contingere haud raro videmus. *Vel contra cum ſanguine, cujus lentorem ſolvere nullo modo poſſit, vel ubi &c.* Quomodo frigus primum, deinceps calor in febribus a velociori Cordis contractione excitetur oſtendere hactenus conati ſumus. Nunc induſtriæ opus erit perpetui frigoris cauſam aſſignare. Quo in opere quidem nihil fere allaborandum eſt, cum frigoris ratio a ſanguine craſſo, viſcido, & lento oriundi ex priore demonſtratione colligi poſſit. Si vero Cor eidem terendo, ſolvendoque impar ſit, aut ubi jam ſolutus ſit reficiatur, quod tum contingit cum elementa lentoris, quæ fermenti nomine appellare non dubitarim cum Cl. Torto, aliiſque, remanent in ſanguine, vel nova ſtatim in ſanguinem inferuntur, vel ipſi ſanguini ingenerantur, intelligi facile poteſt quomodo permanente toto decurſu febris eadem cauſa, idem etiam effectus habeatur. Si enim velocior Cordis contractio conjuncta cum ſanguine craſſo, viſcido, & lento in febrium initiis, eo quod ſanguis ipſe ſegniter per vaſa fluat, & a Corde in univerſum corpus diffuſus cunctanter in ipſum revertatur, parva fit exiliſque, minuſque ſanguinis trudit in arterias, quam naturæ ordo poſtulat, ac propterea totam maſſam ſanguinis ita movet, ut hinc frigus excitetur, quare & in incremento & vigore perdurans perpetuum frigus non excitabit? Ad hæc adde a ſanguine craſſo, viſcidoque ſpiritus ejuſdem plane indolis ſecerni, & per nervos in Cor derivari, quem propterea ea ratione minime moveri contingit, qua opus eſt ad ſanguinem conterendum, exſolvendumque, unde nova perpetui frigoris cauſa. Hinc Malignas febres ſupra indicatas, quarum paroxyſma cum frigore invadunt, quos nullus, vel minimus calor excipit, quid ni liceat pronuntiare ejuſmodi eſſe, ut interdum ſanguinem craſſum, viſcidum, & lentum pro cauſa agnoſcant, qui materiam ſpiritibus ejuſdem naturæ ſuppeditando languidę, debilique Cordis contractioni anſam præbeat, unde non attrito ſanguine, non exſolutis ſulphureis particulis in toto febris decurſu, frigus non ſolum inter initia invadat, ſed ægrum tamdiu exercent, quamdiu febre laborat? Interdum inquam: cum neminem lateat, & a contraria omnino cauſa, diſſolutione ſcilicet texturæ ipſiuſmet ſanguinis originem ſuam mutuari poſſe, aut coagulatione, & diſſolutione ſimul. Alterutrum tamen, aut utrumque contingat, cum in febribus malignis principium ſit aliquod, quod in ſpiritus proxime ſævit, & debacchatur eoſdem obruendo ſi placet cum Mortono, aut profligando, ineptoſque ſuis muneribus prompte obeundis conſtituendo, ſummum cordis languorem, atque hinc prodeuntem ſulphurearum, ac volatilium particularum depreſſionem adjunctam habent, quæ vel una ſatis eſt ad frigus procreandum. Quibus ita ſe habentibus illud etiam

jam ſatis clare, quantum in nobis ſitum eſt, explicari poſſe videtur, cur ſcilicet morbi a craſſo, ac viſcido oriundi ſenes in vitæ diſcrimen plerunque adducant, & cur intermittentium febrium paroxyſmi, quartanæ præſertim frigoris tempore, eoſdem letho tradant. In Senectute enim, ut notat Bacco de Verulamio (*p*) calor innatus, & humidum radicale conſumitur. Quæ nomina à Veteribus magna veneratione proſequuta, ſi ad trutinam, ut ajunt, revocentur, ità a nobis accipi ſolent, ut per eas nihil intelligamus, niſi langueſcentem Solidarum partium elaterem, vaſorum contextum exſuccum, aridumque, ſanguinis, ac reliquorum humorum curſum diminutum, ſulphurearum, ac volatilium particularum exſolutionem præpeditam, ſpirituum Animalium jacturam inſignem, vitaliumque functionum debilitatem tantam, ut craſſities, viſciditas, ac lentor humorum ſolvi aut nulla, aut difficillima ratione poſſit, unde vitæ diſcrimen.

II. *Conjuncta cum ſanguine naturaliter fluido, aut fluidiori naturali*. Non ad aliam meliorem cauſam perpetuum in febribus calorem retuleris, quam ad velociorem Cordis contractionem conjunctam cum ſanguine naturaliter fluido, aut fluidiori naturali, qui cum celeriter per vaſa feratur, & a Corde profectus rapido curſu Cordis ſemitas repetat, majori ipſiuſmet Cordis contractioni anſam præbet, qua propterea majorem ſanguinis quantitatem trudi in arterias neceſſum eſt, quam in contractione naturali ubi velocitas majoris contractionis majorem habeat rationem ad velocitatem contractionis naturalis, quam reciproce magnitudo contractionis naturalis ad magnitudinem contractionis majoris, velocioriſque. Cum vero Cor continuo plus ſanguinis trudat in arterias, quam in ſtatu naturali, univerſam ſanguinis maſſam celeriter quoque moveri contingit, atque hinc ſulphureas volatileſque particulas exſolvi unde perpetuus calor, quemadmodum in Ephemera, in Synocho, Hectica, aliiſque febribus, in quibus ſanguis aut naturaliter fluidus eſt, aut fluidior naturali contingere deprehendimus. *Concinne, atque ordinate ventriculos Cordis ingrediente*. Nemo ignorat ſanguinem utpote ex partibus conſtantem mole, figura, promptitudine ad motum diverſis, craſſioribus præſertim, ramoſis viſcidiſque aqueo fluido innatantibus, ſuap te natura lentulum, ac viſcidulum eſſe; propterea ſibi relictum extra vaſa in partes longe inter ſe diverſas ſecedere conſiſtentes, & ſolidas, fluidaſque, quæ pariter ſi diutius continuato calori exponantur denſiores, & cartilagineæ evadunt, naturalis viſciditatis ſanguinis indicio prope certiſſimo. Hinc certo opus eſſe temporis ſpatio ſanguini etiam naturaliter conſtituto, ut auriculas, & ventriculos Cordis ingredi valeat manifeſta res eſt. Quod ſi Cor tanta velocitate moveatur, ut nullum ſanguini ſinat temporis ſpatium ad ingrediendum ejus auriculas, ac ventriculos, vel inconcinne tantum, atque per intervalla ingrediatur, quod in convulſivis plerunque affectionibus contingit, velociorem Cordis contractionem conjunctam cum ſanguine naturaliter fluido, aut fluidiori naturali minus ſanguinis aut nihil prorſus trudere in arterias perſpicuum eſt, ac propterea totam ſanguinis maſſam ſegniter movere, atque ea fere ratione, quæ aut frigori excitando, aut Lipothymiæ, & Syncopi producendæ eſt opportuna.

III. *Demum cum ſanguine partim craſſo, partim fluido &c.* Nulla meliori ratione innoteſcet ſanguinem ea dyſcraſia peccare, ut aliæ partes craſſæ ſint, viſcidæque, aliæ vero fluidæ, & ſolutæ, quam ſanguinem e vena extractum ad examen ſedulo revocando. Si enim ſanguinem recenter e vena extractum ſpectemus, avolantibus ſubtilioribus particulis ſub ſpecie fumi, & omni ejus motu ceſſante, caloreque, totam cruoris maſſam in duas partes ſecerni videmus, conſiſtentem unam, ſuiſque partibus cohærentem, quę craſſamentum rubrum vocatur, alteram vero fluidum aqueum, quod Serum appellatur. Plerique eo quod gravius ſit craſſa-

(*p*) *Hiſtor. vit. & mort.*

craſſamentum fundum petere exiſtimarunt, Serum eidem ſupernatare. Egregie tamen animadvertit Gulielminus (*q*) craſſamentum ſegregari a Sero non vi ſolius gravitatis, verum etiam ratione fortioris, vel debilioris texturæ, quam habet ad amplectendas craſſamenti partes, quippe textura fortis totum fere Serum occultat, fortior illud exprimit copioſius, debilis vero vix illud a Sero ſegregat, & tunc cruor craſſamento ſimilis homogeneus fere, non concretus, ſed lenteſcens deprehenditur. Hinc eſt quod ſi in Pleuritide, aliiſque ejuſmodi inflammationibus extractum ſanguinem contemplemur; univerſam ejus ſuperficiem quadam quaſi membrana alba, & non raro lutea obductam inſpicimus, quæ cortex, ſeu cruſta nuncupatur, interdum adeo dura, ut cultri anatomici vel acutiſſimi aciem poſſit effugere, & tunc plurimum Seri eidem ſupernatat; interdum vero non adeo reſiſtit, ut vel parva vitrei vaſis preſſione ſcindi non poſſit, & parum Seri in ejus ſuperficie tunc licet intueri. Nimirum fibroſæ partes non adeo concretę ſunt inter ſe, fortiterque connexæ in hoc poſtremo caſu, ut totum fere Serum exprimere valeant, quemadmodum ſunt in priore, quæ propterea totum idem cunctis adhibitis viribus exprimunt, nihil fere occludunt. Occludere vero in ſtatu naturali per varia experimenta deprehendit Cl. Boyleus docens, partis ſeroſæ proportionem fere ſe habere ad conſiſtentem, ut 3. ad 1. Idque præſertim in vaſis arterioſis, in quibus ſerum, ac lympha nondum vel in ſecretiones, vel in nutritionem abſumpta eſt, vel in lymphatica effuſa, ut Marcus Aurelius Severinus teſtatus eſt. Quibus ita ſtatutis illud citra ullius erroris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur, ſic perturbari poſſe mixtionem ſanguinis, ut aliæ partes, uti dicebat Hippocrates, a ſe invicem ſegregentur, ut ſeparatæ conſpicuæ fiant. Quod præclariſſimo exemplo illuſtratur in lacte qui ſi aliquando in vaſe aliquo aeri expoſito ſervetur, acorem contrahit, ſimulque in partes ſecedit, avolantibus nimirum ſubtilioribus particulis, quarum motu reliquæ omnes commixtæ ſervabantur, inter quas ſpectabilis eſt, quæ ad ſuperficiem pinguis, & oleoſa flos, & cremor lactis appellata, quæ deinde per artificioſam quaſſationem ab aliis partibus ſecreta butyrum conſtituit. Inde paulatim tota lactis maſſa in duas alias partes ſeparatur, tenuem unam, & aquoſam, Serum dictam, alteram craſſam, & coagulatam, caſeoſam appellatam, quæ in fundo hæret, quæque admixtione præſertim tantilli acidi citiſſime, nullaque mora interpoſita a reliqua ſeparatur, caſeoque materiam præbet convenientiſſimam. Quæ omnia adeo perbelle evincunt, tunc cum mixtionem ſanguinis perturbari contingit, fibroſas partes a ſeroſis ſeparari, & in maſſulas concreſcendo, ſolutas partes, & Serum exprimere, ac propterea ſanguinem ea dyſcraſia peccare, ut aliæ partes craſſæ ſint, & viſcidæ, aliæ vero fluidę, & ſolutæ, ut nullum relinquant ſuſpicioni locum. Et ſane vix obſtructiones viſcerum imi ventris in cachexia, atque hydrope laborantibus conciliare potueris cum ſanguine ex eorum venis extracto, qui ſolutus omnino, atque fluidiſſimus apparet, niſi ad hanc dyſcraſiam confugias, qua fit ut partes craſſæ, viſcidæ, & lentæ in Hepate, Liene, Meſenterio hærentes obſtructiones vaſorum, tumoreſque prædictorum viſcerum gignant, ſeroſæ vero a reliquorum nexu ſejunctæ totam cruoris maſſam plus æquo fluidam, ſolutamque efficiant. Niſi peculiare hoc genus compoſiti fluidi per coagulationem, & diſſolutionem ſimul admiſeris, qua unquam ratione Scorbuticæ affectionis, aut Malignarum, & Peſtilentium febrium ſymptomata explicueris? Sed de his erit infra dicendi locus. Quæ cum ita ſint nihil fere laboris, atque induſtriæ impendendum eſſe nemo non videt ad demonſtrandum, a velociori Cordis contractione conjuncta cum ſanguine partim craſſo, partim fluido oriri caloris, & frigoris inſultus alternos, vel aliarum partium calorem, aliarum frigus, vel calorem & frigus in una

(*q*) *Exercit. phyſ. medic. de ſanguin. natur. & conſtit.*

una eademque parte. Cum enim partes, quæ craſſæ, viſcidæque ſunt ſegnius, & tardius moveantur, quam quæ fluidæ, & ſolutæ ſunt, & ad motum magis expeditæ, illas propterea ad capillares arterias, & venas tunc ſolum pervenire contingit, cum hæ Cordis ſemitas bis terque remenſæ fuerint, cumque illæ eædem pervenerint, tenuiorum, fluidiorumque liberum in Cordis auriculas, & ventriculos ingreſſum præpedire perſpicuum eſt, ac propterea totam ſanguinis maſſam ſegniter per vaſa moveri, parumque ſanguinis ad ultima arteriolarum, venarumque oſtiola derivari, atque hinc ad venam cavam, ad Cor. Quamobrem velociorem Cordis contractionem tunc temporis parvam fieri neceſſe eſt, ac conſequenter magnitudinem contractionis naturalis ad magnitudinem velocioris contractionis majorem habere rationem, quam reciproce habeat velocitas contractionis parvæ ad velocitatem contractionis naturalis, hinc parum ſanguinis trudere in arterias, ac totam maſſam ſegniter movere, atque ea fere ratione, quæ rigori excitando eſt opportuna. Ubi e contra ad maximam partem capillarium arteriolarum tenuiores fluidioreſque partes pervenerint, magna velocitate a capillaribus arteriis ad venas moveri oportebit, & multum ſanguinis in venam cavam, in auriculas, & ventriculos Cordis effundi, tunc vero cum effunditur velociorem Cordis contractionem majorem quoque fieri contingit, ac velocitatem ipſius velocioris contractionis ad velocitatem contractionis naturalis majorem habere rationem, quam reciproce habeat magnitudo contractionis naturalis ad magnitudinem velocioris contractionis, ac propterea a velociori, majorique Cordis contractione non ſolum multum ſanguinis in arterias trudi, ſed magna velocitate, hinc moveri ea fere ratione, qua opus eſt ad ſulphureas, volatileſque ſanguinis particulas exagitandas, exſolvendas, unde calor. En quo modo in una eademque febre a velociori Cordis contractione conjuncta cum ea ſanguinis conſtitutione, ut aliæ partes craſſitie peccent, & viſciditate, aliæ vero fluiditate, & diſſolutione caloris, & frigoris inſultus alterni excitentur. Quid quod ab hoc eodem fonte aliarum partium calor, aliarum frigus interdum ſit repetendum? Ad cujus rei ſtatum melius intelligendum in memoriam ſunt revocanda, quæ ſupra demonſtrata ſunt: partem videlicet ſanguinis ob quamvis cauſam in quibuſdam vaſis ſtagnantem anſam præbere alii parti ſanguinis ad velocius fluendum in aliis, & contra in quibuſdam velocitate motum, alii anſam præbere, ut in aliis ſegniter lenteque moveatur. Quæ res vel una ſatis valere poteſt ad efficiendum, ut ſanguis ea ſui parte, quæ craſſitie, ac viſciditate peccat, quæque aut ſegniter per vaſa movetur, aut omnino in aliqua parte conſiſtit anſam præbeat fluidioribus ſolutiſque ad velocius percurrendum in alia, in hac propterea ſulphureis, ac volatilibus particulis exſolutis calor, in alia e contra depreſſis, coercitiſque frigus percipiatur, quemadmodum in Lypiria contingere non raro videmus, in qua externæ partes frigent, cum internæ adeo incaleſcant, ut uri fere ægrotantes videantur. Cujuſce rei rationem niſi in eo fere ſitam eſſe conſtituas, quod ſanguis in internis partibus nimia velocitate movetur, in externis vero ſive ob lentorem ſanguinis ad extrema ſtagnantis, ut præclare ait Boerhaavius, ſive ob externum frigus, atque aeris prementis pondus nimia tarditate, ad quaſnam meliores cauſas confugias? Neque ad alias Epialam, in qua ægri calore, & frigore in una eademque parte corporis exercentur aptius retuleris, quam ad ſanguinem, qui ea ſui parte, quæ viſcida eſt, ac tenax per ramos quoſdam vaſorum ſegniter moveatur, atque ea ratione, quæ ad frigus procreandum eſt neceſſaria; per alios vero altera parte, quæ fluida, & ſoluta eſt nimia velocitate, atque eo fere modo, qui calori excitando, ut ſæpe diximus, opportunus exiſtit.

VI. *Sequitur hinc concitatus Spirituum Animalium motus*. Cor Muſculum eſſe extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Ab iiſdem cauſis moveri conſe-

quenter debere, a quibus cæterorum Muſculorum motus dependet manifeſtum eſt, quam quod maxime. Qua vero ratione motus Muſculorum contingat, lis eſt. Si enim viros clariſſimos Stenonem, ac Schelhamerum audimus, qui fibras impervias faciunt, ac ſpiritus Animales commentitios, cauſam motus Muſcularis in ſola fibrarum contractione, & mutatione figuræ Muſculi agnoſcunt, ita ut Muſculus in actione poſitus ex propria tantum peculiari ſtructura mere contrahatur, & rigeat. Atque hanc quidem ſententiam firmis rationum momentis confirmare nituntur. Suppoſitionibus tamen ipſis opus eſt non paucis, quarum potiſſima illa videtur fibris non aliam fuiſſe datam a natura conformationem, quam duarum fere ſpiralium linearum in oppoſitum inter ſe conſtitutarum, qualem fere apud Latinos littera S præſefert; niſum præterea inditum fuiſſe maximum, ſeu elaſticitatem inſignem, per quam ad ſeſe explicandum, ac mutuo comprimendum, atque ad tremorem, impreſſumque motum ab uno extremo ad alterum communicandum opportuniſſimæ exiſtunt. Quibus de rebus factum eſt, ut ſi comprimantur ita, ut per objecti externi vim, aut ſponte coarctari cogantur, ac quaſi impetu quodam ſtatim reſiliant, motum etiam qualemcumque facile excitari putent, prẹſertim ſi per intervalla mox ſubſequentia, atque per ſubſaltus recurrant. Multa hinc ex Mechanicis deſumunt, quibus fibrarum elateres compreſſioni idoneos, ſpiralemque figuram convulſioni aptiſſimam probent, & a Baglivio referente de Leonina criſpatura inſigni, & fibrarum ſolidiſſimis filiculis, quæque non niſi per vim ſcindi poſſunt, atque avelli, quo ſolidæ fibræ vires ſummas arguunt, & a cl. Mercuriali narrante de veteribus Græcorum, & Romanorum Athletis, nec non de Gladiatoribus, qui pythagorico victu utentes ſola aſſidua exercitatione robur ſibi incredibile adſciſcere ſoliti fuerunt, quibus energiam, & vim ſolidarum partium nullo ex liquido, fluidoque ſpirituoſo repeti poſſe contendunt, ſed a ſolo fibrarum elatere, & criſpatura per exercitationem intenſa. Quæ quamvis perbelle ſint dicta, alii tamen, a quibus nos ſumus, quique ad motum Muſculorum, & ſpiritus Animales, & ſubtiliorem ſanguinis partem, ſeu liquidum arterioſum dictum neceſſarium eſſe contendunt tanti faciunt, quanti poſſunt, ac debent. Licet enim haud inficiaverim naturalem quamdam diſpoſitionem fibrarum Muſcularium ad ſe contrahendum neceſſariam eſſe ad Muſculorum actionem, quæque dependere videtur a ſtructura earum mechanica qualiſcumque ſit, & quæ chordarum ad inſtar tenſæ in continuo ſeſe contrahendi, & corrugandi niſu ſunt præditæ, ut præclare oſtendit Etmullerus, cur tamen & ſpiritus Animales, & liquidum arterioſum in muneris partem vocandum eſſe cenſeam, facit primum illa cogitatio, cinericiam Cerebri partem, ſive glanduloſa ſit juxta Malpighium, (*q*) ſive vaſculoſa juxta Ruyſchium (*r*) ad fluidi alicujus ſecretionem comparatam videri. Fluidum autem iſtud a Cerebro in nervos influere a continuatione eorumdem cum Cerebro facile deduxerim. Quod per nervos in partes omnes influens noſtri corporis motui eorumdem inſerviat, experimento ſatis claro confirmatum crediderim. Denudato enim, digitoque compreſſo nervo aliquo, motum illius partis, ad quam nervus ille tranſmittitur deſinere, remoto vero digito, vel paulo poſt nervi portione inter digitum prementem, & partem reſolutam intercepta ſic compreſſa, ut ſi quid fluidi in ea ſubſiſtit, calcar eidem addatur, & in partem exprimi valeat, redire rurſus haud injucundo ſpectaculo deprehendimus, ut alibi a nobis dictum eſt (*ſ*). Quid quod ligata, aut compreſſa arteria, ut fluxus ſanguinis intercipiatur, amittitur motus Muſculi, ad quem ſanguis per eam deducitur.

(*q*) *Exercit. anat. de cort. cerebr. & ſtructura glandul. epiſt. &c.*
(*r*) *M. Prodromus Theſaur. Anat. 6. & 10.*
(*ſ*) *Aph. lib. 1. aph. 2.*

tur. Quo ſatis tuto pronuntiari poſſe videtur fibras muſculares moveri ab arterioſo ſanguine, & ſpiritibus Animalibus ſimul, quibus confluentibus ſive cellulæ, ſive veſiculæ, ſive cavitates ipſarum inflantur, adducuntur, & tenduntur. Utrum vero dum hæ veſiculæ inflantur rhomboidalem, ut placuit Borello (*t*), an ſphæroidalem figuram acquirant, ut voluit Bernoullius (*u*) (neque enim licet omnes ſubtilitates perſequi) non decernimus. Neque noſtram in re propoſita eſſe provinciam cenſemus altius perſcrutari quomodo fibræ muſculares a ſpiritu Animali, & ſanguine moveantur, quemadmodum citati Auctores, & Jacobus Keilius (*x*), & Lanciſius (*z*), aliique præſtiterunt. Quæſtionem jam alibi attigimus (*a*), prout res poſtulare videbatur, ac cl. quidem Boerhaavium; ac Cyrillum ſectantes ad credendum vehementer adducti ſumus ad motum fibrarum muſcularium, licet & arterioſus ſanguis, & ſpiritus Animales ſimul conſpirent, ſolos tamen ſpiritus ſine ullius effervescentię, atque ebullitionis neceſſitate, aut alterius ſubtilius excogitatæ cauſæ concurſu, tamquam principes earum motores ſufficere, qui fluiditate inſigni, tenuitate ſumma, incomparabili mobilitate a nervis in fibras eiſdem correſpondentes citiſſime percurrendo, eaſque momento fere temporis dilatando efficiunt, ut omnes fibræ Muſculi turgeant, & contractæ maneant: cum enim turgentes fibræ arctent ſibi interpoſita intervalla, & vaſa ſanguifera ibi poſita, venas evacuari contingit, & arterias compreſſas repellere craſſiora, ſeu rubra ſanguinis, ſubtiliſſima vero, vi Cordis, & ſua in exiliſſimos canales urgere, ſicque expulſo ſanguine totum Muſculi corpus ſubtili humore per nervos, & arterias concurrente allato turgere, & contrahi, ceſſante vero hac cauſa flacceſcere Muſculum, & vigente fibrarum elatere reſtitui æquabile in omnibus partibus æquilibrium. Quod cum de cæteris Muſculis affirmari poſſe videatur, maxime, & citra ullius erroris ſuſpicionem, poteſt de Corde, quem ab animi pathematibus, ſummo gaudio, ira, triſtitia, forti imaginatione, terrore, & aliis, quæ ſenſus noſtros percellunt, uti fere eſt ingens dolor, contuſio, odores, ſaporeſque graves, in crebriores, velocioreſque contractiones agi momento fere temporis deprehendimus, ut pulſus celer, & frequens manifeſtiſſimo evincit. Ecquis vero vel rudioris ingenii ſuaderi poterit, tam cito ſanguinis craſim proxime affici, non ſpiritus Animales. Neque vero rationi huic id abeſt, quod maximum veritatis indicium eſt, ut cum obſervationibus certiſſimis, atque experimentis conſentiat: Cor enim vivi Animalis recens avulſum, licet ſanguis neque ejus auriculas, neque ventriculos ingrediatur, pulſare tamen, & ſalire videmus. Ubi motus vel omnino deſinit, vel majorem in modum languet, calore tepentis aquæ, aut infuſione liquorum ſpirituoſorum, aut a ciculæ punctura denuo ſuas pulſationes repetere Cor haud injucundo ſpectaculo obſervamus. Illud autem perlibenter ſcirem, an vel calor tepentis aquæ, aut infuſio liquorum, aut aciculę punctura aliud unquam præſtare valeat, quam ſpiritus, qui condenſati erant excitare, ut excitati muſculares Cordis fibras in novas agant contractiones, a quibus ejus pulſus dependet? Quid admiratione deinceps dignum non occurrit in motu Cordis vivi Animalis hominiſque deficiente omnino, aut maxime langueſcente, quem odore ſpirituoſi liquoris, vel ingenti dolore, vel digitorum intorſione, vel ſalis frictione reviviſcere, atque in priſtinum elaterii ſtatum reſtitui videmus? Ecquis vero vel e Medicinæ tyronibus neſciat nihil vel odorem, vel intorſionem digitorum, vel ſimi-

C 2

(*t*) *De motu Anim. cap.* 17. *prop.* 114.

(*u*) *De motu muſcul. n.* 2. *&* 9.

(*x*) *Tentam. med. phyſ. de mot. muſcul.*

(*z*) *De mot. Cord. prop.* 54.

(*a*) *Aph. lib.* 1. *cap.* 2. *com.* 2.

ſimilem vellicantem cauſam efficere poſſe, quam calcar torpidis ſpiritibus addere, eoſque ſic excitare, ut ad Muſculares Cordis fibras denuo inflandas, ac tendendas idonei reddantur? Quibus rite perpenſis quemadmodum inveniri nemo poteſt, qui neget ſpiritus Animales eſſe principes Cordis motores, ita ſtatuere arduum non eſt, immo neque anceps unum aliquod eorumdem vitium cauſam eſſe velocioris Cordis contractionis. Ubi vero vitium ſpirituum fuerit, quodnam tandem eſſe putemus, præter concitatum eorumdem motum? Cum nempe ſpiritus Animales ſint principes Cordis motores, ambigendum minime videtur, placidum, æquabilemque eorumdem motum, naturalem quoque Cordis motum efficere, neque nimis tardum, neque plus æquo velocem. Ubi vero placidus, æquabiliſque ſpirituum motus naturalem Cordis motum efficiat, nimium, & concitatum velocioris contractionis proximam eſſe occaſionem adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla.

Qui concinnus tamen ſit, & ordinatus. Secus enim omnium Muſculorum convulſio &c. Qua ratione concitatus ſpirituum Animalium motus velociorem Cordis contractionem efficiat, cæterorum vero Muſculorum motum minime pervertat, atque hinc convulſionem pariat, quæſtio digna fuit, ut ad eam duo præclariſſimi Philoſophi, ac Medici Alphonſus Borellus (*c*), atque Archibaldus Pitcarnius (*b*) hypotheſim fingerent aliquam. Ac Borello quidem conjicere placuit Cor Muſculum eſſe ſui juris, qui volentibus, nolentibuſque Animalibus nunquam intermiſſo cietur motu, ſalit, micat, cæteri vero Muſculi ad animi imperium, ad voluntatis nutum moventur: hinc ſibi in animum induxit meatus, & poros nervorum, qui tendunt in Cor patulos eſſe, & apertos, eos vero per quos ſpiritus Animales ad alios Muſculos feruntur clauſos eſſe, voluntatis imperio recludi, atque concurrentibus ipſis ſpiritibus eorum fibras inflari, tendi, atque ea affici ratione, qua opus eſt, ut Animal ex uno in alium locum migret, membra flectat, contorqueat, porrigat, contrahat, & his ſimiles motus edat, hinc poſſe concitatum motum ſpirituum Animalium Muſculares Cordis fibras in crebriores contractiones agere, non aliorum Muſculorum motum pervertere. Cui quidem ſententiæ nihil deeſt, quod cum doctiſſimi Wiliſii obſervationibus, vel rationibus non conſentiat, qui hanc motus differentiam in naturalem, & voluntarium conſtituit, eumque a ſpiritibus Animalibus, qui a Cerebello proficiſcuntur, hunc vero ab iis qui a Cerebro commentus eſt. Quod ſi ulla in re reprehendendus eſt Wiliſius, non aſſequor, qui Borellum quoque vellicare quodammodo non poſſimus, proinde quaſi novum excogitet, cum interim non aliis rationibus præter eas, quas ex eodem accipit, utatur. Reprehendendus vero ea in re Wiliſius, ac propterea cum eo conſentiens Borellus videtur aliquibus, in qua aſſignantem vident veram originem nervorum, quæ Anatomicis nondum probe cognita eſt, planeque perſpecta, cum aliæ partes noſtri corporis nervos accipiant a Cerebro, aliæ a Cerebello. Præterea cum omnes partes naturali cieantur motu, (nulla quippe fibra noſtri corporis eſt, quæ perpetuo non oſcillet) ſi motus voluntarius a Cerebro, naturalis a Cerebello tantum exoriretur, omnes profecto naturalem motum, & a voluntate non pendentem haudquaquam habere oporteret. Sed cum hæc nervorum origo id habeat peculiare, ut cum præclariſſimis experimentis conſentiat, & ad plurimorum phænomenorum explicationem opportuniſſima exiſtat, de quibus ſi quis ſubtilius doceri velit eum ad aph. lib. I. mitto (*d*), quid refert utrum vere cognita ſit planeque perſpecta, an non ſit, & fingatur? Alia majoris momenti adverſus Borellum ſequamur. Si volebat

(*b*) *De motu Anim. par.* 2. *cap.* 22. *prop.* 220.
(*c*) *Element. phyſ. math. lib.* 2. *de feb. & de circulat. ſanguin. in Anim. &c.*
(*d*) *Cap.* 1. *n.* 8.

bat Borellus ſibi aſſentire Medicos judicanti concitatum ſpirituum Animalium motum, Cordis motum pervertere, non cæterorum Muſculorum, ob id, quod meatus, & pars nervorum, qui tendunt in Cor, patuli ſunt, atque aperti, alii vero qui in alios Muſculos, clauſi, ut niſi voluntatis imperio viam ſpiritibus liberam præbeant, aditumque, ante occurrendum ab illo erat vulgatiſſimæ obſervationi, atque experientiæ, ex qua docemur in hyſtericis affectionibus, & reliquis corporis convulſionibus non ſemper Cor, convelli, qui tamen deberet, cum ſpiritus Animales in hiſce caſibus majore impetu, ac velocitate a Cerebro in partes perrumpant. Hæc niſi prius tollantur, neque illi tam ſubtiliter cogitanti adſtipulari poſſe videor. Hæc autem Borellum mirarer non vidiſſe, niſi illud magis mirandum eſſet, in eadem fere incidiſſe Archibaldum Pitcarnium, cum Muſculum eſſe Cor Antagoniſta carentem conſtituit, cæteros vero Muſculos ſuos antagoniſtas habere, atque ad motum Cordis paucioribus ſpiritibus opus eſſe, quam ad cæteros, qui antagoniſtis donantur, contendit. Præterquam quod id quod Pitcarnio fallaciam fecit, ea fere fuit cogitatio Cor carere Muſculo antagoniſta, quo ſpiritibus paucioribus ad ejus motum opus eſſe ſibi in animum induxit. Quare enim paucioribus ſpiritibus opus eſt ad Cor movendum antagoniſta carentem, qui tamen vires habeat antagoniſtas vim antagoniſtæ Muſculi æquiparantes? Has autem eſſe venam cavam, & pulmonarem, & aerem, quem inſpiramus adverſus Pitcarnium debilem Apoplexiæ levis pulſum ab hoc eodem fonte perperam repetentem, alibi a nobis eſt demonſtratum. (c) Et ſane me nihil tale cogitantem primum omnium obſervatio admonuit, qua compertum eſt venas prope Cor carneas eſſe, & muſcularibus fibris præditas, ac pulſum habere ut arteriæ, præcipue vena cava, quæ ab inferiori parte in ſuperiorem micat, & ſalit: præterea deficere prius motum Cordis, quam motum venæ cavæ prope Cor, ac propterea ultimum moriens non eſſe Cor, ſed venam cavam prope Cor. Quibus rite perpenſis, nihil me continere potuit, quominus ad credendum vehementer adducerer venæ cavæ, & venæ pulmonari tantam ineſſe vim ad impellendum ſanguinem in ventriculos, & auriculas Cordis, ut nihil magis: venam vero cavam ad id præſtandum neceſſariam eſſe, quam quod maxime, ut a viris præſtantiſſimis Stenone, & Lanciſio adnotatum eſt. Quod ſi de aere dicamus, ecquis neſciat dum inſpiramus, eum, qui ad glotidem eſt ceſſante, aut diminuta preſſione pulmonum ad latera ob elevationem coſtarum, ad fundum ob depreſſionem diaphragmatis, tota gravitate ſua, & vi elaſtica in eoſdem irruere, inflare omnes illorum veſiculas, atque ſanguinem per arteriam pulmonarem in pulmones a Corde fluentem ad ſiniſtrum ejus ventriculum, & auriculam per venam pulmonarem vi ſumma, atque impetu impellere, atque hac ratione maxime attenuare, miſcere optime in omnibus ſuis partibus, & neceſſariam fluiditatem eidem conciliare? Quo vero majorem opinioni meæ fidem faciam rationes aliæ in promptu ſunt: eæque potiſſimum ab experimento vulgatiſſimo ductæ, quo conſtat digito, ut alibi innuimus, in vulnus Animantis Cordi inflictum, intruſo, validiſſimam conſtrictionem perſentiri ſummæ, atque incredibilis ejus vis argumento prope certiſſimo. Et ſane cum ſanguinis curſui, atque Cordis impulſui reſiſtat tanta moles ſanguinis vaſa replentis, conica arteriarum figura, curvatura arteriæ aortæ, vis ejus elaſtica, ambientium partium preſſio, ac demum extremorum vaſculorum anguſtia, ea vi opus erat, qua tot, tamque magnæ reſiſtentiæ ſanguinis per vaſa fluentis omnes ſimul ſumptæ ſuperarentur, quæ ſi æqualis non eſt centum, & octoginta libris ponderis, ut oſtendit Borellus (f) parum recedere, quidquid alii ſentiant, qui Borel-

(*e*) *Aph. lib.* I. *cap.* I. *com.* 8.
(*f*) *De mot. Animal. par.* 2. *prop.* 3. *cap.* 5.

Borellum hac in re vellicare volunt, facile equidem judicaverim. Quid quod eamdem vim arguant nervorum paria quinque, vagum ſcilicet, intercoſtale ſuperius, & vertebrale intra craneum, intercoſtale inferius, & phrenicum extra craneum, quæ provido naturæ conſilio in cor tendunt, ne ſpiritus ulla de cauſa unquam deficerent, ejuſque motus naturalis intermitteretur, unde egregie ab Hippocrate dictum (*g*) fortiſſimum Cor eſſe Muſculum. Hiſce factum eſt, ut Pitcarnii ſententiam naturalem Cordis contractionem perverti judicantis, non cæterorum Muſculorum motum, quod ad movendum Cor paucioribus Spiritibus opus ſit, quam ad cæteros Muſculos, ingenioſam quidem putem, veram autem, aut probabilem eſſe, quantum ego conjicere poſſum, non putem. Sed quænam tandem erit ejuſcemodi, inquient moleſti quidam? Nimirum quam libero eorum judicio, propoſui, ut de ea pro ſuo quiſque ſenſu judicaret; quamque mihi ſcribenti perſuaſit primum obſervatio, Animalia, quibus totus ſanguis exhauritur, eoſque homines, qui inanitione ſive ſanguinis, ſive ſpirituum laborant, quique prope mortem ſunt conſtituti, convulſivis motibus affici, atque ob id potiſſimum, quod ſive ſanguis, ſive ſpiritus exhauriantur, ſive utrumque, tollitur conjunctio partium earumdem modo in his, modo in illis arteriis capillaribus, & nervis in fibras muſculares tendentibus, quo fit ut modo in has, modo in illas Muſculi fibras ceſſet eorumdem influxus, dum interea in antagoniſtæ fibras non deſinit, ac propterea illas neque inflari, neque contrahi, ac Muſculi actionem deficere; dum antagoniſta ejus fibris inflatis, ac tenſis contrahitur. Cum enim modo uni, modo alteri Muſculo hæc contingant, involuntarii, & irregulares motus, hoc eſt motus convulſivi exoriuntur, ut Veteres Medici a Laurentio Bellino, atque Archibaldo Pitcarnio hac in parte commendati ajebant, ex inanitione, ad quos excitandos neque multa vi, & impetu ſpirituum Animalium opus eſſe, ſed ſolum perturbato, inconcinno, irregulari, eorumdem motu, ſic ut Muſculorum æquilibrium auferatur, perſpicuum eſt, quam quod maxime. Quibus ita conſtitutis haud intutum crediderim pronuntiare, poſſe concitatum ſpirituum Animalium motum Cor in crebriores, velocioreſque contractiones agere, quin cæterorum Muſculorum motum, ne vel minimum quidem pervertat, ſi concinnus ſit & ordinatus, & is fere quo Muſculorum æquilibrium minime auferatur, uti auferri neceſſe eſt, ſi non ſolum concitato motu, ſed cæco furore, atque impetu hac illac in Muſculares Cordis fibras perrumpant, quemadmodum in febribus acutis, malignis, & inflammatoriis, & iis quæ aut ſummo dolore, aut alia quapiam re ſpirituum Animalium turbas excitante, proficiſcuntur, & in quibus ægri diris convulſionibus torquentur, contingere non raro videmus.

Demum omnia ea quæ I. *in ſpiritus proxime ſæviunt, cujuſmodi ſunt graviora animi pathemata*. Avicennas (*h*) quarumdam febrium meminit, quæ ab afflictione animi, a triſtitia, a mærore, a forti imaginatione, ab ira, ab amore, aliiſque ſimilibus cauſis ortum traducunt. Quam ad cauſam ſatis apte eas referre poſſem cum cogitare cæpi, anceps animo hærere mihi diutius non licuit, perpendenti inſignem animæ poteſtatem in ſpiritus, & nervos, aut ſaltem magnam inter illius affectiones, & iſtorum motus conſenſionem, ut alibi oſtenſum eſt. Facile enim conſtitui ſummam quoque vim habere ſpiritus per nervos excurrentes varie affectos ad partium elaterium, ac robur alterandum, ad canalium diametros conſtringendos, aut laxandos, ac propterea ad ſanguinis, humorumque motus; actioneſque ab ipſo pendentes multipliciter variandos. Atque hinc orti infiniti propemodum morbi qui a ſpiritibus primario affectis tamquam præcipua cauſa dependent, & quorum optima remedia non ſint, quæ ſpirituum influxum nimis concita-

(*g*) *Lib. de Cord.*
(*h*) *pr. ſ.* 4. *can.*

citatum, aut alia ſimili ratione alteratum congrue moderantur, niſi forte in effrænes motus acti ſpiritus, cæcoque furore, atque impetu in nervos irruentes, aut convulſionem lethalem, aut morbos organicos pariant. Apoplexias ab hoc fonte prodeuntes plurimi ſapientiſſimi viri adnotarunt Aretæus, Galenus, Bonettus Fortunatus Fidelis, Baygerus, Bartholinus, Plinius, Valerius Maximus aliique, quorum meminimus primo libro (*k*), & ad quem brevitatis ſolliciti curioſos mittimus. Hi ſi velint, Epilepſias invenient a ſolo forti timore, terroreque enatas, ut Plateri, Baglivii aliorumque obſervationibus compertum (*l*), ut alias graviſſimas affectiones ſilentio prætercam a ſola forti imaginatione oriundas, qua ſpiritus Animales in concitatum motum acti nervorum, ac Cerebri, ejuſdem ſtructuram labefactarunt. Iram quandoque alia ne ratione ſalutarem putes, atque ad paralyſim profligandam idoneam, ut Hippocrates, Horſtius, Valeriola deprehenderunt, & adverſus podagram optimam, ut Pechlini, & Bartholini teſtimonio evincitur, & ad tertianas quartanaſque febres contumaciſſimas debellandas, ut ex M. N. C. ac Paræo liquido conſtat, aliiſque, quos locis variis commemoravimus (*m*), quam ab affectis proxime ſpiritibus Animalibus, atque ſummo furore, atque impetu hac illuc irruentibus, nervorumque tenſionem, ſolidarumque partium elaterium ea ratione adaugentibus, qua opus eſt ad humores lentos, craſſos, ac difficiles vel in muſculis, vel oſſium juncturis vel viſceribus imi ventris hærentes; unde prædicta mala exoriuntur, incidendos, dimovendos, eijciendos. Id vomitus manifeſtiſſimo evincunt, diarrhϾ, choleræ ſupervenientes (*n*) a ſola ſpiritum ἀταξία, ſeu inconcinno, ac perturbato motu, quo ventriculi, & inteſtinorum fibræ ad irregulares, ac violentas contractiones ſollicitantur, ut præclare Wiliſius, & Sydenhamius opinati ſunt, id febres ardentes, acutæ, id dolores capitis, aliaque id genus mala quamplurima, ut a nobis alibi demonſtratum eſt (*o*). Quid opus eſt pluribus. Nonne experimentis a ſe quiſque factis compertum habuerit, ab unius alicujus puellæ, quam vehementer depereat, præſentia, aut recordatione commoveri ſpiritus, palpitare cor, pulſum alterari? Hæc fere Cl. Lindani referente Etmullero præclara doctrina eſt: atque Eraſiſtratum Medicum Antiochi ſumma tabe confecti ob amorem Stratonicæ novercæ, quem verecundia tegebat, morbum non alia ratione, quam admota ad carpum manu, atque in faciem oculis conjectis cognoviſſe, & qua medicina ſanandus eſſet Seleuco demonſtraſſe ex Valerii Maximi, & Plutarchi teſtimonio alibi oſtendimus (*p*). Et Tulpii, & Rondeletii obſervationes alias citato loco indicatas cum eodem recidant brevitatis gratia prętermittimus. Illud interim ex hactenus dictis veritati conſentaneum eſt quam quod maxime, febres ab animi affectionibus oriundas non aliunde aptius repeti poſſe, quam ex ſpiritibus Animalibus concitato motu in cordis fibras illabentibus, quo velociorem ejuſdem contractionem excitari contingit, circulationem ſanguinis augeri, calorem, & alia febrilia ſymptomata exoriri ea prorſus ratione, qua ab inordinato, atque irregulari eorumdem motu quamplurimæ convulſivæ ægritudines proficiſcuntur.

Et effluvia maligna, ac deleteria per œſophagum malignæ febres ſunt quædam, quas præ cęteris prodit in principio imbecillitas, & proſtratio virium, & languor totius corporis cum pulſu debili, parvo, & quaſi deficiente, calor ad tactum mitis, urina ſanorum ſimilis, fallaciſſima quædam ſpecies benignæ febris, quæ & ægro-

(*k*) *Aph. lib.* 1. *com.* 7. *cap.* 1.
(*l*) *Ibid. cap.* 8. *com.* 5.
(*m*) *Aph. lib.* 3. *cap.* 1. *com.* 5.
(*n*) *Ibid. cap.* 2. *com.* 4. *cap.* 3. *com.* 4.
(*o*) *Aphor. lib.* 1. *cap.* 4. *com.* 6. *cap.* 9. *com.* 6.
(*p*) *Aph. lib.* 1. *cap.* 6. *com.* 5.

ægrotantes, & Medicos non ſemel deludit, & decipit; progreſſu temporis intenſus calor, intrinſecus magis, quam extrinſecus, parva ſitis, anxietates, vigiliæ, deliria, convulſiones, lethargi; in augmento, & ſtatu corpus immobile, cutis maculis diverſicoloribus infecta, profuſi ſudores, diarrhoeæ, hæmorrhagiæ, aliaque id genus dira ſymptomata. Ecquis vero non ſolum ad ſuſpicandum, ſed ad credendum vehementer non adducatur, hæc omnia eſſe prius affectorum ſpirituum, quam turbatæ ſanguinis craſeos inditia manifeſtiſſima? Quo modo enim improviſa virium proſtratio, languor totius corporis, pulſus debilis, parvus, & quaſi deficiens cum miti calore, urina ſanorum ſimili, parva ſiti, cum ſæviſſimis ſymptomatibus ſucceſſu temporis ægrum exercentibus conciliari poſſint omnino non video, niſi ad ſpiritus, & nervos proxime affectos confugias ab inviſibili aliquo principio adeo ſubtili, & tenui, & penetrante, ut non ſolum per œſophagum una cum alimentis deglutitis, ſed & per reſpirationis viam, & poros, atque meatus cutis ſumma celeritate ad inficienda ſanorum corpora progrediatur. Non ſolum, inquam per œſophagum. Haud enim ignoro non tanta tenuitate opus eſſe effluvio maligno, & deleterio, ut per venas lacteas in corpus humanum ſeſe inſinuet, altiuſque penetret. Cum enim deglutiri una cum alimentis debeat, atque actione ventriculi ita triturari, ut per vaſa lactea in regium ſanguinis flumen trajici poſſit in Cor, per ſubclaviam propelli, & ad ultimas uſque arterias derivari ad quam tenuitatem tanta virium momenta patiens non redigetur?

Per pulmones. Ad eam nimirum qua opus eſt, ut per pulmones ingrediatur. Quo loco quæſtio occurrit. Sunt enim qui ductus, ac meatus per quos aer, & cum eo circumfuſa corpora, quæ inſpirantur pulmonum membranas permeare poſſe, & ſanguini miſceri aut omnino inficiantur, aut valde incertum putant. Alii vero in contraria ſunt opinione, atque aerem, aliaque corpora in pulmonibus ſanguinis miſceri pugnaciſſime ſuſtinent. Priorem ſententiam tenent Mariottus, Etmulerus, Pitcarnius, Drachius, Suammerdamius, Boerhaavius. Aliam Meryus Academicus Pariſienſis præ ceteris ſtrenue defendit. Cum eo autem pugnare nolumus. Rationum enim momenta, quibus opinionem confirmare illi nituntur, tanti facimus, quanti poſſumus. Ea vero hæc fere ſunt, quæ trado. Si aer in pulmones mortui Animalis inijciatur, aerem extra pulmones ipſos nullo pacto excerni deprehenſum eſt, inditio manifeſto nullos adeſſe ductus, ac meatus, per quos ea, quæ in pulmonibus continentur excerni queant per extimam ipſorum membranam. Deinceps alio experimento conſtat aerem membranarum, in quibus incluſus eſt, poros etiam in vacuo non tranſire, præſertim ſi eæ madidæ ſint. Modo cum pulmonares veſiculæ perpetuo humore madeant per inſignem illam perſpirationem, quæ per pulmones habetur, incongrue quoque, & fortaſſe noxiæ particulæ exhalantur motu illi prorſus contrario, quo aer in ſanguinem ipſum ferri deberet, ecquis non videt hunc ipſum motum aeris ingreſſui maxime obſiſtere, atque ipſum potius penitus præpedire. Quæ quamvis veri ſpecie dicantur, cur tamen rem accuratius ad trutinam, ut ajunt, revocanti minus probentur, commendeturque, facit potiſſimum ea ratio, quamplurima eſſe poſſe in corporibus viventibus, quæ in cadaveribus nulla ratione deprehendi unquam potuerunt, hinc nihil ex allatis experimentis colligi poſſe, quo certo certius ſtatuatur nullos adeſſe ductus, ac meatus per quos ea, quæ in pulmones reſpirationis ope tranſmittuntur, extra ipſos educantur. Nonne enim evenire poteſt ex nimia diſtenſione bronchiorum, atque veſicularum pulmonarium, quæ ex violenta aeris per follem immiſſione in pulmonum ſubſtantiam enaſcitur, ut ductuum, ſi quæ ſint orificia præcludantur, omniſque ſecretio inhibeatur? Quod ſi de veſicularum humore madentium poris loqui velimus, qui aeri præcludere aditum valent, licet haud inficias ire auſim craſſioribus, atque elaſticis ejuſdem particulis id fortaſſe e-

venire, quominus vero ſpirituoſum, ſumme tenue, ac volatile principium in ſanguinem per pulmones minime pervadere poſſe cenſeam, plura mihi ſuadere videntur, eaque obſervationibus certis, atque eximiis experimentis ducta. Primum enim Animalia in ſpatio anguſto clauſa, niſi recens aer admittatur, brevi mori deprehenſum eſt. Niſi vero ad ſubtiliſſimum quoddam principium, quod in ſanguinem per pulmones derivetur, a quo ejuſdem ſanguinis motus, vigor, fluiditas dependeat, ac materia fortaſſe ſpiritibus ſubminiſtretur, quanam meliori ratione preclariſſimum phænomenon explicare valeamus? Aere nimirum alienis, & incongruis effluviis referto, aut anguſto ſpatio coercito, modicam illam ſubtilis hujuſce principii quantitatem ab Animali reſpirante brevi abſorberi contingit, atque ob ejus inopiam idem mori. Neque vero rationibus hiſce id abeſt, quod magnum veroſimilitudinis eſt argumentum, ut cum aliorum etiam obſervationibus, atque experimentis conſentiant, quæ principii hujuſce neceſſitatem præclariſſime evincant. Quid enim & de folliculis dicamus, quos in ovo incubato invenit Bellinus, & de innumeris tracheis, quibus donari vermes deprehendit Malpighius, provido naturæ conſilio, ut aliquid per inſpiratum aerem in eorum corpora ſeſe inſinuaret, & de piſcibus ſubtus glaciem degentibus, quos niſi eadem diſrumpatur, ut recens aer admittatur, ſuffocari teſtatus eſt Gaſſendus, aliiſque innumeris experimentis a laudato Meryo in hanc ſententiam allatis, quæ ne infinitus ſim alia volens prætermitto. Illud enim aveo intelligere, ſi aereum iſtud principium in ſanguinem per pulmones ingreditur vitæ conſervandæ neceſſarium, cur & effluvium malignum, ac deleterium haud ingredi poſſe putemus labefactando corpori interdum aptiſſimum? Prohibebit ne pororum anguſtia, per quos nonniſi tenue, ac ſubtile principium admitti poſſit? Quid ſubtilius, ac tenuius effluviis, quæ a Muſco, Ambra, aliiſque corporibus ſuaveolentibus emittuntur? Quamvis effluvia per plures pedes a ſuo centro æque diffuſa ſint, mirum corpora, e quibus exhalantur, in bilance poſita per quinque, & ultra dies nullum ponderis detrimentum pati. Præterquamquod non tanta effluviorum malignorum tenuitate opus eſſe, ut per reſpirationis viam ſanguinem ingrediantur exemplo, & experimento præclariſſimo oſtendit Cl. Hombergius (q) docens hominem cubile ingredientem, in quo ſit vapor terebinthinæ, paulo poſt urinas reddere odore violaceo præditas, argumento prope certiſſimo terebinthinæ particulas ſanguinem ingredi eumque inficere. At ſi terebinthinæ particulæ, quæ a reſinoſo corpore ſecernuntur, quæque fieri minus poteſt, quin craſſiores nonnihil ſint, ac viſcidulæ per pulmonum poros tranſeunt, quanto facilius effluvia maligna ſumme tenuia ad inficienda ſanorum corpora progredientur?

Et poros cutis intus penetrantia. Summe tenuia certe ſint oportet, quæ per poros cutis ingrediuntur, quorum anguſtia tanta eſt, ut non ſolum haud explicari dicendo poſſit, ſed vix ac ne vix quidem mente concipi, ſi Leuvenhoechium (quem quis non audiat?) audimus, docentem in tantillo cutis, quantum arenæ granum occupare valet, centum & ultra mille poros inveniri. Quæ ſi vera ſunt minus mirari ſubit aerem contentum in Animalibus, quæ in Machina Pneumatica poni ſolent, ut aer, qui illorum corpora, omneſque partes circumquaque premit, exantletur, & quod maxima ſit pororum anguſtia, & atomorum tenuitas haudquaquam ſoluta viam ſibi, aditumque ſternere nulla ratione poſſe, unde tumere majorem in modum eadem Animalia neceſſe eſt, ut præſtantiſſimus Meryus (r) teſtatus eſt. Reperiri autem hoſce ductus, ac per eos virulentum halitum, ac contagioſum effluvium vel aliud ſimile inviſibile principium ex infectorum corporibus in corpora ſanorum pervadere, ac pleroſque eorum, quos corripit

(q) *Hiſt. Reg. S. A. P. in an.* 1707.
(r) *Hiſt. Reg. S. A. P. in an.* 1677.

celerrime, ut in peſte contingit, quandoque interimere adeo manifeſto evincit inunctio Mercurialis, in qua hydrargyrum penetrata extrema cute in vaſa exinde venoſa tranſmittitur, ab his in arteriam aortam, & univerſum corpus diffunditur, ut nihil magis.

II. *Quæ remote, ſeu fluidorum, ſolidorumque vitia*. Nonnulli in memoriam revocantes, quæ ſupra diximus de motu muſculorum, ad quem ſanguinem una cum ſpiritibus Animalibus concurrere oſtendimus, quærere a nobis poſſunt, utrum ſanguinis vitia velociorem cordis contractionem excitare valeant, & ipſa proxime, an remote, ſeu ſpirituum turbas promovendo. Recte illi quidem. Res eſt digna, ut eorum curioſitatem expleamus. Antequam vero id præſtemus, illud libenter ſcirem, an aliorum etiam recordentur, quæ in eamdem rem docuimus, præſertim vero ab animi pathematibus, iiſque, quæ ſenſus noſtros percellunt, cor in velociorem contractionem agi. Vereor enim, ne ſi ad ſanguinis vitium eas referant, arduum poſtea, atque inſolens explicatu ipſis videatur, quomodo momento fere temporis ejus craſis ea ratione alterari poſſit, qua opus eſt ad muſculares cordis fibras concitandas. Præterquamquod ſunt quandoque ſanguinis, humorumque vitia inſignia ſine velociore cordis contractione, ſine pulſus celeritate. Ecquis enim neſciat humores noſtri corporis quandoque eſſe nimis aqueos, frigidos, & lentos, ſimulque aut inſipidos, aut acuto ſapore præditos, interdum calidos, fuſos, ſolutoſque craſſos non raro, terreſtres, & ſiccos, ſimulque acidos, auſteros, aut ponticos, quæ omnia vitia triplicis cacochymiæ nomine, pituitoſæ, bilioſæ, & melancholicæ complexi ſunt Hippocrates, & Galenus, in quibus pallidus faciei, & totius cutis color apparet, actioneſque omnes langueſcunt, quæ tamen velociorem cordis contractionem ac pulſus frequentiam conjunctam non habent, aut febrem. Deinceps quid ſanguinis maſſam magis conſpurcat, atque ea fere ratione afficit, quæ vel una eidem corrumpendo opportuniſſima exiſtit, quam fętidum pus, quod tamen in Empyematicis ſanguini immixtum, atque ad Renes una cum Sero urinario delatum, atque in ureteres, & veſicam tranſmiſſum extra corporis confinia educitur? Ecquis tamen crederet, hæc omnia ſine velociore cordis contractione, ſine pulſus frequentia, ſine febre contingere, ut Galeni, Hollerii, aliorumque obſervationibus compertum eſt? Hujuſce rei tamen defenſionem nolim credas ita me ſuſcipere, ut negem aperte ſanguinis vitia valere poſſe ad velociorem cordis contractionem excitandam. Id unum contendo proxime, & immediate eamdem excitare, & citra concitatum ſpirituum Animalium motum, quos tunc in turbas abire contingit, atque ea ratione affici, qua opus eſt ad velociorem cordis contractionem, cum ea ſint, ut fibras ventriculorum cordis, & arteriarum irritare, mordere, extimulare valeant, aut plus æquo diſtendere, aut diſrumpere, aut corrodere, aut relaxare, aut ſpirituum craſim inficere, aut uberiorem eiſdem materiam ſuppeditare, aut alia ſimili ratione nervorum genus afficere, quæ valere poteſt ad ſpiritus aut deficientes, aut torpidos, aut etiam naturaliter conſtitutos excitandos, commovendos, compellendos. Idem plane dictum velim de fibris corporis aut ſolutis, aut diſruptis, aut corruptis, quæ vitia cum ſejungi non poſſint a dolore, aut convulſione, ſeu inæquali tenſione, ac tremore nerveorum filamentorum, quibus ſolidæ partes contextæ ſunt, ſpiritus Animales in concitatum motum agi contingit, crebrioreſque Cordis contractiones excitari. Sed de his plura infra dicemus.

VIII. *His ita ſtatutis, an inauditum quidpiam proferam, ſi dicam: Febris eſt perturbata ſanguinis circulatio*. Jam ad febris definitionem ventum eſt, quam tradere non prorſus difficile eſſe diximus, ubi affectionum, quæ proprium febris criterium, & ſignum pathognomonicum conſtituunt, cauſas non ſolum invenire datum fuerit, ſed eaſdem in rectum ordinem redigere, & unicuique ſuum locum

adju-

adjudicare. Utrum id ego præſtiterim, viderint alii. Utcumque tamen res ceſſerit a perturbata ſanguinis circulatione, ſeu circulatione ſanguinis vel nimis veloci, vel nimis tarda, vel partim nimis veloci, partim nimis tarda omnia febris ſymptomata proxime oriri demonſtratum eſt, frigus videlicet initiis febrium invadens a circulatione ſanguinis nimis tarda, calorem qui frigori ſuccedit ab eadem nimis veloci, quæ in incremento, & ſtatu plerunque contingit: perpetuum frigus a circulatione ſanguinis nimis tarda toto febris decurſu perdurante, a nimis veloci e contra perpetuum calorem: a circulatione demum partim nimis veloci, partim nimis tarda, vel vero in nonnullis vaſis nimis veloci, in aliis nimis tarda caloris, & frigoris inſultus alternos, vel aliarum partium calorem, aliarum frigus, vel calorem, & frigus in eadem parte. Quid ultra a nobis quærendum erat ad febris definitionem tradendam? Ecquid enim aliud per perturbatam ſanguinis circulationem intelligas, quam illam eamdem circulationem vel nimis velocem, vel nimis tardam, vel partim nimis velocem, partim nimis tardam; a qua ea ſymptomata, quæ a febre ſejungi nulla ratione poſſunt proxime exoriuntur? Quoniam vero febrem communiſſimum eſſe morbi genus ſæviſſimumque initio orationis fere diximus, & ſi quandoque ſalutare, nihilominus tamen minime recedere ab indole ſua nerveorum filamentorum, quibus ſolidæ partes contextæ ſunt, inimiciſſima, eaſdem varie, vehementerque percellendo, vellicando, diſtendendo, aut alia ſimili ratione afficiendo, quæ ſummopere neceſſaria eſt, ut hærentes alicubi humores lenti, ac difficiles, qui nonnullis morbis materiam præbent convenientiſſimam attenuari poſſint, diſſolvi, atteri, & qua data porta extra corporis confinia eliminari, quæ omnia ſine corporis moleſtia inſigni, ſine ipſius Animæ triſtitia, ſine dolore, verbo dixerim ſine læſione œconomiæ Animalis neque fieri neque concipi poſſunt, providi conſilii eſſe duximus, poſt perturbatam ſanguinis circulationem, quæ in tradita definitione loco generis eſt, ſubdere *œconomiam Animalis pervertens*, quo ſatis clare appareret perturbatam ſanguinis circulationem, quæ ejuſmodi non eſt, ut œconomiam Animalis minime pervertere valeat, velut illa, quæ a cauſa aliqua externa originem ducit, quæque nec diuturna eſt, nec ſatis magna, vel a ſolidarum partium vitiis dependens liberum, & æquabilem ſanguinis curſum præpedientibus, quemadmodum in ſenectute, aut organicis præcordiorum morbis contingere non raro videmus, a febre eſſe diſtinguendam.

Orta a velociori cordis, & arteriarum contractione conjuncta cum variis ſanguinis conſtitutionibus. Poſt proximam, atque immediatam cauſam, ſecundum obtinere locum illam, quam in velociori Cordis, & arteriarum contractione agnoſcendam eſſe ſtatuimus, nemo dubitarit, qui a velociori Cordis, & arteriarum contractione omnia febris ſymptomata oriri quidem, ſed remote, & quatenus cum diverſis ſanguinis conſtitutionibus conjungitur, animadverterit. Oſtendimus enim velociorem Cordis, & arteriarum contractionem conjunctam cum ſanguine craſſo, viſcido, & lento, cujus craſſitiem, viſciditatem, & lentorem ſolvere poſſit, producere primum frigus, deinde calorem: conjunctam cum ſanguinis craſſitie, viſciditate, & lentore, quem ſolvere nulla ratione poſſit, aut ubi jam ſolutus ſit, ſtatim reficiatur, perpetuum frigus creare: conjunctam cum ſanguine partim craſſo, partim fluido, vel caloris, & frigoris inſultus alternos, vel aliarum partium calorem, aliarum frigus, vel calorem, & frigus in una eademque parte excitare. Quid ultra a nobis expectandum erat in altera febris cauſa aſſignanda? Quid enim aliud variæ ſanguinis conſtitutionis nomine veniat, quam aut craſſities, viſciditas, aut lentor, aut naturalis fluiditas, aut ejuſdem diſſolutio, aut ea dyſcraſia per quam aliæ partes plus æquo craſſæ ſunt, aliæ vero fluidæ, & ſolutæ?

Ob auctum ſpirituum Animalium motum. Licet Cor a ſanguine arterioſo, & ſpiriti-

ritibus Animalibus moveri diximus, ſpiritus tamen Animales principes eſſe Cordis motores demonſtratum eſt. Ubi vero ſpiritus Animales in muſculares Cordis fibras concitato motu illabantur, non inconcinno tamen, & irregulari velociorem quidem ejuſdem contractionem excitari, cæterorum autem muſculorum æquilibrio permanente corpus convulſivis motibus minime exerceri. Quid opus erat pluribus, ut febris cauſam inveniremus, cui tertius eſſet aſſignandus locus?

Dicitur demum *ab inſueta vi præſentis ſtimuli excitata*, quo ſpectant præſertim vitia fluidorum, ſolidorumque, ut omnes eas cauſas complectamur, quæ ſpiritibus Animalibus infeſtæ, eoſdem quoque in concitatum motum agere valent, & remotiſſime ad omnia febris ſymptomata producenda, ſeu quod eodem recidit ad febrem excitandam conſpirant.

IX. *Nemo dixerit, qui cauſam proximam ſedulo perpendat, quam partim ab Archibaldo Pitcarnio, qui febrem in circulatione ſanguinis per æqualia temporis intervalla æqualiter aucta* &c. Mirum fortaſſe cuipiam videri poterit me poſt alios fere innumeros, qui claris editis ingenii, & doctrinæ monumentis omni ævo floruerunt, eximios viros, febrem longe diverſa ratione, ac ipſi præſtiterunt, deſcripſiſſe. Verum is minus mirabitur, qui poſito tantiſper ſupercilio animadvertat me inauditum nihil, nihil plane quod illorum conjecturis, ac doctrinis, qui hactenus in febris definitione tradenda enituerunt, minime reſpondeat, ſcripſiſſe nihil quod ab illis prius excogitatum non fuerit, atque condigna oratione hominum memoriæ relictum: ordinem ſolum in iis utendo ſervaviſſe, quem tamquam inutilem negligentes, atque vera a falſis minime decernentes, qui ineditis, altis, ſubtilibuſque ſpeculationibus dediti famæ celebritatem comparare ſibi rei novitate ſtuduere, Medicos ſuis florentes temporibus non ſolum ab errore minime abduxerunt, ſed novam deinceps aliis, aliiſque cauſam errandi præbuerunt. Quid quod diligenter id tenens, ſimultates graviſſimas effugiam, eorumque benevolentiam, qui cum Veteribus, Recentioribus, Moderniſque Scriptoribus aliter febrem deſcripſerunt amittere nulla plane ratione valeam, cum eorum ſententiæ meæ potiſſimum jecerint fundamenta? Et ſane quid pro aucta circulatione ſanguinis commentus non eſt Pitcarnius, (*r*) qui Barbette doctrinam de febribus illuſtrans per vocem febris intelligit velocitatem circulationis uniformiter auctam, ideſt auctam æqualiter per æqualia temporis intervalla? Febrem autem ita definitam ſimplicem eſſe ait, & unius tantum periodi ſive legitimam, exquiſitam, & veram, cumque nullo alio morbo conjunctam, additque ſemper hujus febris comitem eſſe rareſcentiam ſanguinis, eamque vel tamquam cauſam, vel tamquam effectum; & quidem tamquam effectum, auctus ſanguinis motus rareſcentiam facit, dum ſanguis ex anguſtioribus arteriolis in ampliores venas transfunditur; tamquam cauſam ſero, quia rareſcentia quocumque morbo in ſanguinem inducta efficit, ut e laxiore ejus compage facilius in Cerebro ſpiritus ſecernantur, ſeu minore temporis ſpatio, qui propterea frequentius in Cor defluentes contractiones ejus ſollicitet, unde expulſio ſanguinis, pulſuſque fiat frequentior. Hanc febrem quam legitimam vocat ſine frigore, & rigore invadere, atque unius eſſe periodi exiſtimat, hinc nullam dari febrem algidam, & ſi datur, uti alias a circulatione ſanguinis nimis aucta originem mutuari. Quod ſi febris periodum aliquam habeat, eam non ſimplicem febrem eſſe, ſed alii morbo adhærentem. Hunc autem morbum a Cordis, & ſanguinis motu aucto, auctaque rareſcentia diſtinctum, eſſe ſanguinis craſſitudinem, & lentorem, pro cujus vario genio febris periodos varias eſſe, ac conſtituere febrem continuam, ſi nullum ſit tempus inter ipſam a morbo immune, vel intermittentem, ſi aliquod ſit tempus inter periodos a morbo febrem excitante, a febre prorſus immu-

(*r*) *Elem. Medic. lib.* 2. *cap.* 1.

mune. Lentoris hujuſce indicia haberi ex iis, quæ in febribus intermittentibus in ſingularum periodorum initiis obſervantur, ſymptomatibus, corporis ſcilicet gravitate, & inertia, frigore præſertim ad extrema, pulſu parvo, quæ omnia optime intelliguntur poſita ſanguinis craſſitudine ad capillaria vaſa influentis, quemadmodum facile eſt intelligere, quare dicta ſymptomata excipiat calor ſenſim augeſcens, & reliqua omnia, quæ in augmento, & ſtatu paroxyſmi obſervantur, & quare hic ſudore oborto finiatur: traducto enim lentore e capillaribus arteriis in venas ampliores, circulationis motus ſenſim augetur una cum ſanguinis rareſcentia, quapropter comminutis craſſioribus particulis capillarium vaſorum extrema obruentibus, ſudor emanat, ſolviturque paroxyſmus, ut multo fuſius, & luculentius Bellinus demonſtravit, a quo Pitcarnius, quæ de febrium periodis proponit omnia fere deſumpſit. Sed de his erit infra dicendi locus.

Partim a Jacobo Sylvio, qui a circulatione ſanguinis nimis ſegni & tarda repetit depromptam viderit. Contraria Jacobi Sylvii opinio, (ſ) qui cauſam febris proximam, & continentem circulationem ſanguinis nimis ſegnem, & tardam ſuſtinet, quantum mihi ex ejus opere conjicere licuit hiſce potiſſimum nititur fundamentis: Sanguis, inquit, ob turbatam mixtionem lenteſcit, craſſus fit viſcidusque tarde propterea per vaſa ſegniterque moveri neceſſe eſt, hinc parum & in ventriculis Cordis, & in vaſis ſanguiferis rarefieri, expandi: parum expanſum ſanguinem ventriculos Cordis parum dilatare, his parum dilatatis parva ſanguinis quantitate opus eſſe ad ſe contrahendum, frequentius propterea eoſdem contrahi, ac pulſus frequentiam excitari inter febris affectiones facile principem. Cum vero a ſanguine craſſo, viſcido, & lento igneæ, ſulphureæque particulæ, quibus exaltatis, exſolutiſque in aliqua parte opus eſt ad calorem efficiendum, coerceantur, ut ipſius utar verbis, ſuffocenturque, parum earumdem a ſanguine expediri poſſunt, hinc frigus, quod in febribus contingit, præſto eſt. Frigus non alia de cauſa calor præternaturalis excipere ſolet, niſi quod ſanguis, qui in ventriculis Cordis, vaſiſque ſanguiferis ſegniter movetur, fermentationem ſuſcipit præternaturalem plus æquo validum, vehementemque, qua fit ut injectæ particulæ igneæ, ac ſulphureæ exſolvantur non ſolum, ſed parietibus vaſorum tenaciter adhæreant, eoſque majorem, in modum calefaciant, unde calor moleſtiſſimus exoritur. En febris ſymptomata, en febrem ipſam a circulatione ſanguinis nimis ſegni, & tarda prodeuntem.

X. *Si Pitcarnius animadvertiſſet quanti facienda ſit Galenicorum ſententia, qui putant proximam febris cauſam eſſe calorem &c.* Cum de maxime propriis febrium affectionibus ageremus, febris naturam juxta Veterum ſententiam contemplati ſumus, quam unanimi conſenſu in calida totius corporis intemperie poſuerunt. (t) Propterea febris a Sennerto ex Galeno, & qui Galenum ſequuti ſunt ſententia traditam definitionem referre operæ pretium duximus, quæ in hunc fere modum ſe habet: *Febris eſt intemperies calida totius corporis a calore præter naturam in corde accenſo, & mediantibus ſpiritibus, & ſanguine per venas, & arterias in totum corpus diffuſo ortum habens, functioneſque naturales lædens.* Hunce eumdem calorem, quem pro ſigno pathognomonico febris habebant, velut illud, cui id abeſt, quod maximum falſitatis indicium eſt, ut cum frequentibus, certiſſimiſque obſervationibus non conſentiat, ex eorum cenſu, quæ proprium febris criterium conſtituunt, ejiciendum eſſe diximus: Dari ſiquidem Algidas, Caſtrenſes, Syncopales, Lacteas, & lentas omnes, & Malignas nullo infeſto calore ægris moleſtas; dari morbos, quos moleſtos reddit calor, non febris, dari de-

(ſ) *Lib. cui titul. noviſſima idea de febr. &c. Auct. Jac. Sylvio.*
(t) *Com. in aph. 3.*

ri demum febres , quas notas facit initio ſtatim frigus , calor ſolum , cum orta eſt febris : nullam dari Algidam , & frigus initio febris invadens a febre diſtinctum eſſe velle , ridiculum plane videri. Quid quod idem præternaturalis calor in univerſum corpus diffuſus neque febris cauſa ulla ratione eſſe poſſit , ſed tantum nonnullarum effectum? Si nempe calor ejuſmodi proxima eſſet febris cauſa, nonne febris quæcumque ſine frigore invaderet , atque nullum eſſet febris tempus , quo frigore , horrore , rigoreque ægrotantes corriperentur? Ecquis vero neſciat in Algidis , in principio intermittentium febrium , & multarum continuarum non calore , ſed frigore , horrore , rigoreque corripi ægrotantes? Algidas dari febres nemo ſit , qui juratus non credat , ut adverſus Galenicos teſtimonio Hippocratis , Avicennę , Helmontii , Franciſci Deleboe Sylvii , Etmulleri præcitato loco oſtendimus. Quamquam quo majorem opinioni fidem faciam , alia in promptu ſunt. Licet enim haud inficiaverim nonnullas dari febres , quæ frigidis potionibus , aliiſque refrigerantibus remediis profligantur , quibus fere rationum momentis uti ſolent ad calorem illum ſuum a cæterorum contemptu vindicandum , plurimas tamen æque curari calidis , & reſolventibus tam certum eſt , quam quod certiſſimum , calorem præter naturam non febris cauſam eſſe , ſed multarum effectum argumento pręclariſſimo ; cujuſce argumenti auctor fere eſt Hippocrates (*u*) affirmans nonnullas febres non frigidis , ſed calidis medicamentis feliciter debellari, caloremque eaſdem febres comitantem non tamquam cauſam , ſed tamquam ſignum eſſe accipiendum. Quo loco minus mirari ſubit Galenum contra opinionem Hippocratis pugnaſſe. Cum enim Medicinam conſtituiſſet ex quatuor qualitatibus calore ſcilicet , frigore , humiditate , & ſiccitate, cum propterea medendi methodum cum calore habito febris cauſa conciliare non potuiſſet , locum illum haud eſſe Hippocratis affirmare non dubitavit , quamvis revera ejuſdem eſſe , & Proſperi Martiani libri , & dicendi genus adeo clare evincant , ut nullus relinquatur ſuſpicioni locus. Sed cur hiſce rationibus an veris , an falſis diutius immoramur , ſi olim jam Helmontius , qui ſuo tempore vigentes opiniones ſubvertere conatus eſt , ut egregie notat Cl. Van-ſvvieten (*x*) febrem definiri non poſſe per calorem præter naturam demonſtravit? Utinam aliam diverſam ab illa ipſe excogitaſſet , quam in Archeo Cordis furente poſuit , ut aliquid moleſtum , vel nociturum in corpore expelleretur , vel ſaltem ſic mutaretur , ut non noceret amplius. Licet enim apte Helmontius dicat (*z*): *Nimirum cauſa peccans in febre non calet ex ſe : calefacit autem tantum occaſionaliter , & ad ſpinæ , ſive cauſæ occaſionalis evulſionem ſequitur ſanitas . Solus ubique Archeus effective febrim concitat , & quo abeunte per mortem ceſſat cum eo febris. Ergo calor eſt accidens poſterius , & ſubſequens ad febris eſſentiam &c.* Eum tamen redarguit Archei excandeſcentiam , ſeu iram omnibus non ineſſe febribus , neque omni tempore veluti cum corpus frigore mulctatur , pulſus languidus , ſpiritus ſegnes , & quaſi ſopiti ; deinde indignationem, *quæ affectio animi eſt formalem affectus corporis* , *qualis eſt febris rationem adumbrare* , *hoc eſt* , *quod jure meritiſſimo* damnat Cl. Leal. Leali in ſua hebdomada febrili (*a*).

Cum quibus fere conſentit , *in quas propterea incidat difficultates*, *quæ contra Galenicos afferri ſolent*. Aſſequi nulla ratione poſſum , quomodo Pitcarnius acris ingenii vir novum quodpiam , & a Galenica diverſam hypotheſim fingat , cum ab eadem parum , aut nihil omnino differat , neque aliis rationibus præter eas quas a Galenicis accipit , utatur. Putant Galenici proximam , & continentem, febris cauſam eſſe calorem præter naturam in univerſum corpus diffuſum : ſcilicet effe-

(*u*) *Lib. de veter. medicin.* 3. *cap.* 3. *ſect.* 5.
(*x*) *Com. in aph. Boer.* 580. (*z*) *De febr. cap.* 1. *n.* 29.
(*a*) *Dial.* 2. *pag.* 116.

effectum auctæ circulationis ſanguinis. Vult Pitcarnius eſſe circulationem ſanguinis per æqualia temporis intervalla æqualiter auctam, quæ eſt cauſa præternaturalis caloris. Illi ſolo calore utentes in febrium affectionibus explicandis hærere coacti ſunt, hinc frigus a febre diſtinctum eſſe haud dubie affirmarunt, Algidam dari febrem ſunt inficiati. Pervidens Pitcarnius hærere debere hac in eadem re per auctam ſuam ſanguinis circulationem, morbum febri adhærentem invexit. Fateor me juſtis laudibus æquare non valere callidum præclariſſimi viri artificium, quo hæc politioribus, ac cultioribus Medicis a rancidis Galenicorum doctrinis cane pejus, & angue abhorrentibus perſuadere ſtuduit; pareat tamen ſi ejus ſententiam non ſolum Galenicorum ſententiæ comparandam eſſe ſentio, ſed iiſdem fere rationum momentis refelli, atque penitus everti poſſe contendo. Et vero quot febres, quot febrium tempora, in quibus non auctam, ſed diminutam ſanguinis circulationem deprehendimus? Perpende quęſo Algidas, Intermittentium omnium, & nonnullarum continuarum initia contemplare, & ſi licet periculum facere (experimentum certe per mortem agere non licet) ſanguinem e ſecta vena detrahi impera: quem vadem non demus, nihil omnino, aut ſparum ejuſdem lato quantumvis vulnere inflicto per lanceolam venæ, effluere? Ecquis vero vel rudioris ingenii ſuaderi poterit aucta ſanguinis circulatione pleno gurgite exire ſanguinem non poſſe, & uſque ad animi deliquium? Diminutam hinc eſſe ſanguinis circulationem ſegnem, & tardam, ac propterea auctam eamdem tamquam unicam febris cauſam eſſe prorſus rejiciendam manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Cui quidem opinioni hoc etiam unum aut alterum maximum robur addit, quod cum multis, ac frequentibus, tum certis, ac conſtantibus obſervationibus compertum eſt, febres attenuantibus, incidentibus, diaphoreticis, diureticis, amaris, amaro-acribus, venæ ſectione ſæpe tuto feliciterque profligari. Incidentia vero, attenuantia, an alia ratione operari credas præter eam, quam largita eſt natura ſalinis particulis, quibus eadem fæta ſunt, quęque ſpiſſos humores acutis ſuis ſpiculis incidunt, & ſolidas partes ſtimulando in crebriores, vehementiores contractiones agunt, unde ſanguinis circulationem augeri contingit humoreſque hac ratione fluxiliores reddi? Neque plane diverſum cenſeas diureticorum operandi modum, ſi copioſas potiones excipias, aquam ſimplicem, & ſimilia quæ feri majorem copiam in ſanguinem invehendo urinam copioſam faciunt, aut acida ſive vegetabilia, ſive mineralia, quę ſanguinis partes figendo, & ejus texturam quaſi conſtringendo efficiunt, ut ſeroſa pars ab aliis ſecedat, aut renalibus glandulis, tubuliſque aptetur, ac facilius per renes, ac veſicam elabatur. Cætera enim ſanguinem attenuando, ejuſque craſſiores partes incidendo, atque reſolvendo, ſive ſanguinem ipſum exagitando, ejuſque circuitum accelerando faciant, quod ſulphura præſertim præſtant, ſive ſcindendo, penetrando, atque in arctam humorum texturam ſeſe inſinuando, quod ſales, ſeroſi lacticis fluxum movere, atque hac ratione noxias, atque incongruas particulas ſanguinis circulationem pervertentes, unde febres, extra corporis confinia per urinæ vias educere valent. Si de diaphoreticis ſermo ſit, ecquis neſciat inſigni pollere virtute ad heterogenea quæque, omneſque impuritates eliminandas e ſanguine, ut totus in ſua craſi depuratus febri excitandæ opportuniſſimam materiam tollat, ſanguinis motum accelerando, tenuitatem, fluiditatemque conciliando, curſum ejus per exiliſſimos quoſque corporis meatus promovendo? Virtus hæc maxime elucet in amaris, amaro-acribus, ſubtili oleo, ac penetranti fœtis, propterea maxima vi ſtimulandi, & fibras in motum adigendi præditis, atque hinc ſanguinis humorumque circuitum accelerandi: unde ſalubre practicorum conſilium nonniſi præmiſſis iis, quę humores ad fluendum, ſolidas partes ad inſignes contractiones feren-

rendas diſpoſuerint ea in uſum vocare, ne inflammationes, vaſorum rupturæ, aliaque ſimilia mala contingant. Venæ ſectio demum cur ſpiſſitudine humorum peccante, atque hinc prodeunte ſegni, & tardo eorumdem motu, congeſtione, infarctu celebrari ſolet, quam ut imminuta ſanguinis mole imminuatur etiam reſiſtentia, quam viribus illam moventibus illa ipſa qualitas afferebat, Cor hinc, arteriæ, & partium, intra quas ſanguiferi canales excurrunt, motrices fibræ promptius, ac validius ſeſe contrahant, hiſce autem validius contractis reliqua a venæ ſectione ſanguinis maſſa propellatur, exagitetur, unde lentæ, ac difficiles particulæ alicubi impactæ, cohærenteſque mutuum contactum amittant, a vaſorum anguſtiis excutiantur, & magis, magiſque diviſæ attenuentur, ad motum expeditiores reddantur, ſeu quod eodem recidit ſanguis fluxilis reddatur, ejuſque circularis motus augeatur? Facile conjicio jam non defuturos, quibus hæc differendi ratio diſpliceat, iis præſertim qui Pitcarnii doctrinis optime inſtructi ad haſce difficultates reſpondiſſe cognitum habent, planeque perſpectum, aſſerentem in primis remediis attenuantibus, incidentibus, diaphoreticis, diureticis, amaris, amaro-acribus, & ejuſmodi aliis non febrem, ſed morbum febri adhærentem profligari: detractionem vero ſanguinis augere ſanguinis circulationem uſque dum celebratur, paulo vero poſt eamdem imminuere, ac propterea febribus opitulari. Verum quanta in obſcuritate verſentur dici vix poteſt, putantes Pitcarnium difficultates effugere, cum in eaſdem tamen inciderit. Cum enim eſſentiam febris in aucta ſanguinis circulatione conſtituat, proclive omnino eſt credere incidentia, attenuantia, diuretica, diaphoretica, aliaque id genus medicamenta morbo quidem febri adhærenti opem ferre, nihilominus tamen minime recedere a virtute ſua ſanguinis circuitum accelerandi, atque hinc febris exacerbandæ. Aucta enim cauſa, augeri etiam effectum lippis æque, ac tonſoribus notiſſimum eſt. Præterea Pitcarnio etiam indulgere volo affirmanti detractionem ſanguinis uſque dum celebratur augere ſanguinis circulationem, paulo vero poſt imminuere, at illud concedat ipſe neceſſe eſt, haud infrequenter accidere, ut non ſolum eo tempore quo celebratur, ſed poſtquam celebrata jam eſt venæ ſectio, imminuatur, & augeatur eadem ipſa ſanguinis circulatio pro varia corporis conſtitutione ac virium robore. Animadverſione digna hoc loco eſt ſalubris illa diviſio in virium debilitatem, ut ajunt Practici, a reſolutione, & illam alteram, quæ fit per ſuffocationem. Ut enim in illa venæ ſectione ſanguinis circulatio ante, & poſt ejuſdem celebrationem compeſcitur, ita in hac majorem in modum promovetur. Pendet nimirum illa a ſpirituum Animalium, & cruoris inopia, atque inde fibrarum motricium languore, & in ſenibus plerunque, aut iis qui diuturnis exercentur morbis contingit: hæc vero potius a nimia plenitudine fibrarumque diſtractione, quæ propterea illis regendis, ac debita velocitate pellendis pares non ſunt, & iis ſolet accidere, qui plethora vere laborant, ſeu ſanguinem revera multum in vaſis continent a nutrimenti copia, vel a ſuppreſſis evacuationibus cumulatum, aut qui plethora apparente, ſeu ſanguinem habent orgaſmo nimium rareſcentem, vel conſuetam menſuram excedentem ratione conſuetudinis moleſtiam in ſubjectis præſertim delicatioribus facientem. Quare ſicut in priore caſu venæ ſectione, ſpiritus, humoreſque magis depauperantur, ac conſequenter ſanguinis circulatio ſiſtitur, aut maxime retardatur, ita in ſecundo reſiſtentia imminuta, vaſiſque depletis ob imminutam materiam, aut molem ſanguinis, fibræ motrices ad priſtinum elaterii ſui exercitium reſtituuntur: ut in elaſticis contingit, quæ nimium diſtracta ad ſeſe reſtituendum inepta evadunt, diſtenſione vero ceſſante, qua eorum fibræ infirmabantur, expeditiora redduntur. Hinc promptius, & validius ſeſe contrahentibus, validius ſanguinem impelli contingit, ejus propterea circulationem accelerari.

rari. Quid quod oppugnari etiam poſſit hæc Pitcarnii opinio, ipſa ipſius diviſione, quam tradit febris puræ ſimplicis, & ſincerę, nullique morbo adhærentis in febrem Ephemeram, Synochum non putrem, & Synochum putrem? Cum enim in ephemera non adſit plethora neque vera, neque apparens, in Synocho non putri adſit plethora apparens, ita ut præ mole rareſcentis ſanguinis vaſa mirum in modum diſtendentis inflatoria dicatur, in Synocho putri adſit ſaltem plethora apparens, cumque ſanguis in hiſce febribus fluxilis ſit, tenuis, ac ſolutus, ac propterea materiam, ſpiritibus præbeat convenientiſſimam, a quibus fibrarum motricium robur, energia, & expeditiſſima ad circularem motum promovendum aptitudo, intelligi ſatis clare non poteſt, quomodo detractio ſanguinis ejuſmodi febribus prodeſſe valeat, quando ejus circulationem, in cujus velocitate majore earumdem eſſentiam conſtituit, augere potius debet, quam imminuere. Cum vero quotidiana experientia conſtet poſt detractionem ſanguinis in ejuſmodi febribus ejus curſum retardari, inquiet aliquis, ad meliores alias cauſas hujuſce motus retardationis confugias neceſſe eſt, in quas priore relicta a Pitcarnio indicata pedibus iturus ſis. Recte. Eas ſuo loco afferemus.

Quaſque contradictiones involvat Algidam febrem excludens vel eamdem ab aucta ſanguinis circulatione repetens. Quemadmodum non ſine admiratione accepi Pitcarnium hypotheſim a Galenica parum, aut nihil diverſam finxiſſe, neque longius progreſſum vidiſſe iiſdem fere rationum momentis ejici poſſe, ac radicitus evelli, ita acquieſcere non poſſum in tanta demum, & tam multarum rerum, quas Veteres aut ignorabant, aut cum multis ac frequentibus, tum certis ac conſtantibus obſervationibus confirmata minime habebant, cognitione, fuiſſe deceptum de Algida febre, quam Hippocrates, Avicenas Helmontius, Franciſcus Deleboe Sylvius, Etmullerus, aliique cognoverunt, majorem in modum ſuſpicantem, vel eamdem ab aucta ſanguinis circulatione, a qua cæteras omnes febres repetit, oriri inconſulte ſuſtinentem. Nos enim ubi in contrariam imus ſententiam, ſic ab eo diſſentimus, quemadmodum ille diſſentit a veritate. Licet enim a Pitcarnio ſimus, calorem moleſtum, qui in febribus percipi ſolet ab unica cauſa pendere, ſcilicet aucta ſanguinis circuitione, illud tamen neque ipſe inficiaverit frigus, horrorem rigoremque a contraria cauſa circulatione ſanguinis nimis ſegni, & tarda eſſe repetendam. Cum vero febre Algida laborantes totius corporis frigore corripiantur, qui a tarda, ſegnique ſanguinis circulatione ortum traducit, Algida e contra juxta Pitcarnium a circulatione aucta, velociorique proficiſcatur, conſequens illud eſt, ut duo de eodem ſubjecto, ut ajunt fere Logici, toto Cœlo diverſa prædicentur, quæ inſignem faciunt contradictionem. Cui fere ſimilem involvit, dum comitem febris morbum in ſcenam mittit, qui morbus a Cordis, & ſanguinis moto aucto, auctaque rareſcentia diſtinctus nihil aliud eſt, ſi ipſum audimus, quam ſanguinis craſſitudo, & lentor, pro cujus vario genio, febris periodos varias conſtituit, ac propterea pronuntiare minime dubitavit frigus, horrorem, rigoremque, quæ in febrium initiis obſervantur, non eſſe febris ſignum, ſed ſignum morbi febri adjuncti, lentoris ſcilicet, & viſciditatis ſanguinis, minus accurate perpendens viſciditate, & lentore ſanguinis circulationem quoque, quam auctam prætendit, cohiberi oportere. Quæ rationes tantę ſunt, ut quemque facile movere poſſint ad vehementer credendum auctam ſanguinis circulationem pro cauſa febris proxima a Pitcarnio, unice acceptam non ſolum veram non eſſe (quænam autem ejuſcemodi?) Sed ne ſimilem quidem eorum, quæ vera eſſe putantur.

II. *Neque Jacobus Sylvius ſuam illam nimis ſegnem, & tardam pro unica febris cauſa habuiſſet, ſi ſedulo perpendiſſet quot ſunt febres in quibus &c.* Sed jam ad Jacobum Sylvium ventum eſt, deque ipſius hypotheſi primum ſolliciti, utrum

ad veritatem propius accedat perquirendum. Id vero nulla meliori ratione aſſequi nos poſſe perſpicuum eſt, quam febrium provinciam percurrendo, inquirendoque diligenter pro ingenii modulo, num febris ſit aliqua, num aliquod febris tempus, quo ſanguis nimia velocitate moveatur. Id enim ubi invenerimus, Sylvii ſententiam per ſe corruere adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Quantęquæque vero febres ſunt, in quibus ſanguis ocyus quam par eſt movetur, quantaquæque febrium tempora, in quibus eadem plus minus auctæ velocitatis ratio ſervatur? Synochus putris, & imputris, febris ardens in promptu ſunt, quas magnitudo pulſus, ac celeritas inſignis ab earumdem invaſione ad finem uſque comitatur. Ecquid enim pulſus magnitudo arguit, ac celeritas, niſi ſanguinem & velocius, & uberius ab arteriis trajici in venas, ab his in ventriculos, & auriculas Cordis, ſeu circularem ſanguinis motum augeri? Cum eamdem pulſus magnitudinem, ac celeritatem in intermittentium, & plerarumque continuarum vigore deprehendere liceat, an veritati conſentaneum minime videatur, illam ipſam velociorem ſanguinis circulationem eaſdem fovere? Circulationem hinc ſanguinis ſegnem, & tardam unicam febris cauſam eſſe non poſſe tam manifeſtum eſt, quam quod manifeſtiſſimum. Deinceps qua ratione, aut modo dicemus fieri, ut febres pleræque iis remediis egegie profligentur, quæ circulationem ſanguinis ſiſtunt, aut morantur? Ejuſmodi ſunt frigida potio, quæ ab Hippocrate (*d*) & Galeno, (*e*) tantopere commendatur adverſus febrem ardentem, & quam quotidiana experientia confirmat iis morbis egregie opitulari, quæ a bilis acrimonia proficiſcuntur. Quid de acidis, nitratis, & refrigerantibus dicam, quiete, ſomno, aliiſque, quibus Ephemeras a nimia exercitatione, ab inſolatu oriundas curari tum Hippocrates, & Galenus, tum Avicennas ipſe teſtatus eſt? An putabimus frigidæ aquæ potum alia ratione operari præter eam, quam largitur natura nitroſis particulis, quibus referta eſt, quæque nimiam ſanguinis, humorumque exſolutionem, fuſionemque compeſcere valent, ſolidas vero partes conſtringendo, crebrioribus, vehementioribuſque contractionibus ineptas conſtituere, unde illos figi, cogi, & condenſari contingit, circularem eorumdem motum ſiſti, aut maximopere retardari? Salubre hinc accuratiorum practicorum conſilium aquam frigidam iis eſſe interdicendam, in quos ſuſpicio cadit de viſcerum inflammatione, aut ſchyroſo tumore, quæ remorata ſanguinis circulatione majorem in modum intendi ſolent, aut foveri, & confirmari: ſapienter præterea prudenterque pro more ſenſiſſe Hippocratem, qui multum aquę frigidæ, & confeſtim frigidæ, vel externe ſolum applicandæ prohibuit valde timens, ne vaſa convellantur, ſanguis congeletur, atque æger in mortis diſcrimen adducatur, quemadmodum iis accidiſſe novimus, qui valde calentes aquam nive perfrigeratam, vel aliam ſimilem frigidam potionem hauriunt, ut Rhobertus Boyle egregie animadvertit (*f*). Neque plane diverſum cenſeas acidorum agendi modum, & quæ nitrata dicuntur. Illa enim ſive vegetabilia ſint, ſive mineralis ſanguinis partes figendo, & ejus quaſi texturam conſtringendo, hæc ſanguinis motum compeſcendo, fervoremque temperando efficiunt, ut velocius quam par eſt ſanguifera vaſa percurrenti, unde febris exoritur, placida exoptanda tranquillitas concilietur. Somnum demum quod ſpectat, ecquis neſciat nervos omnes, & reliquas motrices fibras debito ſpirituum copia defraudari, unde exinanita exiliſſima vaſcula collabi, exteriorum ſenſuum motuumque a voluntate pendentium organa expedite, ac facile actiones ſuas exercere non poſſe, quo ſenſus externos, motuſque voluntarios primum langueſcere con-

tin-

(*d*) *Experim. philoſ.*
(*e*) *Com. in aph.* 6.
(*f*) *Com. in aph. Boer.* 584.

ſtingit, mox deſinere, organa iiſdem deſtinata flaceſcere, relaxari, paralytica fieri, hinc magna celeritate per extrema quæque vaſcula univerſi corporis fluentem ſanguinem nonnihil ſiſti, placidam, æquabilem, naturalemque circulationem eidem conciliari? Quæ cum ita ſint perperam ſibi in animum induxiſſe Jacobum Sylvium, febrem a ſegni, ac tarda circulatione repetendam eſſe, manifeſtius, quidem eſt, quam ut ullis egeat demonſtrationibus.

Et quam aleæ plenum ſit omnia febris ſymptomata viſcido, coactoque ſanguine, atque hinc prodeunte præternaturali fermentatione explicare. Hanc quidem Sylvii hypotheſim cum mihi ea primo cognita eſt fateor parum placuiſſe, ſive quod revera habeat cur placere non debeat, ſive quod fundamenta, quibus ſuperſtructa eſt ineptis rationibus ſint innixa, iiſque jactis cuncta febris phænomena, nec ſatis intelligi, nec apte explicari poſſint. Cum enim dicit ſanguinem craſſum, viſcidum, & lentum, quique ſegniter per vaſa movetur, in ventriculis Cordis parum rareſcere, parumque ipſius ventriculos dilatare, hiſce vero parum expanſis, parva opus eſſe ſanguinis quantitate ad ſe contrahendum, atque hinc evenire, ut Cor in febre velocius moveatur concludit, & falſa eum ſentire, & ignorare prorſus, quæ ſcitu neceſſaria ſunt, cenſendum eſt. Primum enim in pleriſque febribus pulſus magnitudinem, & celeritatem ſimul deprehendere licet: ecquid vero aliud arguit pulſus magnitudo præter inſignem Cordis dilatationem, qua multum ſanguinis in ejus ventriculos, & auriculas ingreditur, quin ne vel minime quidem eadem impediat, quominus & frequens pulſus evadat. Quæ ratio vel una ſatis valere poteſt ad demonſtrandum parvam Cordis dilatationem crebriori ejuſdem contractioni anſam minime præbere. Multo minus ſi in memoriam revocentur, quæ ſupra a nobis dicta ſunt, cauſam videlicet velocioris Cordis contractionis in concitato ſpirituum Animalium motu in ejus fibras influentium eſſe agnoſcendam (*g*). Deinceps illud a Sylvio perlibenter ſcirem, qua ratione, aut modo fieri putet, ut pleræque febres, quas quotidiana experientia compertum eſt non alium inter initia comitem habere præter calorem, a craſſo iſto coactoque ſanguine proficiſcantur. Nam illud quidem intelligo craſſum, viſcidum, coactumque ſanguinem ſegniter per vaſa moveri, ac propterea igneas, ſulphureaſque particulas non ſolum in ea quantitate minime exſolvi, qua opus eſt ad calorem excitandum, ſed deprimi potius, ac coerceri unde contrarium effectum, nempe frigus exoriatur neceſſe eſt. Quoniam vero (quod diligenter tenendum) fatetur ipſe viſcidum, coactumque ſanguinem coercere, & ſuffocare, ut cum eo loquar, igneas, ſulphureaſque particulas, quomodo in principio in ea quantitate exſolvi queant, quæ ſatis ſit ad calorem excitandum aſſequi nulla ratione poſſum. Neque minus arduum, ac difficile explicatu videtur, quomodo calor etiam in vigore, & ſtatu ſolum ſuſcitetur, viſcido, coactoque permanente ſanguine. Cum enim dicit ſanguinem, qui ſegniter movetur fermentationem præternaturalem ſuſcipere, igneaſque, ac ſulphureas particulas hac ratione exſolvi, hinc calorem exoriri, dici vix poteſt quanta in obſcuritate verſetur. Nonne enim in varicibus, in aneuryſmatibus ſanguis aut plane conſiſtit in vaſis, aut ſegnius quam par eſt movetur, quin ullum fermentationis preternaturalis inditium præbeat? Alia quamplurima, quæ adverſus hanc eamdem ſententiam afferri poſſent ne repetendo longiora faciam, aut obſcuriora libens prætermitto, ac ſatis eſſe mihi facile in animum induco quæſtionem de proxima, & continente febris cauſa eo deduxiſſe, ut qui rationem ſe neſcire dolebant, propter quam neque Pitcarnio aſſentire voluerim judicanti eam in aucta ſanguinis circulatione eſſe agnoſcendam, neque Jacobo Sylvio in

 ſegni

(*g*) *Com. in aph.* 4.

ſegni nimis, & tarda conſtituenti, intelligerent, & quid cauſæ fuerit cur utramque ad rem difficillimam adhibuerim aperte cognoſcerent.

XII. *Si de remota cauſa ſermo ſit grates habendæ Hermanno Boerhaavio, qui Borelli doctrinam illuſtrans &c.* Alphonſus Borellus Scriptor elapſo ſæculo magni ſubſelii in aureo ſuo tractatu de motu Animalium, animadvertens febrem in quodam motu verſari, de ejuſdem eſſentia operæ pretium duxit, ut hypotheſim de re difficillima vel ipſe fingeret aliquam. Quapropter pervidens ex vehementi Cordis motione calorem in univerſo corpore augeri, ut in ira, & vehementi exercitatione contingit, contra vero imminuta Cordis agitatione corpus frigeſcere, quod timentibus accidere experimur, non alia opus eſſe cauſa exiſtimavit ad febrilem æſtum excitandum præter vehementem Cordis commotionem, quam manifeſto arguit pulſus frequentia, ac celeritas, quam cum Franciſco Deleboe Sylvio conſentiens proprium febris criterium, & ſignum pathognomonicum conſtituit. Id diligenter tenens Boerhaavius nihil fere velociori Cordis contractioni, quæ Borelli ſententia eſt, addidit præter humorum ſanguineorum ad extrema vaſcula ſtagnationem, qua opus ipſi fuit ad frigoris ſenſum, & cætera, quæ in febrium initiis obſervantur explicanda, quæ ſola velociore Cordis contractione explicare ſatis apte non poterat. Adeoque his duobus contractione videlicet Cordis velociore, auctaque ad capillaria vaſa reſiſtentia febris omnis acutæ ideam contineri affirmat, iiſque omnia febris phænomena intelligi poſſe, & explicari. Addit præterea velociorem Cordis contractionem, & auctam ad capillaria vaſa reſiſtentiam, modo ſimul haberi poſſe, modo ſeorſim, ubi tamen alterutra poſita fuerit facile & alteram ſequi; utriuſque demum cauſas infinitas propemodum eſſe poſſe, quas percenſere numerando in re propoſita minime expedit: de quibus tamen ſi quis curioſius doceri velit, adire poteſt Cl. Gerardum Vanſvvieten (*h*) qui eaſdem non ſolum percenſendo numeravit, ſed dicendo diligentiſſime explicavit. Solertiſſimo quidem viro digna ſententia. Ecquis enim non videt velociorem Cordis contractionem eam cauſam eſſe, quæ & ſemper in febre adſit, & cum ipſa tam arcte conjuncta, ut nulla proximior reperiri poſſe videatur, & plura febris phænomena una cum altera cauſa, reſiſtentia videlicet ad capillaria vaſa explicare poſſit? At quam optandum eſſet, ut aliquanto accuratius in ſuam inveſtigationem incubuiſſet. Sic enim ablata ab eodem fuiſſet omnis ſuſpicandi occaſio, utrum proxime febris ſymptomatis progignendis eſſet opportuna, an remote tantum, & ſanguinem ea ratione movendo, qua opus eſt vel ad majorem ſulphurearum, ac volatilium particularum ſecretionem a reliquarum nexu, exſolutionemque, unde calor, vel ad earumdem depreſſionem majorem quam naturæ ordo poſtulat, unde frigus excitatur, pervertendo demum circulationem ſanguinis naturalem, a qua caloris, & frigoris inſultus alterni, vel aliarum partium calor, aliarum frigus, vel calor, & frigus in una, & eadem parte proficiſcuntur, ut ſupra a nobis eſt demonſtratum (*i*).

XIII. *Quid pro ſpiritibus Animalibus animadverſione dignum non protulit Mortonus? &c.* Qui non perturbatam ſanguinis circulationem, non auctam Cordis contractionem, non ſanguinis vitium quodcumque fuerit, præcipuum febris ſubjectum conſtituunt, ii fere ad ſpiritus Animales confugiunt, eoſque in febribus præcipue vitiari, præcipuumque morbi ſubjectum eſſe contendunt. Neque ſane eos fallunt rationes multæ ab inſigni ſpirituum Animalium in omnes corporis partes fluidas pariter, ac ſolidas poteſtate potiſſimum ductæ, atque adeo ab inſignibus in ſanguinem mutationibus, quæ a ſolidis partibus induci poſſunt, quibus & motus & craſis ſanguinis majorem in modum perturbatur. Quod luculentiſſime ſiquid aliud confirmant graviora animi pathemata, ira præſertim, qua ſan-

(*h*) *De feb. in gen. cap.* 1. (*i*) *Chymic. tom.* 2. *proc.* 39.

ſanguis ita excandeſcit, ut febrire homo videatur. Luculenter id etiam oſtendunt morbi quamplures a male affectis nervis primum enati, a quibus ſanguis, & humorum craſis non raro pervertitur. Ejuſmodi ſunt hyſtericæ, atque hypochondriacæ affectiones, in quibus ſpiritus ut plurimum, & nervi primario læduntur: id, ut omnia paucis complectar, febres quamplures, quæ ſi Mortonum, cujus fere ſententiam recitamus, audimus, ab iis cauſis ortum traducunt, quæ afficere proximius ſpiritum valent, quam ſanguinem, ab animi videlicet graviori aliquo pathemate, ab aeris malignitate, a contagione, ac ſubtiliſſimorum corpuſculorum effluviis, quæ cum citiſſime corpus penetrant, homines quoque tanta vehementia non raro aggrediuntur, ut vix ſibi perſuadere poſſit, id a ſegni humorum maſſa tam ſubito oriri, qui ſuapte natura lenti ſunt, atque viſciduli, atque particulis craſſis conſtantes, & motum omnem ſuum aliunde mutuantibus, & quę longa egent præparatione, antequam in inſignem aliquam mutationem abire deprehendantur. Sed quod magis animadverſionem mereri videtur, in horum morborum initio prius affectorum nervorum, quam turbatæ craſeos inditia apparere; ſic pulſu nondum concitato improviſus capitis dolor exoritur, quem ſubita laſſitudo excipit, frequens oſcitatio, ſubitum demum frigus, horror, vigor, artuumque tremuli ac convulſivi motus, aliaque id genus, quæ non aptius, quam ad ſpiritus Animales male affectos referri poſſunt, ut præcipua febris phænomena, curationis modum, & regimen, quo in ipſis omnibus uti paſſim ſolent medentes ſilentio prætereara, quę cum ſententia de affecto nervorum ſyſtemate adeo perbelle congruunt, ut nihil magis. Mortonum (k) ſic conjicientem cum obſervationes primum omnium admonuerint, ad cauſam quoque, quia nervi, ſpirituſque Animales per ipſos excurrentes ſic afficiantur inveſtigandam rei dignitas excitavit. Itaque Ephemeras febres, quæ ab externa aliqua cauſa, & evidenti immediate producuntur, a mera ſpirituum agitatione, motuque nimis violento deduxit. Reliquas febres a veneno quodam oriri putat, quo ſpiritus Animales imbuantur, atque inficiantur. Pro vario itaque veneni genio, varie quoque ſpiritus agitari, & ſingulas febres peculiaribus Symptomatis ſtipari. Veneno iſto cum primum ſpiritus afficiuntur, hos veluti obrutos pulſus languorem, & parvitatem, corporis perfrigerationem, extremorum pallorem, horrorem, tremorem, laſſitudinem, oſcitationes, aliaque ejuſmodi febrium ſymptomata procreare. Collectis ſenſim viribus febrile fermentum invadere, unde inſignes tumultus, & luctam, ipſorum ſpirituum expanſionem oriri contingit, hinc totius corporis incaleſcentiam, ſitim, deliria, convulſiones, aliaque dire exercentia ſymptomata excitari. Jam vero ſpiritus hoſtis ſui victores tandem evadere, domitum illud extra corporis confinia educere, a tumultu ceſſare, & expanſione, hinc ęgrotanti placidam exoptandam tranquillitatem conciliari, febrem ſolius ope naturæ una cum ſymptomatibus ſedari primum, tandem omnino deſinere, vel per vim unius alicujus peculiaris antidoti, veneni naturæ plane contrario, cujuſmodi fere eſt Cortex Peruvianus, profligari. In qua quidem ſententia ſive expendenda, ſive refellenda non eſt cur multum ſtudii, atque laboris impendamus, cum ex iis, quæ ſupra conſtituimus liquido conſtet, male affectos ſpiritus Animales febri quidem excitandæ opportuniſſimos exiſtere, non proxime tamen ſed remotius, & velociori tantum Cordis contractioni tribuentes, a qua naturalis ſanguinis circulatio pervertitur, & in qua febris natura conſiſtit. Cum enim Cordis contractio ſit actio pure muſcularis, ab iis cauſis omnino dependet, a quibus reliquorum Muſculorum contractiones, ut ſupra oſtendimus. Has autem eſſe ſpirituum quidem, & ſanguinis in carneas fibras influxum, ſpiritus tamen principaliter agere; ideo concitatum eorumdem mo-

(*k*) *Com. in Aph.* 7.

motum, ſeu velociorem influxum licet remotiorem febris cauſam conſtituat, eam tamen facile principem obtinere locum cenſendum eſt, ut ſolertiſſimi viri Borellus, & Boerhaavius ſunt arbitrati. Utrum vero in concitatum motum agantur, ſeu velocior eorumdem influxus promoveatur peculiaris veneni, quo imbuantur, inficianturque, ſive extranei cujuſpiam corporis admixtione, quod cum mole minimum ſit ac tenuiſſimum, & homini maxime infenſum veneni nomine appellare cum Mortono non dubitarim, ſive quod magna ſit eorumdem copia, vel parva, ut nonnullis cum Bellino placet, ſit inter ejus partes cohæſio, vel demum quod ab acri aliquo Cordis fibræ, aliæque nerveæ, maximeque ſenſiles corporis partes mordeantur, vellicentur, aut alia ratione afficiantur, quæ ſpirituum Animalium turbas ciere valeat (qua in re minus longe procedens Boerhaavius in ſua cauſarum inveſtigatione defeciſſe videtur, ſuſpicandi occaſionem Medicis relinquens, utrum inter velociorem ſpirituum influxum, & eas, quas pro hujuſce cauſis proximis agnoſcit, alia quæpiam interjecta ſit, a qua idem velocior ſpirituum influxus in Cordis fibras, & alia quæ in febre obſervantur dependeant, quæ propterea pro ejus cauſa ſit ſtatuenda) non eſt hic decernendi locus. Curioſorum voluntatem explebimus prout res, & occaſio feret in remotiſſimis expendendis cauſis, quas mox aggredimur.

XIV. *Remotiſſimas tandem mirum dictu omnis Ævi Medicos attigiſſe. A. Veteres putredine illa ſua, quam ad corruptionem ſanguinis per coagulationem.* Veteres Medici cum in ea eſſent opinione, ut crederent cauſam febris proximam eſſe calorem in Corde, & ſpiritibus accenſum, tot mediatas febris cauſas conſtituebant, quot ſunt cauſæ, quibus calor in Corde, & ſpiritibus accenditur. Inter haſce humorum putredini principem locum aſſignarunt. Quæ ſententia diu in Galenicis Scholis florens advenientibus ſucceſſu temporis ſubtilioris ingenii Medicis tamquam fictitia, & a veritate alieniſſima exploſa tandem iiſdem ipſis argumentis, quibus oſtendere conabantur, putredinem humorum mediatam eſſe febris cauſam, quæque alia volens prætermitto. Illud enim aveo intelligere, an quiſpiam ſit (neminem autem eſſe in tanta Philoſophiæ, ac Medicinæ claritate crediderim) qui Veterum dicta magna erga ipſos veneratione proſequens, ſanguinem in aliqua parte ſtagnantem, in ſuppurationem abeuntem, cum putreſcente ſanguine confundat, atque hinc prodeuntem febrem ab ipſius putredine repetat. Dici enim vix poteſt, quanta in obſcuritate verſaretur, ſi adeſſet. Aliud enim putreſcere eſt, aliud corrumpi. Loci inflammati converſio in pus, concoctionis ſpecies eſt, non putredinis, eaque potiſſimum contingit, cum hærentis ſanguinis partes ſenſim a ſe mutuo ſolvuntur, atque ſecedunt, ſubtiliores avolant, craſſiores vero remanent, paulatimque corrumpuntur. Quę dum fiunt acres, volatiles, ſulphureas particulas exaltatas, atque in univerſam ſanguinis maſſam diffuſas agitationem ejuſque furorem augere contingit, hinc febrem, dolorem, aliaque ſymptomata procreare. Sanguis in vivis non tam facile putreſcit, neque eo putreſcente vires, & vita conſtare poteſt; putrefactione enim deſtruitur peculiaris, & propria rerum forma, tolliturque elaboratio ſanguinis, & ſpirituum Animalium pars, omniſque vitalis calor, & motus extinguitur; hinc ſi loco ſuppurationis, & boni ac laudabilis puris, putrefactio ſuperveniat, atque partes & membra inflammata gangræna, ac ſphacelus adoriatur omnino exanimari, & emori, nunquam rurſus ad vitæ actiones, & uſus traduci poſſe experientia compertum eſt, cum febre correpti non ſolum diutius vivant, ſed etiam ſæpenumero ad bene valendum diſponantur, ſanitatemque amiſſam magno cum fructu recuperent. Jam video quid ad hæc reſpondere velis, putredinis nempe loco vitium illud ſanguinis in ſubſtantia intelligendum eſſe, quod ejus corruptionem procreat. Si ita res habet, non erit cur pugnemus, atque in diverſam ab

illa

illa quam fere Veteres conceperunt ſententiam eamus, cum putredinem inter cauſas febris recenſuerunt. Sanguis enim tribus modis corrumpitur, vel per coagulationem, vel per diſſolutionem, vel coagulationem, & diſſolutionem ſimul. Si tenuiores ſanguinis partes a reliquis craſſioribus, & ad motum ferme ineptis, quæque in majores maſſulas concreſcunt, ſecedere contingat, vel corpuſcula eidem miſceri, quæ eorum maſſulas nectant, & cogant, corrumpi ſanguinem per coagulationem dicimus ejuſque coagulationis cauſas acida omnia, uti ſunt ſpiritus ſalis, aluminis, nitri, principem inter cætera obtinere locum facile deprehendes, illo excepto, quod a liquoribus fermentatis elicitur, aceto ſcilicet, quod acidum ne ſanguinem, cogere, ut communiter perhibetur exiſtimemus, monent nos Boerhaavii (*l*) experimenta, quibus compertum eſt ſanguinem ab eodem diſſolvi, quemadmodum docere olim viſi ſunt Hippocrates, eumque ſequuti judicantes, in iis morbis in quibus ſolutione ſanguinis opus eſt, aceto eſſe utendum, cujus propterea ſententiæ adverſus alios, qui contrariam ſuſtinent, defenſionem ſtrenue ſuſcepit. Cæterum cum nulla re magis, quam placida, & ordinata circulatione ſanguini debita, ac neceſſaria fluiditas concilietur, ea omnia quæ circulationem ſanguinis retardare valent coagulationi eidem producendæ opportuniſſima exiſtere perſpicuum eſt. Si acida ſint, quæ corruptionem ſanguinis per coagulationem efficiant, ecquis non videat nerveas fibras irritari oportere, ac morderi, atque velociorem ſpirituum Animalium motum excitari, Cordis, & arteriarum contractiones augeri, hinc febrem procreari? Si de retardato ſanguinis motu altera corruptionis cauſa ſermo ſit, vaſorum diſtenſionem præternaturalem fieri contingit, nerveaſque fibras, quibus eadem contexta ſunt ea affici ratione, qua opus eſt ad validiores tremores ſuſcipiendos, atque hinc ſpiritus Animales concitandos, unde crebrior Cordis contractio, & febris.

Vel per diſſolutionem. Si ſeroſæ, fibroſæ, rubræ ſanguinis maſſulę a ſe invicem ſegregentur, vel in ſua elementa ſalina, ſulphurea, terrea diluantur, corruptio ſanguinis per diſſolutionem ſuccedit, eamque gignunt in primis fortia acria, cum vegetabilia, tum mineralia, præſertim vero myaſmata acria, quæ vel a terræ viſceribus, vel a corruptis corporibus exhalantur, & vel per aerem, vel per contactum communicantur, ut ſupra a nobis dictum eſt (*m*). Fortia, inquam acria, ardente ſpiritu excepto, qui a liquoribus fermentatis extrahitur, a quo ſanguinem primum ſolvi, poſtea vero cogi, certiſſimis præſtantiſſimorum Chymicorum experimentis, Freindii (*n*), Pitcarnii, Boerhaavii compertum eſt: quæ cum id habeant, quod maximum veritatis inditium eſt, ut obſervationibus cum multis ac frequentibus, tum certis ac conſtantibus Practicorum reſpondeant, qui ab uſu immodico ardentis ſpiritus, homines ſummo calore æſtuantes, ac propterea inſignem ſanguinis velocitatem, tum ſucceſſu temporis morbos a coagulatione ſanguinis oriundos adnotarunt, nihil omnino eſt cur eadem nobis minime probentur, commendenturque. Solvunt deinceps ea omnia, quæ circuitionem ſanguinis ſupra modum accelerant. Ejuſmodi ſunt exercitationes, & motus corporis violenti, quibus ſanguinem magna pelli velocitate contingit, magnam ad latera attritionem pati, in ſua elementa reſtitui, ac colliquari, niſi forte tenuioribus, ſeroſiſque particulis exhalantibus, craſſiores ſolum remaneant, a quibus ſanguinem cogi ex accidenti neceſſe eſt. De fortibus acribus non eſt cur dicamus, cum nemo ignoret eadem vim inſigniter vellicandi, mordendi, ſolidas interdum partes corrodendi clara feciſſe. Concitari hinc ſpiritus animales, crebrioreſque Cordis, & arteriarum contractiones fieri manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Ad velociorem ſanguinis mo-

(*l*) *In emmenelog.* (*m*) *Elem. Medic. phyſ. mat. cap.* 5.
(*n*) *De virib. Medicam. cap.* 9.

motum quod ſpectat alteram diſſolutionis cauſam, præterquamquod nimis violenter a Corde profectus ſanguis violenter in ipſum revehitur, ac ventriculos Cordis plus æquo diſtendit, accedit præterea ſalia, ac ſulphura, quibus præditus eſt, motus vehementia facile exſolvi, ac volatilioribus exhalantibus particulis eam acrimoniam nanciſci, quæ vaſa ſanguifera, & Cor ipſum mordere valet, ſpiritusſque Animales in eas turbas agere, a quibus velocior Cordis contractio, atque hinc febris excitatur.

Vel coagulationem, & diſſolutionem ſimul. Si corpuſcula ſanguini miſceantur, quæ cum fibroſis ejus partibus creſcendo cum iis implicantur, & nectuntur, ſeroſas vero nimis fuſas, ſolutaſque relinquunt, vel ea quæ eorum maſſulas in ſua elementa reſtituant, corruptio partim per coagulationem, partim per diſſolutionem contingit, haud infrequens Malignarum, & Peſtilentium febris Peſtis ipſius, aliorumque graviſſimorum morborum fons, & origo, licet a paucis animadverſa. Gignunt hanc in primis fortiſſima acida; quæ cum facile uniantur ramentoſis ſanguinis partibus eaſdem apprehendunt, cogunt, & figunt, unde feroſas a ramentoſis expreſſas fluidiores apparere neceſſe eſt. Fortiſſima deinceps acria, quæ moleculas ſanguinis in ſua elementa reſolvunt, unde tenuiora, & ad motum magis idonea fuſa, & ſoluta manere contingit, craſſiora vero terreſtria, & inertia coire, & in maſſulas concreſcere. Perniciſſimus etiam motus ſanguinis, qui ejus particulas in ſua elementa reſolvit, efficitque, ut homogenea ab ætherogeneis ſeparata in peculiarem formam concreſcant, coacta iſthæc, illa vero ſoluta; ſanguinis demum motus plane cohibitus, quo fit, ut ſi e vaſis idem effuſus, & in peculiari aliqua parte ſtagnans, & concreſcens putreſcat, & in pus abeat, aliæ ipſius partes fuſæ ſint, & ſolutæ, aliæ concretæ, ac coactæ. Qua ratione ejuſcemodi corruptio febrem excitet, ſi oſtendere velim, vereor ne repetendo, quæ de aliis corruptionis ſpeciebus dixi, aut longiora faciam, aut obſcuriora, cum eædem ſint cauſæ, ſi ſingulæ ſingillatim ſpectentur, gradu ſolum differant inter ſe. Dictis adde, corrupto quacumque demum ratione ſanguine, ſolidas partes inſigniter lædi, noxias, incongruaſque particulas in ipſos nerveos tubulos ſe ſe inſinuare, altiuſque penetrare, ipſam ipſorum ſpirituum craſim conſpurcare, atque ita inficere, ut non concitato tantum motu cieri cogantur, ſed in effrænes turbas, cęcumque furorem, atque impetum abire, unde vomitus, diarrhææ, convulſiones, palpitationes Cordis, animi deliquia, deliria, aliaque horrenda ſymptomata, proficiſcuntur.

B *Bellinum vitio illo ſuo ſanguinis in quantitate, qualitate, motu; &c.* Bellini doctrina de febrium natura cum per ſe ſatis clara, tum propter illorum famam, qui eamdem defendunt, ea fere eſt, quam recitamus. Cum obſervet initio ſtatim nullam eſſe febrem, in qua pulſus non aberret a naturali ordine, deficientibus ſcilicet aliquot, vel omnibus iis conditionibus, quæ ad naturalem pulſum requiruntur; vitiari autem turbarique pulſus non poſſit, quin ſanguis quoque vitietur, nullam dari febrem ſine ſanguinis vitio haud dubie affirmat. Vitiari autem ſanguinem nequaquam poſſe, niſi ejus motus, quantitas, aut qualitas vitietur, cumque his vitium pulſus eſſe conjunctum oſtendit. Quare febrem omnem neceſſario conjunctam eſſe cum aliquo, aut omnibus nuper memoratis ſanguinis vitiis, oſtendit. Cum autem poſſit quidpiam cum re aliqua neceſſario eſſe conjunctum, ſimul ab eo principio disjunctum, quod intimam ejus naturam conſtituit, ut evinceret præclarus Auctor, vitia hæc ſanguinis, quæ cum omni febri conjuncta ſunt, eſſe illud ipſum, quod intimam febris naturam conſtituit, certiſſima obſervatione edoctus febrem nil aliud eſſe, quam plurium affectionum non naturalium collectionem, latiſſime omnes haſce affectiones neceſſario a ſanguinis vitiis pendere, cumque iis conjunctas eſſe oſtendit, atque hac ratione progreſſus, quod ſibi in animum induxit haud in tuto pronuntiavit, hæc

ipſa

ipſa vitia eſſe illud intimum, in quo febris conſiſtit, quæ propterea nihil aliud quam hoc, aut illud ſanguinis vitium ſit dicenda. Hac fere ratione omnium febrium genera; quæ unico circuitu continentur, quæque ſimplices dici ſolent, explicat. Jam vero ad periodicas febres ſe convertens, putat ſanguinem craſſum, viſcidum, & lentum effectum vi Cordis naturaliter contracti, minus velociter fluere, ideoque ad partes hærentem veluti, eaſque infarcientem gravitatis ſenſus excitare. A tali ſanguinis conſtitutione ſubtiliores ſanguinis particulas, quibus, vehementiori ſanguinis attritione opus eſſet, ut ſuam vindicare poſſent libertatem, retineri, illigarique validius. Ejuſcemodi particulas partim ab arteriis in fibris, & villis carneis, partim in corticali Cerebri ſubſtantia ad Muſculorum contractionem neceſſarias ſeparari, eaſque ſive ignea natura ſint præditæ, ſive alia, calorem in univerſum corpus inducere. Fieri hinc ut coercitæ prædictæ particulæ viſcidis, lentiſque ſanguinis partibus, quæ non ea ratione urgent ſe mutuo, conterunt, atque diſſolvunt, qua opus eſt, ad earum libertatem conſervandam, virium lapſus, & frigus ad extrema præſertim, in quibus cum minima fere ſit Cordis impellentis vis, ideoque præterfluentis ſanguinis velocitas, calorificas ſanguinis partes a reliquis minus ſecedere neceſſe eſt, moleſtum, procreent. Jam vero arterioſi liquidi, ſpirituumque Animalium cum ad Muſculos, & reliquas partes, tum etiam ad Cor minorem copiam deferri contingit, vitiatoque in omnibus motu, illorum tremores, & concuſſiones, hujuſce vero parvam, debilem, & raram ſyſtolem, ac diaſtolem atque hinc pulſus parvitatem, imbecillitatem, raritatem ſubſequi. Repetitis cordis, & arteriarum contractionibus a novo aſſidue ſuperfluente ſanguine, a partium preſſione vim cohæſionis viſcidarum, lentarumque partium ſuperari tandem neceſſe eſt, lentorem ad extremas arteriolas hærentem dimoveri, circulo reddi, reſolvi, hinc calorificas particulas exaltari, ac libertatem nactas hac illac irruentes caloris ſenſum excitare, dum aliæ particulæ, quę in muſculares partium, & Cordis fibras influentes earum motum, cui ſecundum naturæ ordinem famulantur, ſolutæ & ipſæ vegetiorem reddunt, ac pulſus vehementiam, ſimulque ob molliorem rareſcentem ſanguinem plenitudinem, ac magnitudinem procreant. Quæ dum fiunt ſpiritus Animales & uberius, & frequentius in Cordis fibras influere contingit, ideoque in crebriores contractiones cogi, hinc pulſus frequentiam exoriri. Quod ſi forte ſanguis ea ratione craſſus, viſcidus, lentuſque ſit, qua opus eſt, ut per vim naturalis ſuæ circulationis in eam calorificarum partium quantitatem ſolvi queat, quæ ſatis ſit ad naturalem calorem conſervandum, etiam ad extremas arteriolas ſubſiſtente ſanguine, aut nullus frigoris ſenſus in paroxyſmi initio ægrum exercebit, aut ſola caloris naturalis remiſſio, apparebit. Qua ratione lentor iſte recurſus peculiares excitet infra dicemus, cum de febribus intermittentibus ſpeciatim agemus. Sufficiat nunc Auctoris celeberrimi opinionem de febrium natura expoſuiſſe, prout res poſtulare videbatur, ut inde noſtrum utcumque judicium ferremus. Quamquam exonerari laborum noſtrorum partem fatemur a Cl. Leale Leali, qui Bellini doctrinam a Medicis præclariſſimis excultam ejicere, ac profligare conatus eſt (*n*) eumdem carpens potiſſimum, quod Cachochymia adſit, ſeu vitium ſanguinis in qualitate, quæ febris dici oporteret, uti & plethora ſeu vitium ſanguinis in quantitate, quod nemo adhuc auſus eſt affirmare. Addit porro ſanguinem in motu tam circulari, quam inteſtino vitium concipere, quin febris excitetur: veluti cum ira, timore, mœrore, lætitia afficitur. Quibus fere rite perpenſis fatetur quidem ſine cruoris vitio febrem non eſſe, ſed illo dato febrem neceſſario emergere conſtanter negat, quemadmodum nec a motu. Quid quod hęc vitia cauſas morborum omnium comprehendunt, ac nullus da-

(*n*) *Hebdomad. febr. dialo.* 2. *p.* 124.

datur morbus, in quo ſanguis non peccet vel in quantitate, vel qualitate, vel motu; unde definitio per recenſita vitia tradita non ad febrem tantum, ſed ad morbos omnes aptari commode poteſt. Si tamen Bellinus definitionem ſuam per cauſam proximam, & continentem tradidiſſet, Leali argumenta tanti facerem, quanti poſſem, ac deberem. Etenim quid ni liceat pronuntiare, tale ac tantum ſanguinis vitium intellexiſſe Bellinum, ut producendæ febri opportunum exiſteret. Dolendum autem in hoc ipſo ſanguinis vitio febris eſſentiam conſtituiſſe, cum remotiſſime tantum agat, & ſpiritus ea ratione concitando, qua opus eſt ad naturales cordis contractiones, atque hinc ſanguinis circulationem pervertendam, ut ſingillatim videbimus.

Plethora ſcilicet vera, vel apparente &c. Cum ſanguis quantitate peccat, aut ſuperat, aut deficit. Poteſt autem ſuperare, aut deficere ſanguis, quin vitæ operationes lædantur, vel e contra ſuperare aut deficere cum læſione earumdem. Si cum læſione vitæ actionum ſuperet ſanguis plethora dicitur, ſi deficiat inanitas vocatur. Si ſanguinis materia, & moles ſimul augeatur plethora ad vaſa vera, ſi ſanguis plus æquo rareſcat, & expandatur, ſeu materia non aucta, augeatur tantum ejus moles, plethora ad vaſa apparens dicta excitatur, inter alias plethoræ ſpecies maxime inſignis. Poteſt etiam ſanguis in omnibus vaſis redundare, vel in aliquibus tantum materia lenta, ac difficili in iiſdem hærente, aut re alia ſimili liberum ſanguinis curſum ita præpediente, ut a novo aſſidue ſuperfluente ſanguine eadem majorem in modum diſtendantur. Si primum fiat plethora univerſalis, ſin alterum particularis ſolet appellari. Alterutra vero ex dictis plethora contingat non alia de cauſa febrem excitari cenſendum eſt, quam ex eo quod velociori ſpirituum motui anſa præbetur. In plethora nimirum univerſali vera, & apparente, ſive ob auctam materiem ſanguinis, ſive ob molem tantum, ventriculos Cordis, & vaſa ſanguifera plus æquo diſtendi perſpicuum eſt, nerveaſque fibrillas, quibus eorum membranæ contextæ ſunt validiores tremores ſuſcipere, triſtem hinc ſenſationem oriri, a qua ſpiritus Animales commoventur, unde magno impetu in Cor irruentes, crebriorem ejuſdem contractionem, ac febrem excitant. Si de plethora particulari vera ſermo ſit, ecquis non videt ob impedimentum circulationis ſanguinis, & obſtructionum minimorum vaſculorum a novo aſſidue in eadem influente ſanguine, non ſolum diſtendi majorem in modum, ſed relaxari, ac diſrumpi, triſtemque ſenſationem, ac dolorem cieri, commotiſque ſpiritibus Animalibus febrem exoriri? Ab hoc potiſſimum fonte inflammatorias exoriri adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Neque enim ſanguis in minimis capillaribus arteriis hærere poteſt, quin ſibimetipſi liberum curſum impediens earumdem diſtenſionem, partis ruborem, tumorem, doloremque ut plurimum pulſatorium faciat. Quæ dum fiunt commoveri ſpiritus Animales contingit, ac magno impetu in Cor influentes crebriorem ejuſdem contractionem, ac febrem procreare.

Vel e contra inanitate. Superantis ſanguinis vitio contrarium eſt, quod inanitas dicitur: quæ duplex eſt, alia quidem in qua deficit Sanguis, alia in qua ſuccus quidam qui ejus flos eſt, quique in eodem ſanguine præparatus a glandulis Cerebri, ut multis placet ſeparatur, & per ſubtiliſſimos nervorum tubos diffuſus univerſum corpus alit, & nutrit; illa propterea ſanguinis dicta, hæc vero ſucci nutritii. Quemadmodum vero juſta boni ſincerique ſanguinis quantitate vaſa implentur, tenduntur, & naturalem conſiſtentiam acquirunt, eodemque, vi naturalis circulationis attrito & ſoluto, ſulphureæ, & calidæ partes reſolvuntur, ac toto corpori calorem, ruborem, nativum colorem, & venuſtatem conciliant, omneſque Animales actiones conſpirantibus ſolidis partibus peraguntur, nutritio, motus, ſenſus, ita eodem deficiente plurimi, graviſſimique morbi, atque urentes,

tes, lentæque febres ſubſequuntur, ut Hippocrates teſtatus eſt (*o*) Febres ab hoc fonte prodeuntes ob id potiſſimum exoriri quod ſpiritus Animales in velociorem motum aguntur, tam certum e quam quod certiſſimum. Vel enim ſanguis qui effunditur tenuis, fluidus & ſolutus eſt, vel craſſus, viſcidus, & lentus. Si tenuis, fluidus, & ſolutus, perſpicuum eſt larga effuſione facta, ſive per hæmorrhagias, ſive per phlebotomiam, ejuſdem molem imminui, Cordis propterea, & arteriarum vires augeri, atque hinc qui reliquus eſt, rapido curſu per vaſa etiam minima moveri, arterias ſcilicet, & venas capillares. Quod ubi contingat igneas ſulphureaſque particulas ea ratione exaltari, qua opus eſt ad acrimoniam ſanguinis augendam, ad nerveas Cordis & arteriarum fibras vellicandas ad ſpiritus Animales concitandos, manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Quod ſi craſſus, viſcidus, ac lentus ſit, licet tunc cum plus æquo effunditur velocius moveatur, ob ipſam tamen ipſius craſſitiem, & lentorem ſucceſſu temporis ſegniter moveri, hærere facile, ac ſubſiſtere in vaſis cenſendum eſt: Fit hinc ut ea vaſorum diſtenſio ſubſequatur, quæ ſpiritibus concitandis opportuniſſima exiſtit. Ad inanitem ſucci nutritii quod ſpectat, licet deficiente ſanguine exhauriatur etiam ſuccus nutritius, qui in eo præparatur, & continetur, ac propterea ab eodem dependens vera nutritio, motus, ſenſus, omneſque animales actiones aut omnino deſinant, aut maximopere langueſcant, poteſt tamen etiam ſolus interdum deſinere nutritius ſuccus, etiamſi moles ſanguinis manifeſto non diminuatur, & plurimos, graviſſimoſque morbos phthiſim, maraſmum, febres hecticas procreare. Ejuſmodi fere ſunt, quæ a largis profundiſque ulceribus, a gonorrhæa, a fluore albo mulierum, a diarrhæa, a dyſenteria, a nimia ſalivatione, a nimio ſudore, a nimia latactione proficiſcuntur, ut a Cl. Mortono præ cæteris demonſtratum eſt in nobili ſua phthiſiologhia. Ecquis autem neſciat deficiente roſcida, & oleoſa materia ſucci nutrititii in ſanguiue, eam partium attritionem pati eumdem, quæ vel una ſatis valere poteſt ad ipſius diſſolutionem, ſolutoque ſale, & ſulphure ad acredinem tantam, ut non ſolum nihil partibus in veram nutritionem ceſſurum minime apponatu, ſed quidquid ex univerſa maſſa ad eaſdem conſtanter iiſdem adhæſit, & aliarum novarumque particularum acceſſione in ſolidam fere naturam increvit, abripiatur? An vero putabimus contingere hæc omnia poſſe ſine Cordis vaſorumque ſanguiferorum morſu, roſione, ac propterea dolore, a quo ſpiritus Animales concitantur, unde crebrior fit Cordis contractio, circulatio ſanguinis pervertitur, febris demum exitatur? Sed hæc ſatis de vitiis quantitatis.

Craſſitie, *viſciditate*, *ac lentore*. Inter vitia humorum in qualitate, craſſities animadverſionem primum meretur, quæ a viſciditate & lentore differt, quod illa ſit ineptitudo ad penetrandum per poros, & meatus a natura definitos ob magnitudinem partium majorem, quam per eoſdem tranſire valeat, hæc vero ſit repugnantia ad fluendum major, quam requirat ejus naturalis conditio, non a ſola partium magnitudine, ſed etiam ab earum ſuperficie, figura, denſitate materiæ, aliiſque fortaſſe ignotis cauſis. Alterutrum vero, aut utrumque contingat, ſecretiones cujuſvis generis imminuantur neceſſe eſt, ſanguis recrementis inquinetur, tardus fiat, ac debilis ſolidorum motus, hinc aut in vaſis plane conſiſtant fluida, præſertim capillaribus arteriis, aut maxima tarditate moveantur, eorumdem propterea præternaturalis ſuccedat, atque triſtis ſenſatio, & dolor qui ſpiritus Animales commovendo crebriorem Cordis contractionem, ac febrem progignat.

Vel tenuitate, *ac fluiditate nimia*, *& fuſione*. Craſſitiei humorum tenuitas, viſciditati, & lentori fuſio, & fluiditas contraria eſt. Differt quidem a nimia fluiditate, ac fuſione, quod illa ſit promptitudo ad penetrandum per poros, ac

F 2 mea-

(*o*) *lib.* 2. *de morb.*

meatus major, quam naturæ ordo poſtulat ob magnitudinem partium minorem, quam in ſuis vaſis contineri poſſint, ac ſuis fungi muneribus; hæc vero promptitudo ad fluendum major, quam ad munus ſuum rite obeundum requiratur. Alterutrum vero, aut utrumque contingat, ſanguinem per tunicas vaſorum facile tranſmitti, & nimis velocem per vaſa fluere oportet, hinc collectiones fieri, aut ſeri, aut ſanguinis extra vaſa propria, ſolutiſque igneis, ac ſulphureis particulis acrem reddi, conſequenter aut diſtenſiones violentas nervearum fibrillarum, quibus ſolidæ partes contextæ ſunt, aut earumdem morſus ac vellicationes ſubſequi, quibus ſpiritus Animales commoventur, crebrior fit Cordis contractio, ac febris.

Acrimonia ſive acida, ſive alchalica. Innumerabiles ſunt acrimoniæ ſpecies, omneſque cum modum ſuperant hominibus infeſtæ. Tres maxime illuſtres, acida, acris, ſalſa. Qua vero ratione febrem gignant quæſtio eſt. Etmullerus aliique Chymici Tachenio, & Sylvio præeuntibus in ea ſunt opinione, ut credant acidum, & acre ob id potiſſimum febrem gignere, quod fermentationem ſanguinis præter naturam excitant. His tamen, ne aſſentiamur facit primum ea ratio, quod nullum in ſanguine fermentationis veſtigium apparet. Liquores enim omnes fermenteſcentes ſi a vaſis, in quibus fermentationem inivere in alia tranſmittantur a fermentatione non deſinunt: ubi vero ſanguis e vaſis, in quibus fermenteſcere dicitur extractus in matula reponatur, nullum fermentationis inditium, ne vel lynceo quidem oculo intuenti apparere poteſt. Deinceps principia a quibus fermentatio concitari queat in ſanguine, nulla ſunt: non ulla aciditas, a cujus congreſſu cum alchalicis partibus lucta illa exoriatur. Si Cl. Boyleum audimus (*q*) experimentis multis & ſæpius inſtitutis ſolum ſalem armoniacalem, aut marino ſimilem invenit, acidi nihil reperire ſe potuiſſe teſtatus & quamvis acidum cum Chylo ſanguinem ſubire poſſe videatur, ecquis ad credendum non adducatur cum viro præſtantiſſimo ab attritione Cordis, pulmonum, & arteriarum ita diſſolvi, & cum ſulphure miſceri, ut acidi naturam penitus amittat. Quid acidi in homine aut vivo, aut extinto reperire potuit Boerhaavius (*r*), licet ſero lactis acido, vino acido, pane acido, acidiſque fructibus paſtus fuerit? Pro acidi tamen præſentia in ſanguine ſcio aliquos dimicare, qui Raymundum Vieuſſenium (*s*) adeuntes invenere ex libris quinquaginta ſanguinis ſemiunciam elicuiſſe ſpiritus acidi, quod & ab Hombergio Chymico egregio confirmatum vident, qui in ſtercore humano, & multorum Animalium, & in phoſphoro, qui ex urina humana componitur, acidum ſe reperiſſe teſtatus eſt. Quæ tamen quanti faciant qui poſtquam Rhobertus Boyleus, Archibaldus Pitcarnius, aliique hypotheſes de acido, & alchali demonſtrarunt, adeo ab acido aborruerunt, ut nullum in humano corpore non modo reperiri, ſed ne eſſe quidem poſſe pugnaciſſime ſuſtineant, vel ex eo maxime apparet, quod affirmare minime dubitarunt, & Vieuſſenium, alioſque, qui pro acido pugnarunt deceptos fuiſſe, ſpiritumque illum acidum a bolo, aut terra, quam ad experimentum adhibuerunt, proveniſſe Nolim mihi tribuas hujuſce cauſæ defenſionem ita ſuſcipere, ut negem aperte in ſanguine humano ſales acidos eſſe non poſſe, cum & acidum in ſanguinem migrare manifeſtiſſime evincat lac, ac jura Animalium, quæ ſponte acidum contrahunt; id ipſum fateantur, qui vegetabilia per os aſſumpta manifeſto acidofæta in ſanguinem accepta humorem alchalicum progignere affirmant. Quod ſi ſenſibile non apparet ex eo repeti poteſt, quod aut ciborum ſulphur actione ventriculi, inteſtinorum, pulmonum, cordis, arteriarumque majorem in modum ſolvatur, & avolet, atque reliqua ejus pars cum ſale primigenio intime miſceatur, quæ

(*q*) *Hiſt. ſang. hum.* (*r*) *Chym.*
(*s*) *lib. de nat. ſang.*

quæ duo unita urinoſum, aut communem, aut huic perſimilem ſalem præbent, ſale interim acido minime apparente, aut quod ejus tenuitas tanta ſit, ut percipi nullo modo queat, aut cum reliquis partibus ita miſceatur, & cohæreat, ut ſeparari non valeat, quemadmodum alibi a nobis fuſe oſtenſum eſt. Quæ omnia ſuſpicionem de acidi in ſanguine exiſtentia non tollunt omnem. Sed jam ab acido immunem ſanguinem pronunciare non deceat, ab acido ſanguinem fermenteſcere nulla ratione poſſe aſſerere non dubitaverim. Quam quidem ſententiam id maxime fulcit, quod circulatio ſanguinis eidem maximo eſt impedimento. Cum enim ſanguis a corde in arterias, ab arteriis in venas, a venis in cor ſumma vi, ac niſu propellatur, ecquis vel rudioris ingenii ſuaderi poterit a tanta ſanguinis commotione, atque impetu ſanguinis efferveſcentiam, atque ebullitionem minime præpediri, penituſque inhiberi? Quænam fluida continuo motu agitata fermentationem ſubire videas? Recentem uvarum ſuccum, qui cæteris fermenteſcentibus palmam præripit ne dicas, qui nimirum ne ullam ſubeat fermentationem, ac vinum dulcis ſaporis emergat, non aliud operæ prætium eſſe, quam ut continuo motu exagitetur, commoveaturque vini confectores oſtendunt. Quod ſi demus ſanguinem fermenteſcere ecquis demum inficiaverit aliquem ſaltem ejus effectum haberi oportere? Quem autem vadem demus nullum Chymicis ad huc innotuiſſe? Vel enim liquores fermenteſcentes deſtillationi committant, vel vegetabilium ſuccos, qui fermentationem jam paſſi ſunt, ſpiritus ardentes, aut acidos obtinuere. Nullum obtinere ſimilem potuerunt ex ſanguine, aut urina, quæ deſtillationi commiſſa urinoſum tantummodo præbent. Ex his omnibus cum clare appareat ſanguinem fermenteſcere nulla ratione poſſe, ne febrem quidem ab acidorum lucta cum alchalicis, atque hinc prodeunte fermentatione proficiſci poſſe adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Qui dicunt acidum, & acre febrem gignere, quod cor, & arterias extimulant, ſpirituſque Animales inficiunt, quemadmodum evenire poſſe docuit Borellus (*u*) illi ſane ad veritatem propius accedere videntur. Cum enim acidum, & acre ſint ſaporis ſpecies, quæ guſtatus organum mordent, & rodunt: illud quidem citra calefactionem, ut notat Plato (*x*) & Galenus (*z*) hoc vero cum manifeſta calefactione, perſpicuum eſt alterutro ex his in ſanguine deliteſcente nerveas cordis, & arteriarum fibras plus minus extimulari debere, ſpirituſque Animales, qui a ſanguine iiſdem ſaporibus infecto ſecernendi ſunt, inquinari. Sed videndum ne iis, qui hæc ſumunt plus tribuamus, quam par eſt. Nam quamvis fortaſſe nihil errent, ſi illis tamen tantum tribuamus, ut non aliam acidi, acriſque facultatem ad febrem excitandam idoneam agnoſcamus, verendum eſt, ne in maximam fraudem inducamur. Ab acido enim oriri frequentius febrem cenſendum eſt, quod ſanguinem cogit, & craſſum, lentumque reddit, ab acri vero, quod eumdem ſolvit, & fluidum nimis ſolutumque efficit, ſi experimentis, quæ maximo veritatis ſunt argumento fides habenda. Primum efficiunt ſpiritus ſalis, ſpiritus nitri, ſpiritus aluminis, cæterique ſpiritus acidi, ſi acetum excipias, ut ſupra a nobis eſt demonſtratum: alterum vero ſpiritus urinoſi omnes, ſpiritus cornu cervi, ſanguinis, ſalis armoniaci, ac cætera acria uno ardenti ſpiritu excepto: præterea ſales lixivioſii ſeu qui a cineribus vegetabilium extrahuntur, omnes ſales foſſiles, exceptis illis, qui metallici vocantur. Hiſce poſitis, ut ad propoſiti noſtri inſtitutum veniamus nihil veroſimilius afferri poſſe videtur, quam ſi dicamus alterutro ex dictis modo febris oriatur, ob id potiſſimum oriri, quod concitatus motus ſpirituum Animalium promo-

(*t*) *Aph. lib.* 3. *cap.* 10. *art.* 5.
(*u*) *De mot. Anim. p.* 2. *prop.* 224.
(*x*) *In Thym.* (*z*) *De S. M. F. cap.* 30.

movetur. Si enim ejuſmodi ſales febrem gignant, quod cor, & arterias extimulant, nemo ignorat cor, & arterias extimulatas celerius quoque, & frequentius moveri: Cum vero ſpiritus Animales ſint principes omnium Muſculorum motores, cor & arterias non poſſe celerius moveri, quin velocior eorumdem influxus in cor, & arterias promoveatur manifeſta res eſt. Cur vero concitato motu non ferantur ſpiritus Animales ſi acido, acri, aliiſque ſimilibus qualitatibus infecti, atque inquinati febrem procreent? Ob eamdem prorſus cauſam febrem gignere acidum ſanguinem cogens, & craſſum lentumque faciens, acre vero ſolvens, ac tenue nimis, fuſumque reddens dubitare nemo poteſt, qui craſſitiei, viſciditatis, & lentoris, vel contra tenuitatis, fuſioniſque ſanguinis recordetur, quæ vitia potiſſimum Spiritibus Animalibus compellendis, ac concitandis opportuniſſima exiſtere paulo ante a nobis dictum eſt.

Aucto demum ſanguinis motu vel diminuto, vel perturbato. Vitium motus ſanguinis eſt, cum aut nimis velociter movetur, aut movetur ſegniter, vel partim velociter movetur, partim tarde, aut plane conſiſtit. Cum ſanguis celeriter movetur nemo eſt, qui non videat a corde profectum celeriter in ipſum reverti, & propterea ventriculos cordis, & arterias plus æquo diſtendere, ſale deinceps, ac ſulphure exſolutis acrem fieri, unde a diſtenſione ventriculorum cordis, & arteriarum, nec non a nervearum fibrarum, quibus eorum tunicæ contextæ ſunt morſu, ac vellicatione triſtem ſenſationem, ac dolorem cieri contingit, qui ſpiritus Animales commovendo crebriori cordis contractioni, ac febri occaſionem præbet. De ſanguine ſegniter moto, aut plane conſiſtente vix ulla ſuppetunt, quæ dicam, cum a conſiſtente ſanguine diſtenſionem vaſorum oriri, a diſtenſione dolorem, atque hinc prodeuntem ſpirituum Animalium commotionem adeo manifeſtum ſit, ut nihil ſit manifeſtius.

G *Vvilisſium, & Chymicos fermentatione*. Vvilisii, & Chymicorum ſententia, qui voluerunt cauſam proximam, & continentem febris eſſe effervеſcentiam, ac fermentationem ſanguinis, quæ tanta cum pompa, rumoreque circumferri ſolebat, quanti facienda ſit ſatis liquido conſtare arbitror ex iis, quæ paulo ante diximus adverſus illos, qui acidum, & acre ob id potiſſimum febrem gignere exiſtimarunt, quod fermentationem ſanguinis præter naturam exiſtant. Oſtendimus enim nullum in ſanguine fermentationis veſtigium apparere, deinceps fermentationis principia dubia adhuc eſſe, & controverſa, tertio loco circulationem ſanguinis maximo eidem eſſe impedimento, nullum demum ejus effectum quantunvis connitaris conſpici poſſe. Quid ultra quærendum putes, ut non ſolum ad ſuſpicandum, ſed ad credendum vehementer adducaris fermentationem tamquam proximam febris cauſam eſſe prorſus ejiciendam? Illud nimirum quod maximum Chymicorum erroris eſt argumentum, ut per fermentationem ſanguinis febris phænomena explicari non poſſint. Cum enim in febribus adſit interdum frigus, horror, & rigor, interdum calor, interdum aliarum partium calor, aliarum frigus, interdum calor, & frigus in una eademque parte nemo eſt qui non videat ad unam fermentationem hæc febris phænomena referri ſatis apte non poſſe, immo illud maxime neceſſarium eſſe, ut fermentatio interdum fiat calida, interdum frigida, quod cum principiis eaſdem promoventibus vix poteſt conciliari. Cum enim fermentatio frigida a ſalibus armoniacalibus, alcalicis, volatilibus exoriatur, quæ cum acidis miſcentur, calida vero a ſalibus lixivialibus, & marino ſimilibus non volatilibus, ſed fixis, oporteret, ut ejuſdem fermentationis principium genus quoddam eſſet modo calidum, modo frigidum, quod plane ridiculum eſt. Sed cum Chymicis pugnare nolumus, ſales varii generis fermentationem modo calidam, modo frigidam efficientes in ſanguine reperiri libentiſſime aſſentimur. Qua vero ratione, aut modo rarefactionem, quæ a fermentatione ſive calida, ſive

ſive frigida ſejungi non poteſt, ſi experimentis a Cl. Goofredio (*a*) inſtitutis fides habenda, adeſſe dicamus in principiis nonnullarum febrium, in quibus ſanguis adeo condenſatus coactuſque eſt, ut venæ majorem in modum concidant, & ſi vena ſecetur vix ac ne vix quidem ipſius effluere poſſit? Quibus ita ſtatutis illud citra ullius erroris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur fermentationem vel nulla ratione febrem progignere, vel ſolum rarefactione, quam excitat, vaſa plus æquo diſtendente, unde triſtis ſenſatio, ac dolor excitatur, a quo ſpiritus exagitantur, unde uberius, & velocius in cor influentes crebriorem cordis contractionem promovent, a qua febris.

Vel ſi libet aucto motu inteſtino, & progreſſivo ſanguinis. Cum fermentationem nullam dari dico, video jam quam varius ſermo futurus ſit illorum, qui pro eadem acriter pugnantes altius illam, ac ſubtilius repetere ſunt conati a ſubtili materia, quæ cum poros in ſanguine rectilineos non inveniat, a recto ſuo motu deflectere coacta adſtantes ſibi ſanguinis partes ſejungere, ac dimovere nitens varie ipſas exagitat, unde inteſtinus motus in univerſa maſſa concitatur. In quorum ſententiam fateor me tunc pedibus iturum, cum ſanguinem, & extra vaſa calorem, & fermentationem ſubire deprehenderim, ea prorſus ratione, qua in vaſis ſuſcitari docuerunt. Cum enim ſanguis idem ſit, eumdemque partium ordinem ſervet extra vaſa, quem intra eadem ſervabat, tranſitum propterea ſubtili materiæ denegare ejus partes, ut antea continget, varieque ab illius niſu eas agitari, totamque maſſam commoveri. His adde materiæ ſubtilis aditu in omnes corporis poros ingreſſu impedito, indeque exorta in omnem partem ipſius preſſione, corporis duritiem, concretionemque ſequi oportere, ſanguinis partes intra quas pervadere illa nequit in perpetua cohęſione detineri. Præterquamquod ſi difficilius ſanguinis poros materia ſubtilis permearet, quam aeris, nonne oporteret metallum, vel quodvis corpus grave ſanguine obvolutum, impedita a circumfuſo ſanguine ſubtilis materiæ in idem actione, a qua gravitatem corporum repetunt, minus grave evaſurum, quam in aperto aere? Hæc fere Pitcarnius, cujus ſententia nihil ſubtilius dictum. Quid tamen ni liceat conjectari fermentationem, quam concipere hactenus non potuimus firmis, validiſque rationum momentis ſuffultam, ea fere ratione ſe habere, quam docere viſus eſt Cl. Gulielminus (*b*) agnoſcens in ſanguine præter circularem motum, alterum etiam in ejus partibus, qui agitativus, turbativus, inteſtinus paſſim ſolet appellari, quique a variis cauſis cum intrinſecis, tum externis ortum traducit? Hę nimirum ſunt reſiſtentiæ nonnullæ non ſolum in diverſis arteriarum ſectionibus, verum etiam in eadem ſectione, quibus efficitur, ut a cordis arteriarum, fibrarumque vaſa quævis ambientium impulſu, atque preſſione, non ſolum quædam ſanguinis partes velociorem, quædam tardiorem motum exerceant ac recta ſolum per ſua vaſa ferantur, ſed ſecundum omnes directionum differentias, eaſque aſſidue mutent. Intrinſecæ vero ſunt niſus varii, qui in ſubtilioribus ſanguinis partibus inſunt, quę ſi liberæ ſint, atque expeditæ, aut ſeſe expandunt elaſticorum more, aut avolant, aut deſcendunt, ut corpora diverſa gravitate prædita. Quoniam vero diverſitas in gravitate ſpecifica oritur a diverſa materiæ quantitate ſub eadem mole, fit ut ob mutuos occurſus, vel diſruptæ moleculæ, vel combinatæ modo graviores, modo leviores evadant, ſicque in ipſis permutetur, & motus, & directio, atque hinc contactuum mutatio, atque omnium exacta mixtio ſubſequatur, quę inteſtini motus nomine ſpeciatim inſigniri videtur, ut qui intrinſecum principium pro ſui cauſa agnoſcit. Quod ſi fermentationis nomine nihil aliud communi omnium conſenſu

(*a*) *In hiſt. Reg. Sc. Ac. Par.*
(*b*) *Exercit. phyſic. medic. de ſanguin. natur. & conſtit.*

ſenſu intelligitur, quam inteſtinus motus ab intrinſeco principio proficiſcens; quid vetat, quominus hunc eumdem motum, quem in ſanguine cum Gulielmino ineſſe diximus, fermentationem appellemus? Naturalem quidem ſi congrua ſit inter ſubtiliores, levioreſque particulas, ac graviores, viſcidaſque, quibus illæ irretiuntur, atque implicantur proportio, ac propterea ęquabilis, ac moderata totius maſſæ agitatio ſervetur, pręternaturalem vero, ſi hac proportione turbata ſubtiliorum particularum libertas, aut viſcidarum cohęſio prævaleat, unde fermentatio langueſcit, aut majorem in modum intenditur. Recte quidem. Qua vero ratione aut modo dicemus fieri, ut ſanguis inflammationes graviores efficiens, cujuſmodi ſunt Pleuritis, Peripneumonia, Angina, &c. ita craſſeſcens, ut e vena extractus, & cyatho exceptus quadam quaſi membrana obducatur, quæ cultri anatomici vel acutiſſimi aciem fugit, quæque in calentem aquam ſi affundatur, tota mixtura in gelatinæ ſpeciem concreſcit, febrem intenſiſſimam valeat excitare? Ecquis neſciat in tali ſanguinis conſtitutione graviorum, viſcidarumque partium cohæſionem tantam eſſe, ut ſubtiliores, levioreſque ab earum nexu extricari non poſſint, eumque niſum exercere, quo opus eſt ad fermentationem producendam. An putabimus in inflammationibus ſubtiliores ſanguinis partes ſolutas eſſe? Id quidem Bellino placuit, qui de Peripneumonia loquens quidquid in ſanguine eſt minus mobile ad locum inflammatum ſubſiſtere affirmat, & per corpus duci quidquid eſt tenuiſſimum, & maxime mobile, calidum &c. id propterea efferveſcere, ac febrem accendi. Verum enimvero ecquis ſuaderi poterit quidquid in ſanguine eſt minus mobile ad inflammatam partem ſubſiſtere, tenuiſſima vero per reliqua vaſa excurrere, cum ſanguis e quovis vaſe eductus tantæ ubique craſſitudinis appareat? Cur potius tantam in inflammatoriis febribus agitationem ex eo potiſſimum non repetamus, quod inflammatæ partis fibræ plus æquo tenſę, ac contractę in hanc ipſam tenſionem reliquas omnes adducunt, cordis, arteriarum, muſculorum, eas demum omnes, a quibus ſanguinis expulſio, attritio, exſolutio dependet, & febrem non aliam ob rationem accendi niſi quia refluentibus a loco inflammato ſpiritibus majori copia in cordis fibras irrumpere contingit, crebrioremque ejuſdem contractionem producere? Silentio prętermitto ſanguinem haud infrequenter extraneis materiebus inquinari, quæ ad naturalem ipſius fermentationem turbandam videntur aptiſſimæ, qualis fere eſt bilis, neque tamen febrem in Ictericis quandoque exoriri; nullam e contra in extracto ſanguine mutationem videri in peſſimis, corruptiſque febribus, aliaque id genus, quæ in ſyſtemate auctæ, turbatæque in ſanguine fermentationis ardua ſunt, & explicatu inſolentiſſima, atque illud citra ullius erroris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur, fermentativum ſanguinis motum augeri non poſſe, ſi hic idem pro cauſa febris eſt agnoſcendus, quin ſanguis ubique rareſcat, ac ſubtilioribus, mobilioribuſque particulis attritis, exſolutiſque acer fiat, ideoque arteriæ non ſolum plus æquo diſtendantur, ſed ipſæ nerveæ fibrillæ, quibus eorum tunicę contextæ ſunt mordeantur, vellicenturque, unde a diſtenſione, & vellicatione ſimul, ac morſu, triſtis ſenſatio excitetur, quæ ſpiritibus Animalibus exagitandis, crebriorique Cordis contractioni promovendæ opportuniſſima exiſtat.

D *Mazinum ſuo illo motu aſymmetro elementorum maſſæ ſanguinis*. Peculiaris eſt Mechanica illa definitio, quam non multos ante hoſce annos invexit Jo. Baptiſta Mazinus in Lyceo Patavino Medicinæ practicæ Profeſſor (*c*), quamque in motu aſymmetro elementorum ſanguinis cum exceſſu, aut defectu proportionalis velocitatis fluidorum, ac ſolidorum conſtituit. Quę definitio præterquam quod id habet, quod a Chymica parum, aut nihil differt, accedit pręterea tot difficultatibus premi, ut cum ad eas reſponderi ſatis apte non poſſit, rejicienda videatur.

Cum

(*c*) *Mechan. febr.*

Cum enim in ſanguine plures partes contineantur, quæ rationem habent primarii ut ajunt, & ſecundarii elementi, ſeu quæ eſſentiales ſunt, aut integrantes maſſæ ſanguinis, cum dicit Mechanicus febrem eſſe aſſymetrum, ſeu inordinatum motum elementorum ſanguinis, illud ab eodem peti poſſe videtur, num de prioribus loqui intelligat, an de aliis. Alterutrum enim, aut utrumque velit, illud non aſſequor, qui novum quaſi quidpiam excogitare putet, cum non aliis rationibus præter eas, quas ex Chymicis accipit, utatur. Quid enim aliud aſſymetri motus elementorum nomine veniat, quam effervefcentia, ebullitio, fermentatio præternaturalis, quam in motu potiſſimum partium ſanguinis aucto, perturbatoque poſuerunt Chymici, ut a nobis oſtenſum eſt? Ad hæc adde nulla in eadem enumerari ſymptomata, per quæ febris ab aliis morbis diſtinguatur, & quibus exiſtentibus certum quoque de febris exiſtentia judicium ferre poſſimus. Quinam enim morbus, in quo non aut perturbatio particularum ſanguinem componentium, nec non defectus, aut exceſſus velocitatis fluidorum? Quaproter cum optime ſit tradita illa definitio, quæ eſt per ſymptomata, ſeu affectiones maxime proprias, & ex quarum congerie reſultat idea morbi, cum mechanica ejuſmodi non ſit: eſſe prorſus rejiciendam manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Quod igitur de Chymicorum fermentatione, idem plane de motu aſſymetro Mechanici Auctoris cum exceſſu, aut defectu velocitatis fluidorum dictum velim, videlicet alia ratione febrem excitare non poſſe, quam efficiendo, ut ſanguis aut plus æquo rareſcat, aut in aliqua parte corporis ſubſiſtat, unde aut univerſalis, aut particularis vaſorum diſtentio, morſus, ac dolor ſubſequatur, qui ſpirituum animalium turbis, crebriorique cordis contractioni occaſionem præbeat.

E *Franciſcum Deleboe Sylvium ſua illa pancretici cum bile, atque pituita effervefcentia*. Si hiſce finibus coerceatur Franciſci Deleboe opinio, aſſerentis (*d*) febrium intermittentium cauſam eſſe ſuccum pancreaticum aliqua ſui parte in uno, pluribuſque Pancreatis ductibus lateralibus obſtructis ſtagnantem, ac mora ſua ibi acriorem factum, atque acrimonia iſta acida per pituitam plus minus viſcidam, & notatæ obſtructionis cauſam, viam vi paratam, penetrantem, ac in tenue inteſtinum effuſum vitioſamque ibi cum bile, atque pituita effervefcentiam excitantem, non erit cur multum pugnemus. Vel enim effervefcentia hæc excitatur, ut eximius Auctor putavit, vel neutiquam, ut multi ſuſpicantur probe noſcentes illius aciditatem in naturali ſtatu negaſſe Morgagnum præclariſſimum, inſipidum fere, aut potius ſubſalſum ſalivæ ſimllimum effeciſſe Boerhaavium, ſalſum & Brunerum in Cane; & Verheyenium in Vacca obſervaſſe, ipſum Graafium, qui multum laboris, atque induſtriæ impendit in collectione hujuſce ſucci quandoque inſipidum, nonnunquam auſterum, ſæpius ſalſum deprehendiſſe, ac præclaro experimento edocti bilem inſpiſſatam, in qua activiora principia unita ſunt, vireſque potentiſſimæ ne cum acido quidem fortiſſimo effervefcere; argumento iiſdem prope certiſſimo, etiamſi in ſtatu præternaturali acorem contrahat ſuccus pancreaticus, effervefcentiæ ſemper imparem eſſe, ut alibi oſtendimus, (*e*) illud tamen inficiari non poteſt eumdem in pancreatis ductibus ſtagnantem, ac mora ſua acriorem factum, & in tenue inteſtinum effuſum nervorum extremitates, quæ per ipſius tunicam mire diſſeminantur mordere oportere, ac vellicare, ac triſtem ſenſationem progignere, quæ ſpiritus animales in turbas agens crebriorem cordis contractionem, ac febrem procreabit.

F *Borellum ſua illa obſtructione glandularum*. Si Borello credimus nervi ad glandulas propagantur hunc potiſſimum in finem, ut eorum liquidum expurgetur. Si

(*d*) *Prax. Med. lib.* 1. *cap.* 27.
(*e*) *Aph. lib.* 3. *com.* 5.

Si igitur obſtructis, aut aliter male affectis glandulis expurgatio iſta impediatur, retentum in nervis ſuccum vel ſponte ſua reliquos alios ſuccos ex diuturniore in ſuis loculis mora, vel accedentibus aliis inquinamentis fermenteſcere neceſſe eſt, atque in acrem pravamque naturam mutari. Labem modo iſtam vel irritatione quadam, vel propagatione uſque ad Cerebrum perductam, Cerebrum primo afficere contingit, tum vero nervos, & tandem ad cordis fibras propagatam, crebriorem ejuſdem contractionem, ac febrilem paroxyſmum excitare tandiu duraturum, quandiu acre illud inquinamentum, quo nervorum oſcula obſtruebantur ſanguinis impetu ab arteriis in glandulas vehementer impulſi abluatur, abripiaturque, indeque aut per venas, aut per excretorios ductus extra corporis confinia educatur.

G *Vetuſtiſſimum Dioclem ſolidorum inflammatione, abſceſſu, ulcere*. Nerveæ corporis fibræ, ex quibus totum fere corpus contextum eſt, ut præclare docuit Malpighius (*e*) aut ſcinduntur, diſrumpuntur, corrumpuntur, aut integræ manentes inæquali, perturbatoque cientur motu. Si primum contingat, nemo ignorat eas triſti ſenſatione affici debere, præterea minorem fibrarum integrarum numerum in eadem parte corporis manentem, minus virium habere ad impediendum ſanguinis fluxum, ac vis antagoniſtarum manifeſta res eſt. His ergo ſolutis integras diſtendi neceſſe eſt, ac propterea ſpiritus animales concitato, perturbatoque motu moveri eumque cordi communicatum crebriorem ejuſdem contractionem, ac febrem creare. Sin alterum cum proxima, & continens cauſa doloris ſit ſoluta continuitas nerveorum filamentorum, quæ ex inæquali alterna contractione, ac diſtractione, validioreque tremore eorumdem filamentorum proficiſcitur (*f*); perſpicuum eſt tunc cum fibræ corporis inæquali, perturbatoque motu cientur, validiorem quoque nerveorum filamentorum, quibus fibræ contextæ ſunt diſtractionem, contractionemque pati, validioremque tremorem, ac triſtem ſenſationem, a qua ſpiritus animales concitantur, unde velocius in cor influentes crebriorem ejuſdem contractionem, ac febrem excitant. Cujuſce rei defenſionem nolim credas ita me ſuſcipere, ut pugnaciſſime ſuſtineam a quocumque dolore, fibris quacumque ratione ſciſis diſruptis, aut aliter male affectis ſuperveniente, ſemper gigni febrem, haud ignorans tunc cum dolor mitis, ac brevis eſt, ac numerus fibrarum, quæ ſcinduntur, diſrumpuntur, aut alia ſimili ratione afficiuntur eſt admodum parvus, ac pars illa corporis, quæ dolore exercetur, obtuſo, obſcuroque ſenſu donatur, cordis fibras in doloris partem trahi minime poſſe, ac propterea nullam febrem excitari, quemadmodum excitari neceſſe eſt tum, cum dolor acerbus, ac diuturnus eſt fibrarumque ſolutio eſt admodum ſenſibilis, ac dolentes partes acuto ſenſu ſunt præditæ: quo caſu ſpiritus animales facile concitantur, atque propterea velocius in cor influentes crebriorem cordis contractionem, ac febrem procreant. Id quod in inflammationibus & abſceſſibus, aliiſque arteriarum morbis fere ſemper experimur, quæ cum communi omnium Anatomicorum conſenſu originem ſuam a Corde mutuentur, iiſdem male affectis triſtem ſenſationem Cordi, quod omnium arteriarum fons & origo eſt facili negotio communicari contingit, atque conſequenter febrem accendi, ut Diocles vetuſtiſſimus Medicus exiſtimavit.

H *Hoffmannum ſpaſmodica univerſi generis nervoſi, & vaſculoſi affectione &c.* Mira res videtur præclariſſimum Hoffmannum, qui fuſe adeo lateque morborum pathologiam, atque huic ſuperſtructam ſolidam therapeiam, aliaque fere innumera animadverſione digniſſima pertractavit, in generali febrium tractatione (*g*) adeo

(*e*) *De ovo inbato*.
(*f*) *Vid. aph. lib.* I. *cap.* 9. *com.* I.
(*g*) *M. S. T.* 4. *p.* I.

adeo parcum fuiſſe, ut ipſam atticam Laconum brevitatem ſuperaſſe videatur. Pauciſſimis enim verbis rem totam expedit febrem in ſpaſmodica univerſi generis nervoſi, & vaſculoloſi affectione conſtituens a cauſa nervoſas partes ad intenſiorem contractionem irritante, ita quidem ut accedente ipſa, ſanguis primum ad interiora cor, & majora vaſa ab externis, & minimis agatur, poſtea vero aucta Cordis, & arteriarum contractione per minima vaſa ad exteriores partes cum æſtu, & pulſus celeritate pellatur, donec laxata ſpaſmodica affectione cum excretione materiæ febris deſinat. Reſtricta hæc febris theoria ſi ad examen ſedulo revocetur præterquamquod a Borelliana, ac Belliniana parum, aut nihil differt iiſdemque propterea rationibus confutari poteſt, accedit præterea maximum ejuſdem vitium eſſe tradi per cauſam, quæ remotiſſima tantum eſt, quæque in ſpiritus agit eoſdem remote concitando, ac compellendo. Atque ad prioris quidem propoſitionis ſtatum quod ſpectat, vix in oppoſitam ire poterit ſententiam, qui illud vel leviter tantum mente volutaverit, ſpaſmodicam affectionem ſyſtematis nervoſi, & vaſculoſi nil aliud tandem eſſe poſſe, quam nervearum, fibrarum inconcinnum, ac perturbatum motum, quem ipſo fatente aucta vaſorum ſanguiferorum contractio ſequitur. Cum igitur Borellus ſtatuit febrem pendere a vitio liquidi nervoſi, Bellinus a vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, & motu, vitium vero ſanguinis ad vaſa ſanguifera ſpectet, liquidi vero nervei ad nerveos ductus, definire febrem ſpaſmodicam ſiſtematis nervoſi, & vaſculoſi affectionem, perinde eſſe, ac febrem in acuta Cordis arteriarumque contractione ponere a vitio nervorum, & vaſorum ſanguiferorum prodeunte, a vitio nempe liquidi nervei, & ſanguinis in quantitate, qualitate, motu manifeſtiſſima res eſt. Diſcrimen intereſſe aliquod videtur, quod in ſpaſmodica nervoſi, & vaſculoſi ſyſtematis affectione ſanguinem ab exterioribus, & minimis vaſculis ad interna, & majora vaſa primum exprimi putat Hoffmannus, poſtea vero aucta cordis, & arteriarum contractione celeriter cum æſtu per anguſtiora iterum vaſa repelli. Quæ res extra omnem dubitationis aleam non eſt poſita. Quid enim ni liceat conjectari præternaturalem illam fluidorum commotionem, atque hinc prodeuntem æſtum, caloremque non ex eo potiſſimum oriri quod ab externis, minimiſque partibus ad interna, & majora pellantur, ſed quod in vaſis minimis lenteſcit ſanguis arterioſus, ideoque non poteſt ea proportione trajici in venas qua opus eſt ad evitandam nerveorum filamentorum, quibus eorum tunicæ contextæ ſunt validiorem tremorem, triſtemque ſenſationem, quæ Cordi communicata crebriorem ejuſdem contractionem excitat, unde reſiſtentias omnes facile ſuperari contingit, ſanguinem in minimis vaſis præſertim hærentem in ampliorem locum, majoraque vaſa irrumpere, ut fere Bellinus arbitratus eſt? Si quid Hoffmanni ſententiæ robur addit obſervatio fere eſt, febres plerunque cum dolore dorſali adoriri, præſertim circa lumbos, frigore, horrore, rigoreque, unguium livore, vaſorum in manibus, & pedibus detumeſcentia, cutis contractione, aliiſque id genus affectionibus, quæ argumento ſunt prope certiſſimo, ſi ipſum audimus, ſanguinem ab exterioribus, ad interiores vergere. Quem quamvis redarguat obſervatio alia febrium, quæ cum calore incipiunt toto ipſarum decurſu perdurante, nihil eſt tamen, cur hiſce ſubtilitatibus diutius immoremur. Alterutrum enim, aut utrumque contingat, ſpaſmodicam nervoſi, ac vaſculoſi affectionem febri tribuere poſſe ſpiritus remote concitando, ac compellendo tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Ecquid enim eſt aliud ſpaſmodica nervoſi, & vaſculoſi ſyſtematis affectio, quam illud ſolidarum partium vitium, quo licet, integræ manentes, nec corruptæ fibræ, aſſymetro tamen perturbatoque cientur motu, quoque ſpiritus Animales ea ratione concitantur, qua opus eſt ad crebriorem Cordis contractionem, atque hinc febrem excitandam. Si ita res habet nihil cum a Veteri-

teribus, tum a Recentioribus Moderniſque Medicis fuiſſe conſcriptum in tradenda febris eſſentia, ejuſque cauſis, quod veritati conſentaneum non ſit perſpicuum eſt. Si ordinem accuratius ſervaviſſent, ſuum unicuique locum attribuentes, in deterrimum eorum errorem minime incidiſſent, qui effecerunt næ veram ac genuinam cauſam novis inventis ſpeculationum commentis tradere intelligentes, ut theoriam, omnem], omnemque praxim medicam] anilibus fabulis referſerint.

CAPUT II.

De Febribus in ſpecie.

De Ephemera, & Synocho ſimplici.

I. INter febres eſſentiales, quæque ſine ulla remiſſione terminantur Ephemera, & Synochus ſimplex gradu inter ſe differentes primum ſeſe offerunt conſiderandæ.

II. Cauſæ ſunt graviora aliquot, & ſubita animi pathemata, fumi carbonum accenſorum, metallici, aliaque myaſmata, aut organica, & animata corpora ex nocturno aere decidentia ſpiritibus leviter infeſta, vigiliæ diuturnæ, & intenſæ, inedia, aer nimis calidus, inſolatus, abuſus vini, & liquorum ſpirituoſorum, nec non ciborum præcipue acrium, & calidorum, exercitationes violentæ corporis, venti auſtrales, aut boreales inſigniter flantes, atque cutis poros, atque meatus obſtruentes, hæmorrhagiæ alicujus ſuppreſſio, dolor vehemens capitis, articulorum, axillarium, & jugularium, qui ad inflammationem non tendit.

III. Si quis poſt manifeſtam aliquam cauſam febre corripiatur ſine frigore, horrore, rigore, vel levi tantum horrore præeunte, ſi adſit obſtructio pororum cutis, qui cito tamen evaneſcit, excipiturque a calore miti, & blando, uberiori quidem ſi a violentis exercitationibus, a temulentia ciborumque acrium, & calidorum abuſu exorta ſit febris, ſi ab ira, cum acredine conjuncto, & pulſus inæqualitate, cum cæteroquin ſola celeritas, & frequentia, nonnunquam vehementia peccet, perpetua tamen æqualitas toto etiam durationis tempore, urinis ſanorum ſimilibus, vel certe ab his non multum recedentibus, niſi ſi quando præfuerint, aut ira, aut temulentia, quæ coloratas urinas efficiunt, quæ febris duret breviter, & declinet cum blanda, & humida evaporatione, qua abſoluta calor pulſus, & reliquæ functiones ad naturalem ſtatum revertuntur, febriſque plane deſinit, eum ephemera febre laborare cenſendum eſt.

IV. Si prædicta omnia comperiantur majore cum gravitate bidui vel tridui ſpatium excedere ægro & rubicundiore, & tumidiore apparente,

deque

deque laſſitudine tenſiva , capitis gravitate , ſomno profundo, reſpiratione aliquando magna , nonnihil difficili conquerente , tunc idea Synochi ſimplicis facile deſignatur.

V. Cave ne in ephemeris febribus perverſo regimine , aut incongrua meditatione naturæ ordo pervertatur : non ſolum enim breviter ceſſant , ſed interdum ſalutares eſſe conſueverunt.

VI. Ephemera tamen , quæ a cohibita inſenſibili tranſpiratione enaſcitur in impuris præſertim corporibus in Synochum , aliaſque febres putridas tranſit.

VII. Synochus etiam dictis de cauſis in plethoricis præſertim inflammationes , alioſque graves morbos progignere poteſt.

VIII. In ephemera , quæ ab ira , aliiſque gravioribus animi affectionibus proficiſcitur , quies , ſomnus imperandus.

IX. Si acris ventriculi cruditas extiterit , diluentia calida præter cibi abſtinentiam eximiæ ſunt virtutis.

X. Par Clyſterum eſt efficacia ſi in inteſtinis latuerit. ℞. Lact. ℥ viij. Sacchar. rubr. ℥ iij vitel. ov. n. i. m. f. Clyſter. Vel hujuſce loco ℞ Decoct. emollient· ℥ vi. ol. violac. butyr. a ℥ ii. Sacchar. rubr. parum. vitel. on. n. i. m. pro uſu dicto.

XI. Contra acidam cruditatem oſtræarum cocleæ pul. ad ʒ .s. ex hauſtu aquæ meliſſæ mane quotidie exhibitæ optimæ ſunt. Juſcula tamen avenacea , hordeacea , potus aquæ , vino prohibito cęteris palmam pręripiunt.

XII. Si a pororum cutis obſtructione oriatur febris, frictiones moderatæ optime cedunt.

XIII. In Synocho ſanguis ſtatim prędicto injecto Clyſtere detrahatur ad eam menſuram , quæ & viribus , & temperamento , & vaſorum diſtenſioni conveniat.

XIV. Mox aqua aut Noceriana , aut ſtillata ex cichorio , endivia , malva , acetoſa , aut ſero lactis additis ſuccis limonum , berberum , ribeſiorum , ſyrupo acetoſitatis citri ad gratam aciditatem & guttis aliquot ſpiritus nitri dulcis , aut vitrioli crebris , & moderatis potionibus detur.

XV. Sequens emulſio ubi nidoroſa , aut acida ventriculi cruditas , primarumque viarum apparatus non prohibeat veſpere exhibeatur. ℞ Semin. quat. frigid. ℥ i. ſ. in aqua hord. ℥ x. f. ſ. a. emul. Colaturæ ad. Sacchar. cant. aut viol. ℥ i m.

XVI. Quod cum raro contingat ſatius erit matutinis , & ſerotinis horis decoctionem in jure pulli non ſalito lactuc. endiv. cichor. viol. calidam propinare cum ſequenti pulvere. ℞ Raſur. matr. perlar. oculor. cancror. a ℈ i. nitr. puriſ. ʒ i. M. f. pul. diviſ. in part. vi. ęqu. Hujuſce loco ſit nitrum ſtibiatum ad ℈ ſ. pro una , & ſic pro aliis vicibus.

XVII. Sudore vero non ſuperveniente in progreſſu ad potiunculam ex aq.

aq. ſuc. meliſ. card. S. Borragin.ā ℥ ii. tot. citr. ℥ i. ſ. Cor. Cer. ph. ppt. ʒ ſ. cum ſyrupo cortic. citr. aut gem. ʒ ii. deveniendum.

XVIII. Juſculis, & liquidis pulmentis, quæ pro victu ſufficiunt toto febris decurſu, in fine gelatina Cor. Cer. addatur.

CAPUT II.

De febribus in ſpecie.

De Ephemera, & Synocho ſimplici.

I. I*Nter febres eſſentiales, quæque ſine ulla remiſſione terminantur*. In diviſione febrium tradenda diſſenſio eſt inter Medicos. Maxime celebris, atque uſitata fuit olim illa diviſio, quæ Avicenna præeunte a pleriſque a ſubiecto, in quo febris accendi credebatur deſumpta fuit; in ephemeras ſcilicet putridas, & hecticas, exiſtimantibus in ephemera ſpiritus, in putrida humores, in hectica ſolidas partes excalefieri. In ephemerarum cenſu ponebant ephemeram legitimam, quæ ab incendio tantummodo ſpirituum vitalium in corpore citra rei alterius mutationem oriri paſſim tradebant, ac propterea unicum diem durare; ephemeram plurium dierum ab iiſdem fere cauſis diutius permanentibus repetebant, & Synochum non putrem, ſive inflativam a ſpirituum incendio non ſolum, ſed a tenuioris ſanguinis effervefcentia unde ad tres, quatuorque dies protendebatur, deducebant. Sed jam ſingulas putridarum differentias perſequamur. Primum præſto ſunt febres vel ſimpliciter putridæ ſine ulla malignitate, & contagio, vel malignæ, contagioſæ, & peſtilentes. Has ſequuntur vel continuæ, vel intermittentes, quæ omnes in primarias, & ſymptomaticas dividebant, opinantes in illis putredinem accendi in vaſis communibus, in his partis alicujus inflammationem ſequi. Si de continuis ſermo ſit aut nullum habent augmentum, nullamque remiſſionem, aut aliquod & incrementum, & remiſſionem, unde aut continentes, aut ſui generis continuas appellarunt. Quarum cum diverſa ſint intervalla in ſcenam prodierunt continuæ quotidianæ, tertianæ, quartanæ, & ſimiles prout calor aut quotidie, aut alternis diebus, aut quarto quoque die ægrum dirius exercet. Intermittentes pari prorſus ratione in quotidianam, tertianam, & quartanam (rariores ſunt, quæ longiores habeant intervalla) diſcernebant Antiqui. Quid quotidianam tam intermittentem, quam continuam referam, Epialam, & Lypiriam ab aliis diverſas, quod a pituita putreſcente, quid tertianas omnes, & Cauſon ab aliis, differentes, quod a bile, quid quartanas demum, quod a melancholia ortum traducere communiter credebatur? Quæ febrium differentiæ licet perbelle ſint concinnatæ, parcant tamen Veteres, eoſque in multis ſequuti Poſteriores, qui febrium differentias tum ex duratione, tum ex typo, tum a cauſa, tum a ſymptomatibus, a more, ab ortu, aliiſque ejuſmodi rebus deſumpſerunt, ſi eas haud amplectendas eſſe contendo. Facit autem potiſſimum ea ratio, haſce differentias a præconceptis cauſis deſumptas eſſe, modo ſcilicet a calore præter naturam, modo ab humorum putredine, modo a myaſmate maligno, aliiſque id genus vitiis, quæ ſi in quæſtionem vocentur ejuſmodi ſunt, ut rem omnem litigiis plenam, & controverſiis, relinquant. Medici hodie dignitate cadat, qui aut calorem memoret, aut putredinem humorum: Medici nomen denegetur ei, qui aut pituitæ, aut melancholiæ, aliorumque humorum a ſanguine diverſorum recordetur. Quam eſſet optandum, ut febres typorum ratione diſtinxiſſent, ut noſtrates nonnulli quæſtiones fugere ſtudentes, & difficultates præſtiterunt. In hoc opere Bellini ſolertia plu-

plurimum enituit. Duo enim ſumma febrium genera conſtituit, continuas, & intermittentes. Continua ægrum extorquere nunquam deſinit. Intermittens per aliquod temporis intervallum ægrotantis corpus integrum relinquit. Continuam rurſus in ſimplicem periodicam, & vagam diſpeſcit: intermittentem vero in periodicam ſolum, & vagam. Continua ſimplex unico circuitu continetur: periodica pluribus certo quodam acceſſionum ordine procedentibus: vaga pluribus quidem, ſed nullum acceſſionum ordinem ſervantibus. Ad continuas ſimplices Ephemera legitima, quæ ſcilicet unico viginti quatuor horarum circuitu terminatur, Ephemera plurium dierum, Synochus, & Hectica referuntur. Synochi duo ſunt ſpecies, imputris, putriſque caloris intenſione differentes. Ex calore ſiti fere inextinguibili comitato adeo vehementi, ut uri ægrotantes videantur Cauſus non periodica efficitur. Pro varia caloris intenſione tres aliæ Synochi putris ſpecies conſtituuntur. Ex calore quidem pari perpetuo gradu ægrum exercente Homotona dicta ſeu Acmaſtica: ex calore eodem continuo decreſcente Paracmaſtica, increſcente e contra omnium deterrima Epacmaſtica. Continuæ periodicæ ſunt tertiana continua, ad quam ſpectat Cauſus periodica, quæ ut plurimum tertianæ typum ſervat febris colliquans dicta, nec non quæ ob continuam jactationem Aſſodes, quæque ob enormes ſudores Elodes appellatur. Deinceps ad quotidianam continuam Epiala refertur, in qua ſcilicet æger frigore, & calore ſimul corripitur, & Syncopalis, in qua æger ore ventriculi tenacis mucoſique humoris copia gravato, aut tenuis acredine venenata extimulato in Syncopem delabitur. Demum quartana continua. Si ea genera intermittentium febrium periodicarum in memoriam revoces, quæ ſupra allata fuerunt, nihil ſane deerit, quod ad intermittentium, & continuarum febrium diviſionem aſſequendam apprime faciat.

Hiſce adde alias diviſiones, quibus utrumque genus intermittentium, & continuarum diſtingui poſſe docuit præcitatus Auctor, & quibus febres in eſſentiales, ſeu primarias, & ſecundarias ſymptomaticas, & continuas diſpeſcuntur, inter quas eminent Phlegmonodes, Eryſipelatodes, Typhodes, Lypiria, Lenta & alba febris Mulierum, quæque aut ab Eryſipelate, aut ab Hepate inflammato, aut ab interna profundi viſceris inflammatione, aut a latentibus plerunque obſtructionibus, aliiſque id genus cauſis ortum traducunt. Compoſitam tandem meminit, quæ ex diverſis febribus eodem tempore ægrum detinentibus conſtant. Atque illæ quidem, ſi ea ratione incipiant, ac deſinant, qua vix diſcerni poſſint a ſe invicem, propriam tamen naturam ſervent confuſæ appellantur; ſi vero diſtingui poſſint, implicitæ dicuntur, & hæ rurſus vel componuntur ex pluribus febribus ejuſdem ſpeciei, vel diverſæ. Ad illas pertinent duplices quotidianæ, duplices quartanæ. Quod ſi componantur ex febribus diverſæ ſpeciei tunc claſſe carent, excepta Emitritæo ſeu Semitertiana, & horrifica dicta, quæ ex quotidiana continua, & tertiana intermittente componitur. Quod ſi unius paroxyſmus invadat, antequam alterius deſinat Subintrantium nomina ſortiuntur, ſi quaſi ſtatim a fine unius alter invadit communicantium, ſi demum non ſtatim, ſed brevi tamen a fine unius alter incipiat, ſubalternantes. Hæc fere de diviſione febrium a typorum ratione deſumpta Bellinus, qua nihil clarius dictum. Contra hanc tamen facit Mortonus, cui placet febrium diviſionem a cauſa eas faciente deſumere ea fortaſſe ſpe ductus novum quidpiam, atque inauditum proferentem inſignem famæ celebritatem ſibi comparare, cum præterea eamdem fere viam ineundo, quam Veteres in ipſum ipſorum errorem inciderit. Febres nimirum omnes in acutas ſtatim, & hecticas diſpeſcit. In his venenum, quod juxta ipſum, ut ſupra demonſtravimus, eſt febris cauſa, mitius irritare ſpiritus putat, hinc lenem quidem, fixam tamen febriculam exoriri. Albam virginum febrem ad hanc referre voluit. Acutas præterea in eas dividit, quæ a veneno ſunt ortæ, & in eas, quæ veneni ſunt ex-

per-

pertes. Ad haſce poſtremas Ephemeram refert. Illas vero veneni gradu diſtingui. Si enim adeo mites ſint, ut ſatis vegeti, robuſtique ſpiritus viginti quatuor horarum ſpatio victores evadant licet certis periodis recrudeſcat, febrem oriri vere intetmittentem: eximium veneni gradum febrem Synochum procreare, intenſius adhuc, ſpiritus vero imbecilliores, & non niſi cum labore ad elaſticitatis ſuæ metam pervenientes varios dolores, vel in univerſo corpore, vel in aliqua parte, vel vomitus, diarrhæas, aliaſque id genus excretiones ſuſcitare, & ab iſtorum ſymptomatum exacerbatione, & remiſſione potius quam a caloris augmento, aut decremento iſtarum febrium paroxyſmos diſtingui. Omnium intenſiſſimum demum febres Synochos continuas progignere. Acutæ igitur febres a veneno ortæ juxta Mortoni diviſionem in continuas primum, & intermittentes diſpeſcuntur. Continuæ rurſus vel Synochi ſunt, ſeu remittentes, vel Synochi. Synochi iterum vel ſimplices ſunt, in quibus exacerbationes, & remiſſiones ſtata diei hora ſingulis, vel alternis diebus revertuntur, vel mixtæ, ſeu ſpuriæ, in quibus ob vehementius aliquod ſymptoma periodorum ordo pervertitur, quæ nonniſi ab iſtorum Symptomatum exacerbatione dignoſci poſſunt. Syptomata vero iſthæc aut de genere inflammatorio ſunt, aut ut ajunt colliquativo. Fit hinc ut tam inflammatoriæ, quam colliquativæ febres Synochis febribus non raro congeneres ſint. Inflammatoriæ quidem vel univerſales ſunt, & in quibus totius corporis habitus inflammatione tenetur, vel particulares, & ſolum aliqua pars ægre torquetur. Ad illas Morbilloſæ, Scarlatinæ, Varioloſæ, Eryſipelatoſæ, & Rheumaticæ referuntur. Ad has ſoporoſæ phreneticæ, ophthalmicæ, odontalgicæ prout aut Cerebrum, aut Meninges, aut Oculi, aut Aures, aut Dentes afficiuntur, quæ partes affectæ diſtinctionem, & nomen attribuunt. Quod & de colliquativis dictum velim, quæ ab excretione eas comitante diſtinctionem, & nomen accipiunt, & ſpeciem morbi febrem comitantis aſſumunt, Diarrheæ ſcilicet, Dyſenteriæ, Choleræ morbi, & ſimilium. Omnes igitur febres vel Synochi ſunt, vel ſi conſueta ſymptomata febrium, vel alia quædam inſolita aliquam habent exacerbationis, & remiſſionis periodum, ad Synochum referuntur. Quod ſi nulla in febribus paroxyſmorum diſtinctio obſervatur, Synocbus erit ea febris, quam in ſimpliciter malignam, & peſtilentem, & peſtem ipſam diviſit præclarus Auctor. In hac tanta, tamque multiplici diviſionum incoſtantia, & varietate difficile eſt certi quidpiam ſine alterius offenſione conſtituere, ac multum is profeciſſe videatur, qui quanta ſit rerum ignoratio in hac parte perſpexerit penitus, & cognoverit. Tamen quia pauci hoc uno contenti non ſunt, quid ipſe ſentiam paucis expediam. Duo certe maxime generalia diviſionis febrium principia altius ſunt inveſtiganda: alterum ab earum origine, alterum a durationis modo reſpectu temporis, intra quod revolvuntur. Ad primum quod ſpectat febres vel nullo præcedente morbo ægrum adoriuntur, vel alteri morbo ſuperveniunt. Diviſio hinc orta in primarias, ſive eſſentiales, & ſecundarias, ſive ſymptomaticas, quæ cum omnes febrium diferentias amplectatur (certum enim eſt febres vel per ſe, & primario, aut alterius morbi occaſione oboriri) principem eidem locum attribui debere perſpicuum eſt. Ad alterum quod ſpectat febris vel toto ſuæ reſolutionis tempore conſtanter durat, vel aliquod temporis intervallum a febre vacuum relinquit, hinc altera emergit diviſio, quæ cum omnibus, febribus conveniat, nemini ſecunda dici poteſt: in continuas ſcilicet, & intermittentes. Si ſenſim ſenſimque ſecundæ diviſionis partes ſubdividendo eamus, facile reperiemus febrem continuam vel eſſe continuam ſimplicem, ſive unius circuitus, vel ex pluribus circuitibus ſine tempore a febre vacuo compoſitam, iiſque vel ordinatis, vel vagis: intermittentem vero plures habere circuitus cum intermiſſione, eoſque vel ordinatos, vel vagos, ſeu quod eodem recidit febrem continuam vel eſſe continuam ſimplicem, vel perio-

rio-

riodicam, vel vagam: intermittentem ſimiliter vel periodicam, vel vagam: hinc integram & ordinatam diviſionis febrium ideam obtinebimus, quæ in priore diviſione aliqua tantum membra exponente, non omnia, elucere non poterat. Lucebit clarius ſi ſingulas febrium ſpecies dinumeremus. Primo loco ſeſe offert Ephemera, & Synochus ſimplex, quarum tractationem aggreſſi ſumus, mox Synochus putris, Cauſus ſive ardens febris, & Hectica de quibus ordinatim agemus, quæ omnes cum unico circuitu contineantur ad genus continuæ ſimplicis, ſeu continentis erant referendæ. Has ſequuntur quotidiana, tertiana, quartana periodica tam continua, quam intermittens, quæ cum plures certum quemdam acceſſionum ordinem ſervantes circuitus habeant, inter quas aliquod temporis intervallum relinquitur, in quo æger vel a febre omnino immunis eſt, vel eadem mitius, & levius exercetur ad genus febris periodicæ nunc continuæ, nunc intermittentis ſunt revocandæ. Emitritæi, & Triteophiæ dictæ, quæ pluribus quidem, ſed nullo certo ordine recurrentibus circuitibus ſunt præditæ ſub alterutrum continuarum, & intermittentium genus apte ſubijciuntur. Varium ſervant morem complicatæ febres malignæ, Peſtilentes, Comitatæ, quæ nunc unico continetur circuitu, nunc pluribus, modo certum quemdam ordinem ſervantibus, modo nullum, quæque propterea cum hoc, aut illo febrium genere componi queunt. Nemo etiam ignorat ex ſupra allatis eas complicatas febres appellari, in quibus unius, vel plurium generum febres invicem commiſcentur, continuæ e. g. cum continuis, intermittentes cum intermittentibus, & vice verſa, quæ ſi vix internoſci poſſint confuſæ dici conſueverunt. Quamquam dari ejuſcemodi febres nulla ratione poſſe pronuntiare non dubitavit Sennertus ſedulo diligenterque pro more ſuo earum naturam perquirens. Si vero diſtingui poſſint, implicitas eas nominari manifeſta res eſt. Grates habendæ Avicennæ (*a*) qui ex vario modo, quo iſtarum febrium paroxyſmi implicantur, varium nomen attribuit. Si enim alterius paroxyſmus invadat, antequam prior deſinat ſubintrantes, ſi quaſi ſtatim a fine unius alter invadat communicantes, ſi demum non ſtatim, ſed brevi tamen a fine unius alter incipiat, coalternas præclare appellavit, eumque Recentiores fere omnes cum Bellino ſequuti ſunt. Hæ omnes ab indole, ſeu natura, & ſpecie ſuum nomen accipiunt, dicunturque duplices, triplices tertianæ, quartanæ &c. Ab hiſce diſcernas velim, quam Emitritæum græci vocant, noſtri ſemitertianam, quæ a tertiana continua cum quotidiana intermittente, vel tertiana intermittente cum quotidiana continua nomen accepit. Quæret fortaſſe aliquis in memoriam revocans, quæ ſupra juxta aliorum Scriptorum mentem attulimus, ad quodnam febrium genus ſint revocandæ Epiala, in qua æger calore ſimul, & frigore corripitur, Syncopalis, quam præceps virium lapſus, & Sincope comitatur, Lypiria in qua interiora uruntur quaſi, dum exteriora frigent, Algida, in qua æger toto fere paroxyſmi decurſu frigore detinetur, Dejectoria, quam enorme alvi profluvium, Diuretica, quam urinæ fluxus, Elodes quam copioſiſſimus ſudor, Aſſodes, in qua ægri moleſtiſſima corporis jactatione torquentur, Petechialis Scarlatina, Punticularis, Milliaris, Morbilloſa, Varioloſa aliæque ejuſmodi. Recte ille quidem. Erat enim mentio facienda de comitatis febribus ſic vocatis ab adjuncto aliquo inſigni morbo, aut ſymptomate una cum ipſis orto, aut paulo poſt ſupervenien-te, quod eas claras facit. Quod probe tenendum eſt, ne cum ſecundariis confundantur, quarum ſupra meminimus, quæ a præcedente aliquo morbo, aut peculiari ſymptomate proficiſcuntur. Diviſiones tandem febrium in legitimas, ſpurias, & nothas quid eſſe poteſt, cur omnibus non probentur, ac libentiſſime excipiantur ea prorſus ratione quam ſervavit Bellinus? Hiſce vero probatis, quid in aliis diviſionibus longius immorari? Mortonus certis multis minus placuit. Et re-

(*a*) *Pr. f.* 4. *can.*

revera habuit cur placere non potuerit. Novitatis enim amore illectus a communi loquendi modo deflectens nonnulla obſcuritatis plena, & ambiguitatis Medicis reliquit. Quæ res anſam dedit Cl. Franciſco Torti (*b*) ad diligenter notandum, quod facem eiſdem, & lumen afferret. Cum nempe febres, in quibus vel caloris, vel aliorum ſymptomatum exacerbationes, & remiſſiones obſervantur remittentium, & uſitato in Scholis vocabulo Synocharum nomine appellet Mortonus, nihil ſane poſert, quod omnibus notum non ſit planeque perſpectum. Cum vero has ipſas continentes vocat, illas vero quæ cujuſcumque exacerbationis expertes ſunt, nullaſque habent remiſſionis periodos, quæque ab aliis continentium nomine inſigniri ſolent ipſe continuas appellet, niſi præſto fuiſſet Cl. Torti adnotatio ecquis in eodem legendo non facile hæſiſſet? Cujus rei reprehenſionem nolim credas ita me ſuſcipere, ut negem aperte multum etiam in hac parte deberi Mortono. Haud enim ignoro eximium virum longius progreſſum in ſua diviſione, intermittentes febres non ſolum exacte deſcripſiſſe, ſed remittentium etiam proprios caracteres, & notas, & congruentem illarum curationem ex ipſa ſua diviſione petitam demonſtraſſe, quæ ipſis a nemine antea inſtituta fuit, aut ſaltem non neceſſariis cautionibus circumſcripta. Utinam quemadmodum febres quaſdam ſub aliorum morborum larvas illudentes natura ſua vere intermittentes eſſe oſtendit, & Cortice Peruviano ſanabiles, nec non plures alias ſub uno remittentium genere poſuit, omneſque eodem remedio pertractandas docuit ita haſce potiſſimum in plura genera diſtinxiſſet. Nonnullas fortaſſe in ſua diſquiſitione reperiſſet, quæ intermittentium more curatæ non cedunt univerſe, quemadmodum nervos induſtriæ omnes intendens laudatus Torti præſtitit, qui exactiorem dictarum febrium diviſionem afferens, qua febrium natura, diſcrepantium permixtio, & confuſio vitatur rem omnem abſolvit. De his prout res, & occaſio voluerit in curatione ſingularum febrium dicemus.

Ephemera, & Synochus ſimplex gradu inter ſe diſcrepantes &c. Febris ſimpliciſſima eſt, quæ Græcis Ephemera, noſtris Diaria nuncupatur quæque eodem orta die deſinere ſolet. Gradu differt, ſeu majore quadam Symptomatum intenſione ſuæque durationis extenſione, quæ Grecis Synochus ſimplex, noſtris continens vocatur, quæque ad tres, quatuorque dies, interdum ad ſeptem protrahitur, unde etiam febris plurium dierum dici conſuevit. *Simplex* inquam, ut a putri diſtinguatur, quæ ab inſigni ſanguinis vitio, quod putredinem Veteres dicebant originem ducit, ut infra dicemus.

Cauſæ ſunt graviora aliquot, & ſubita animi pathemata. Morbi qui ab affectionibus animi tamquam a præcipua cauſa dependent infiniti propemodum, emolumenta interdum non pauca. Cum enim magna ſit animæ poteſtas in nervos, & ſpiritus, aut ſaltem magna ſit inter illius affectiones, & iſtorum motus conſenſio nervis vero, & ſpiritibus per ipſos excurrentibus magna ſit efficacia ad partes corporis movendas, ipſarumque robur, & elaterium variandum, nec non ad vaſorum diametros, aut conſtringendos aut relaxandos, inſignem quoque vim habere ad ſanguinis, humorumque motum, actioneſque ab ipſo pendentes multipliciter variandas manifeſta res eſt. In vehementi ira ſpiritus Animales cæco impetu hac illac ruentes totius corporis concuſſionem, tremoremque, cordis palpitationem, pulſus frequentiam, atque inæqualitatem parere quotidiana compertum eſt experientia. Convulſis Cerebri membranis, conſtrictiſque ſpirituum ductibus Apoplexiam a vehementi ira obortam memorat Cl. Tozzi, ut alia quamplurima præſtantiſſimorum virorum teſtimonia relinquam, quæ in generali febrium doctrina commemoravimus, quæque ne repetendo obſcuriora faciam libens prætermitto. Quid enim ſi ea ſint animi pathemata, ut Spirituum animalium motum au-

(*b*) *In Therapeut. ſpecial.*

augere valeant, crebrioremque cordis contractionem excitare, atque hinc ſanguinis circulationem pervertere per illud temporis ſpatium, quod diem naturalem minime excedat? Ephemeram quidem febrem exoriri, quæ nullas in ſanguine, atque humoribus impuritates pro cauſa agnoſcit, ſed ſolam Spirituum agitationem ab evidenti aliqua cauſa inductam præclariſſime docuit Avicennas (*d*), atque illud primarium indicium harum febrium eſſe voluit Galenus (*e*), quod nempe ab ejuſmodi cauſa incipiant.

Fumi carbonum. Ab animi affectionibus non ſolum, ſed ab affectionibus corporis, & iis quæ extrinſecus adveniunt Ephemeras febres oriri acutiſſime retulit præcitatus Avicennas, eumque hac potiſſimum in re ſequeremur, niſi optimum illud ſolertiorum Philoſophorum conſilium, qui docent cum rei cujuſpiam diſtinctionem quærimus primo omni ſtudio ad generaliora eſſe attendendum, aliter ſuaderet. Hanc enim ubi invenerimus, de vera ac genuina diſtinctione minime dubitandum eſſe. Atque ut præceptum iſtud ad propoſitam rem applicemus, animadvertere oportet, concitatum Spirituum Animalium motum in Ephemera febre potiſſimam partem agere. Ea igitur omnia, quæ in Spiritus proxime ſæviunt eoſdem concitando, commovendo, aut ea ratione afficiendo, qua opus eſt ad crebriorem cordis contractionem excitandam, ſunt primum conſideranda: deinceps ea omnia, quæ eoſdem afficiunt remote. Si invenerimus quæ afficiunt proxime Spiritus Animales, quæque ex ordine afficiunt remote, jam confecta res erit. Cauſas omnes ephemeram producentes ex ordine facillime aſſequemur. Quæ nempe ſpiritus afficiunt proxime duæ ſunt cauſæ: graviora primum animi pathemata, ut demonſtravimus, deinde quædam effluvia ſpiritibus infeſta, de quibus mox eſt dicendum. Ejuſmodi ſunt primum fumi carbonum accenſorum. Qua enim alia ratione fieri poſſe credas, ut carbonibus ardentibus in recipiente apto, cujuſmodi fere eſt, quo utuntur phyſici ad experimenta machinæ Guerikianæ immiſſis, ac flamma extincta inſigniter fumantibus, volucria Animalia intus occluſa Carotica fiant, omnique fere ſenſu, motuque, priventur ſi vim eorumdem ſpiritibus infeſtam, eos, caligine veluti quadam obruentem excipias? Huic quidem opinioni robur addit obſervatio, qua eadem in aere libero, & aperto in aquam frigidam immerſa a ſopore excitari compertum eſt. Frigida enim aqua nervos in priſtinum ſui elaterii ſtatum reſtitui, ſpiritus vero per ipſos excurrentes conſuetas ſemitas repetere contingit, atque hinc Animalia cito reviviſcere. Noxas carbonum accenſorum ſi explicare dicendo velim, aut percenſere numerando, nullum propemodum dicendi finem faciam. Eutropius enim, Cellarius, Galenus, Donatus, Velſchius, Solenander, Foreſtus, Cheſnau, Amatus Luſitanus, Cęlius Aurelianus, aliique quorum meminit Hoffmannus (*f*) innumeras fere obſervationes habent, quaſque propterea legi ex fonte malumus, quam hic referri.

Metallici. Si de fumis metallicis ſermo ſit eoſdem nervis pariter, & ſpiritibus infenſiſſimos eſſe tum Veterum, tum Recentiorum Medicorum obſervationibus deprehenſum eſt: hinc foſſores, atque artifices metallorum licet robuſtiſſimi fuerint temperamenti, in hoc opere vix quadrienium vivere incolumes, ſed graviſſimis morbis corripi, & miſellos mori compertum eſt, ut cl. Ramazzinus (*g*) & Hoffmannus (*h*), qui unus inſtar omnium noxam Mineralium, Metallorumque exhalationem expoſuit, atque obſervationibus prope innumerabilibus virorum præſtantiſſimorum confirmavit, haud dubie affirmarunt. Si ergo fumi ex metallis ve-

H 2

(*d*) *Pr. fen.* 4. *can. cap.* 7.

(*e*) *De Feb. lib.* 1. *cap.* 8.

(*f*) *M. S. T.* 2. *cap.* 9. *& in pecul. diſſer. de nox. carbon. &c.*

(*g*) *Morb. artific.*

(*h*) *Mettallurg. morbif.*

vehementi ignis motu in minimas reſolutis particulas ii ſint, ut per anguſtiſſimos poros meatuſque corporis penetrando Spirituum Animalium motum avellerent, atque hinc crebriorem Cordis contractionem excitent, quæ unico die abſolvatur, Ephemeram, ſi ad plures dies protrahatur, Synochum febrem gigni manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari.

Aliaque myaſmata aut organica & animata corpora leviter Spiritibus infeſta &c. Haud infrequens eſt myaſmata maligna, ac deleteria e terræ viſceribus exhalantia atque per poros cutis aut venas lacteas, aut pulmones, ut ſupra oſtendimus, ingreſſa maſſam ſanguinis eam corrumpere, ac malignos alioſque graviſſimos morbos progignere. Evenit etiam, & inſecta quædam, quorum adeo minuta ſunt corpuſcula, ut referente Cl. Læuvenhoechio (*i*) aliquot eorum centena ſimul ſumpta craſſum arenæ granum mole non æquent, in aerem diffundantur, & humanum corpus ingreſſa ſanguinis maſſam; corrumpendo congeneres morbos procreent, ut cum Lanciſio alibi fuſius eſt demonſtratum (k). Ecquis vero ejuſmodi effluvia, aut organica, & animata corpora Spiritibus infenſiſſima eſſe non cenſeat? Arguunt id acerbi in univerſo corpore dolores, vel aliqua parte ægrum torquentes, enormes variæ excretiones, vomitus, diarrhææ, dyſenteriæ, deliria, virium proſtratio aliaque ejuſmodi dira ſymptomata in morbis ab hoc fonte prodeuntibus conſpicua, quæ non ad aliam cauſam, quam ad venenum, ut cum Mortono loquar, ſeu ad prædicta myaſmata, aut organica corpora Spiritibus infeſtiſſima aptius retuleris. Quare ſapienter admodum a Sennerto dictum (*l*), ubi effluvia, atque myaſmata levem Spiritibus noxam inferunt Ephemeram febrem gignere, ubi vero eoſdem inſigniter lædant, Peſtilentialem, quæ brevis quidem eſt & ratione ſuæ durationis ephemeram cum Fernelio appellare non dubitarim, graviſſima tamen cum ſit, horrendiſque Symptomatibus ſtipata, ecquis vel rudioris ingenii ſuaderi poterit eamdem eſſe, ac Ephemeram illam, quam extenſio unius diei, non ulla graviorum affectionum intenſio claram facit? Sed de peſtilentiali infra dicemus?

Vigiliæ diuturnæ, & intenſæ. Vigilia naturalis exercitium ſenſuum internorum, externorumque, & motuum voluntariorum, ſeu proxima diſpoſitio organorum ad illos exequendos paſſim ſolet definiri. In ſomnio enim ſenſus interni, externique, motuſque a voluntate pendentes pereunt: reſpiratio, motus Cordis, arteriarum, & aliorum viſcerum in ſomno æque ac in vigilia exercentur. Quoniam vero homo, qui nullis ſenſibus movetur, nullo cietur motu voluntario, qui rerum memoriam recolit, qui aliquid cogitat, vigilare dicitur, & in ſomno id ipſum efficiat, ut a præclar. Loochio adnotatum eſt (*m*), inde conſequens proxima diſpoſitio organorum ad ſenſus internos, & externos motuſque a voluntate pendentes exequendos requiritur. Quod tunc plane contingit cum ſpiritus animales moderate in Cerebro ſeparati in organa ſenſuum, & motuum derivantur. Quo igitur longior, & intenſior vigilia eſt, ſeu proxima diſpoſitio organorum ad ſenſus internos, & externos, motuſque a voluntate pendentes exequendos, uberiori quoque ſecretione ſpirituum in Cerebro, & derivatione in organa ſenſuum, & motuum opus eſſe, manifeſtum eſt. Multa hinc detrimenta in hominem emanant. Primum enim cum ſanguis ab uberiori ſecretione Spirituum vapidus fiat eo prorſus modo, quo vinum vetus odorem ſaporemque fere omnem amittens in vapam degenerat, vires majorem in modum exhauriri neceſſe eſt: deinceps ſpirituoſis ſanguinis partibus conſumptis, ſalinas, craſſas, lentas, terreſtreſque partes, ac ſulphur aduſtum congregari, ſanguinem acrem, ac климſum evadere, qui nerveas fibras

(*i*) *Tom.* 1. *epiſ.* 7. *& t.* 2. *epiſ.* 9.
(k) (*Aph. lib.* 3. *cap.* 3. *com.* 4.
(*l*) *Lib. de feb. cap.* 6. (*m*) *In Metaphyſ.*

fibras vellicando, ac mordendo ſpiritus ad turbas excitat, eaque ratione afficit, quæ vel una ſatis valere poteſt ad crebriorem cordis contractionem promovendam, ad circulationem ſanguinis pervertendam, ad febrem ephemeram producendam.

Inedia. Si Cerebrum mortui canis ſpectetur ob inediam, medullares Cerebri fibras corroſas comparere alibi a nobis adnotatum eſt (*n*). Si reliqua viſcera obſerventur, limpidiſſima ſanguine fere omnino vacua, & carente omnino gelatinoſa illa parte, quæ in reliquis apparet, inveniri: quæ acrimoniam humorum tantam evincunt, ut molles ac tenellæ fibræ, quales ſunt Cerebri exedantur, reliquæ ita convellantur, ut parum ſanguinis quod ſupereſt fortius exprimant. Quid igitur mirum ſi acrimonia hæc levis nerveas fibrillas mordeat, ita ut in eas turbas agantur Spiritus, quæ crebriorem Cordis contractionem excitent, quæ circulationem ſanguinis pervertat? En febris Ephemera.

Aer nimis calidus, *inſolatus*. Jam ad eas cauſas ventum eſt, a quibus Spiritus afficiuntur remote, inter quæ aer calidus, & inſolatus animadverſionem meretur. Nemo ignorat aerem nimis calidum ſanguinem fundere, ac rarefacere. Ubi calor aeris intenſus, & diuturnus eſt humores incraſſare, viſcidos, lentoſque reddere manifeſta res eſt. Cum enim humidæ particulæ tenues, ac volatiles abſcedant, craſſiores vero remaneant, ſanguinem inſpiſſari, & cogi neceſſe eſt, hinc poſt longam, & calidam æſtatem morbos a craſſitie, & viſciditate ſanguinis exoriri, quam melancholiam dicebant Veteres, pluribus in locis teſtatus eſt Hippocrates, idque Proſper Alpinus in Medicina Egyptiorum confirmavit, ut nullus ſuperſit dubitandi locus. Alterutrum vero, aut utrumque contingat, cum ſanguis nequeat per vaſa rapida circulatione moveri, eadem facile diſtendi contingit, a vaſorum diſtenſione ſpiritus animales concitari, crebriorem Cordis contractionem fieri, quæ ſi unico die abſolvatur Ephemeræ, ſi ad plures dies protrahatur, Synocho ſimplici anſam præbet. Si de inſolatu ſermo ſit, cum levis eſt, nec diuturnus fibras corporis relaxat, ac ſanguinem rarefacit, atque expandit, ſi vehemens ac diuturnus præterquamquod fibras corporis arefacit, & quod conſequens eſt ad ſeſe libere contrahendum impares reddit, accedit præterea ſanguinem aſſare pæne, & congelare: hinc alterutrum, aut utrumque contingat ſtagnationes præternaturales, vaſorumque diſtenſiones ſubſequuntur, quibus ſpirituum agitatio, cordis commotio, ac febris facile accenditur.

Abuſus vini, *& liquorum ſpirituoſorum*. Vinum atque huic congeneres liquores immodice ſumptos ſanguinem ſulphureis, quibus ſcatet particulis exſolvere, ac rarefacere, hiſce vero exhalantibus craſſis, ac terreſtribus relictis aciditate, qua pollent inſigni, ipſum cogere ac denſare manifeſtum eſt: hinc plurimi morbi præſto ſunt deliria, aliaque ejuſmodi ut Galenus teſtatus eſt (*o*) unde olim Eohanus cecinit:

Immodici ſenſus perturbat copia Bacchj
Inde quis enumeret quot mala proveniant?
Corporis exhaurit ſuccos animique vigorem
Opprimit, *ingenium ſtrangulat*, *atque necat*.

Cum vero ſanguis vel plus juſto rareſcens, vel craſſus, viſciduſque ex paulo ante allatis vaſa plus æquo diſtendendo, atque ſpirituum agitationi promovendæ opportuniſſimus exiſtat, inter cauſas Ephemeræ febris, aut Synochi ſimplicis generoſi vini liquorumque ſpirituoſorum potus jure merito recenſeri, luce clarius apparet.

Nec non ciborum præcipue acrium, *& calidorum*. Idem plane dictum velim de voracitate ciborum, a quibus ſolidarum ventriculi partium tonum labefactari neceſſe

(*n*) *Aph. lib.* 1. *com.* 5.
(*o*) *Lib.* 1. *de ſan. tuen.*

ceſſe eſt, ſuccorum gaſtricorum vim infringi, nidores, acoreſque in primis viis generari, qui reliquos illuc confluentes humores corrumpendo innumeris morbis occaſionem præbent, ut egregrie admodum Seneca adverſus Romanam luſuriam: *Multos morbos multa phercula fecerunt*, *& ſimplex morbus ex ſimplici cibo: Innumeros miraris morbos*, *numera coquos* (*p*). Ex cruditatibus ſtomachi ecquis eſt, qui non videat exquiſiti ſenſus fibras eumdem conſtituentes morderi debere, & in ſpaſmum agi, qui ſpiritibus Animalibus communicatus, eoſdem ad velociorem motum excitat unde crebrior Cordis contractio, ac febris? Fieri etiam poteſt, ut prava, atque incongrua inquinamenta ſanguinis maſſam ſubeuntia eamdem inficiant, ac materiem pro ſtimulo afferant, & irritatione, unde commotis Spiritibus animalibus febris ſubſequatur. Quod ſi calidi, acreſque ſint cibi, tenui ac volatili ſulphure, quo inſigniuntur ubi ingeruntur, vaſa, ac viſcera ſtimulando in validiores, vehementioreſque contractiones agunt unde ſanguis plus æquo exſolvitur, atque ejuſdem moleculis diviſis nimis tenuis, acriſque redditur, unde nerveis fibrillis, aut præternaturaliter diſtenſis, aut irritatis ſpirituum agitatio, crebrior cordis contractio, ac febris.

Exercitationes violentiæ corporis. Per vehementes corporis exercitationes nemo ignorat muſculos nimis frequenter, & fortiter contrahi, relaxari, hinc ſanguinem majorem in modum exagitari, ac fundi. Si nimis magnæ ac diuturnæ ſint, tenues ejus partes ſulphureas ac volatiles abſcedere contingit, craſſiores relinqui, ac propterea ſanguinem craſſum, viſcidum ac lentum evadere: ſanguinem vero vel plus juſto rareſcentem, vel craſſum viſcidumque vaſorum diſtenſionem, atque hinc prodeuntem Spirituum animalium commotionem, ac febrem excitare ex ſupra allatis adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla.

Venti auſtrales, *aut boreales inſigniter flantes*. Liquor thermometris contentus flantibus ventis auſtralibus altius attollitur. Id eſt phyſicis rarefactionis aeris argumentum prope certiſſimum. Mercurius e contra barometris concluſus deſcendit, levitatis aeris inditium manifeſtiſſimum. Ab aere vero calido, & parum gravi ſanguinem plus æquo rarefieri, atque expandi experimenta, quæ ſecerni ſolent in machina pneumatica præclare oſtendunt. Animalia enim exantlato aere intumeſcere obſervamus non alia potiſſimum de cauſa, niſi quod aer intus in Animalibus contentus, ſublata externi aeris preſſione ſeſe expandit, unde eadem intumeſcant neceſſe eſt. Cum ergo ita res habeat, ea vaſorum diſtenſio facile ſubſequitur, qua ſpiritus Animales concitantur, crebrior fit cordis contractio, ac febris. Huc accedit flantibus ventis auſtralibus poros, ac meatus cutis facile obſtrui, ac materiæ perſpirabilis, halituumque calidorum exhalationem impediri, hinc aucta ſanguinis humorumque maſſa vaſa diſtendi, nerveas fibrillas divelli, atque hinc ſpiritus exagitari, crebrioremque Cordis contractionem, ac febrem excitari adeo manifeſtum eſt, ut probatione nullatenus indigeat. Obſtrui autem ductus, ac meatus materiæ perſpirabilis, facit potiſſimum ea ratio, quod in tali ventorum conſtitutione aer aqueis particulis refertus eſt, unde egregie Hippocrates (*q*) *Auſtri auditum hebetant*, *illique graves ſunt*, *caliginoſi*, *& tenebroſi nec non capitis gravitatem*, *ſegnitiem*, *ſeu lentitudinem*, *& corporis laxitatem adferunt*. Enimvero neſcio an uberius, quam ab hoc, fonte Ephemeræ, & Synochi ſimplices proficiſcantur. Si de Borealibus loquimur, quemadmodum modum ſervantes ſaluberrimos ventos eſſe conſtat ex Plinio (*r*), Hippocrate (*ſ*), Celſo (*t*), Verulamio (*u*), ita excedentes poros cutis obſtruendo materiæ perſpirabilis exhala-

(*p*) *Aph. lib.* 3. *cap.* 3. *com.* 4. (*q*) *Aph.* 5. *ſect.* 3.
(*r*) *Hiſtor. natur.* (*ſ*) *Sect.* 3. *aph.* 17.
(*t*) *Lib.* 2. *cap.* 1.
(*u*) *In hiſtor. ventor.*

halationem prohibent: eadem ergo de cauſa Ephemeram, ac Synochum ſimplicem creare cenſendum eſt. Sed præterquamquod obſtruunt venti boreales, particulis præterea, quibus fœti ſunt nitroſis, univerſas cutis fibras vellicant, pungunt, ac vehementer corrugant, liberumque ſanguinis excurſum per vaſa præſertim minima, ac capillaria impediunt, hinc nervearum fibrarum divulſio, hinc ſpirituum agitatio, ac febris.

Hæmorrhagiæ alicujus ſuppreſſio. Quotidiana experientia compertum eſt ad ephemeram, aut Synochum ſimplicem proclives plerunque eſſe, qui ſanguine abundant, & qui in media ætate ſunt conſtituti. In illis enim vaſa ſanguifera facile diſtenduntur ob plethoram ad vaſa veram; in his vero cum robuſtis plerunque, ac firmis vaſis ſint præditi, quæque explicari non poſſunt, fit ea plethora ex vaſis, quæ ſtimulo cum ſit nerveis fibrillis plus æquo diſtenſis triſtis ſenſatio, ac dolor ſuſcitatur, a quo ſpiritus excitantur, unde pulſus frequentia, ac febris. Quid ſi conſueta aliqua hæmorrhagia vel ex naribus in pueris, vel ex utero in mulieribus, vel ex hæmorrhoidibus in adultis ſupprimatur? Nonne ea plenitudo, & craſſities, lentorque ſanguinis facile continget, qua vaſa plus æquo diſtendentur, commovebuntur Spiritus, crebrior fiet Cordis contractio & febris?

Dolor vehemens capitis, articulorum &c. Veteribus perſuaſum fuit inflammationem axillarium, inguinum, aliarumque partium eſſentialem febrem, qualis potiſſimum eſt Ephemera, concitare poſſe. Sed hos redarguit ea fere ratio inflammationem cujuſvis partis, ac viſceris illud eſſe vehemens ſolidarum partium vitium, a quo ſpiritus ea ratione concitari poſſunt, quæ valeat crebriorem cordis contractionem excitare, quæ unico die, aut paucis abſolvatur. Inflammatio enim gravis non ſolum, ſed & diuturnus morbus eſt. Quod & de magnis vulneribus, & ulceribus dictum velim, aliiſque Solidarum partium vitiis, in quibus fibræ aut vehementer ſcinduntur, diſrumpunturque, aut integræ manentes inconcinno, validioreque cientur motu. Si quod ſolidarum partium vitium Ephemeræ, aut huic congeneri febri excitandæ par eſt, illud maxime eſſe exiſtimaverim, quod & leve eſt, & inflammationis expers, cujuſmodi fere eſt prædictus dolor capitis articulorum, & aliarum partium, quo ſpiritus Animales ſic commoventur, Cor ſic contrahitur, circulatio ſanguinis ſic pervertitur, ut non alia febris quam leviſſima Ephemera unius diei, aut plurium exoriri poſſit. Cæteras quæ inflammationi ſuperveniunt, ad ſymptomaticas referendas eſſe luce clarius apparet.

III. *Si quis poſt manifeſtam aliquam cauſam febre corripiatur ſine frigore horrore, rigore &c.* Febris origo a cauſa aliqua procathartica evidente, & manifeſta adeo commune inſeparabile Ephemerarum ſignum a Galeno ſupra citato, aliiſque proponitur, ſtatuiturque, ut quæ ab evidenti externa cauſa non incipit febris, pro ephemera non habeatur. Cum autem multæ, variæque cauſæ procatharticæ concurrant ad hujuſmodi febrium productionem, accidit ut ſigna quoque diverſa ſint, & niſi conferantur cum cauſarum diverſitate, ſeu mutua fiat ſignorum, & cauſarum collectio, nihil certi ſtatui poſſit de differentia, & ſpecie febris. Quo loco fateor me juſtis laudibus æquare non valere pulcherrimum eorum morem, qui quo tuto in cognitionem veniant febris, cujus cauſa vocantur, percontantur primum ab ægrotante, num quid ante notabiliter erraverit ſive in corpore, ſive exterius, an ex recenti aliqua, atque improviſa cauſa, an ex veteri aliquo vitio, quique patienter ægrotantem audiens, atque ad carpum digitos admovens pulſum ſcrutatur, calorem, & diſpoſitionem cutis explorat, urinas inſpicit, quæ variis temporibus febris accidunt diligenter rimatur, & ubi hæc omnia præſtiterit, febrem a cauſa aliqua evidente initium duxiſſe deprehenderit ſine frigore, horrore, & rigore invadentem, vel levi tantum horrore præcedente, aliiſque recen-

cenſitis ſymptomatibus ſtipatam de Ephemera febre ſuum profert judicium. Et ſane qui hæc omnia diligenter perpendat non aliam, quam Ephemeræ febris ideam ſibi comparare poterit, ſi illud vel leviter tantum mente volutaverit, eamdem ſolam ſanguinis humorumque agitationem ab evidenti aliqua cauſa inductam, cauſam agnoſcere, quæ inſignes illas turbas ciere non valet, quæ in Synocho putri, in Cauſo, hecticiſque febribus percipiuntur, quæque a tenujum, ac volatilium partium ſanguinis exaltatione, nec non ab aquearum, humidiorumque reſolutione ab acri intemperie, ut ajunt, proficiſcuntur, quæ diris violentiſque affectionibus occaſionem præbet.

Vel levi tantum horrore præeunte, ubi obſtructio adſit pororum cutis. Dum febres cum frigore invadunt horror ut plurimum & rigor conjungi ſolent, quæ nonniſi gradu differunt inter ſe. Rigor enim eſt muſculorum totius corporis vibratio, & concuſſio cum refrigeratione, & ſenſu quodam doloris. Horror vero mitius quiddam eſt, atque in eo cutis ſolum corrugatur, & concutitur. Frigus quidem a lentore ſanguinis in capillaribus potiſſimum vaſis hærente exoritur. Rigor vero, & horror ab inæquali ſanguinis, & Spirituum Animalium in muſculares fibras influxu a ſtimulante aliqua cauſa, aut utriuſque liquidi inertia, aut inopia producto, quo fit, ut illæ modo tendantur, modo relaxentur. Quinam vero aut lentor ſanguinis, aut acrimonia, aut ejuſdem, & Spirituum inertia, aut inopia in Ephemera, quæ ab externa improviſa cauſa exoritur ſi aliquid viſcidi, atque acris excipias ad fines arteriarum inhibentis ſubitam caloris ſolutionem in eo ſolum caſu, in quo adſit pororum cutis obſtructio, & materiæ perſpirabilis intus retentio? Hinc aut nullum frigus, aut levis tantum horror febris initio comparere ſolet, qui ſublato impedimento, cum nihil deinceps novi viſcidi ſanguini admiſceatur toto febris decurſu minime exacerbatur.

Excipiturque a calore miti, & blando. Quoniam mitis, & levis eſt cauſa febrem faciens, ut tota ſpatio viginti quatuor horarum conſumatur, quin volatiles, ac ſulphureæ ſanguinis particulæ a reliquarum nexu ſecedentes in totam maſſam diffuſæ ejus furorem, atque agitationem procreent, hinc mitis calor etiam in ipſo febris ſtatu, & vigore percipi ſolet.

Uberiori quidem ſi a violentis exercitationibus. Solent quidem volatiles, ac ſulphureæ particulæ exaltari in violentis exercitationibus, in temulentia, in ciborum acrium, ac calidorum abuſu, quia aut Muſculis nimis frequenter, & fortiter contractis relaxatiſque tota ſanguinis maſſa exagitatur, ac funditur, aut eædem a cibis, ac potibus acribus, calidiſque in ſanguinem ingeruntur, unde aut majori copia ſecretis, aut extus provenientium conſortio vigoratis lucta major, exagitatio, hinc major etiam reſpectu aliarum cauſarum calor.

Si ab ira cum acredine conjuncto. Quoniam in vehementi ira organa bilis ſecretioni, ac derivationi dicata conſtrictione quadam, ac ſpaſmo afficiuntur (quod dolor in dextro hypochondrio potiſſimum arguit), quo tota quanta eſt vel ſeparari nequit, vel ſeparata in inteſtina per ductus a natura comparatos deferri, hinc eſt materia ejuſdem proxima in ſanguine retenta, ipſum quoque tenujum, acriumque particularum copia coinquinari debere atque ad capillaria vaſa, cutiſque glandulas appellentem calorem cum acredine conjunctum progignere.

Et pulſus inæqualitate. Cum ira nihil ſit aliud, quam vehemens animi commotio excitata ab objecto aliquo externo, quod homini aliquo pacto injurioſum eſt, fit hinc ut propter mirabilem nexum, & unionem animæ cum corpore tales in Cerebri fibras inducantur motiones, quibus ſpiritus non ſolum majori copia & inæquali perturbatoque motu ad organa bilis ſecretioni, ac derivationi dicata feran-

ferantur, ſed ad univerſum fere corpus, ad univerſas fere partes (id quod concuſſio totius corporis, tremor, denſium ſtridor, aliaque ejuſmodi mala evincunt) ſed in muſculares ipſius cordis fibras, unde non ſolum in validiores tremores, crebrioreſque contractiones agi contingit, ſed inæquales ac perturbatas, hinc pulſum celerem quidem, ac frequentem exoriri, ſed cum inæqualitate conjunctum.

Cum cæteroquin ſola celeritas, & frequentia, nonnunquam vehementia peccet, perpetua tamen æqualitas. Cum nihil tale efficiatur ab aliis Ephemeræ cauſis nihil etiam eſt, quod pulſus æqualitatem perturbet. Parum enim recedit a naturali ſtatu, ejuſque pulcherrima laus eſt celeriter quidem, & ſi ſpirituum copia major ſuppeditetur etiam nonnihil vehementer moveri, æquabiliter tamen, & ordinate. Quo loco ſilentio præterire non poſſum præclaram Galeni, Avicennæ, Tralliani, & Veterum fere omnium adnotationem phænomeni cujuſdam, quod inſeparabile ſignum ab ipſis exiſtimatur Ephemeræ febris, quodque deſumitur ex mora, quæ intercedit inter finem diaſtolis, & principium ſiſtolis majore in hac, quam in aliis febribus, propterea quod Syſtoles ipſa non ſit adeo celer quemadmodum in aliis, ideoque pulſus velocitas ſit in diaſtole. Si ſola phænomeni adnotatione contenti fuiſſent Veteres quod inficiari nemo poteſt, aliiſque judicandum reliquiſſent, quam ad rem illud ſatis apte referri poſſet, in illorum errorem minime incidiſſent, qui rei cuidam commentis ſpeculationum illuſtrandæ operam navantes, eamdem, aut obſcuriorem faciunt, aut laude minus dignam, & æſtimatione. Rem enimvero omnem ita expediebant. In febribus adeſt calor, propterea opus non eſt veloci dilatatione arteriæ, ſeu celeri pulſu, ut fiat calor. Quoniam vero febris Ephemera pendet a calore, & nullæ fuligines adſunt, opus igitur non eſt veloci contractione, ut fuligines exprimantur. Ecquis vero in memoriam revocans ea, quæ a nobis de cauſa febris proxima ſunt demonſtrata, quam in calore nulla ratione ſtabiliri poſſe dicimus, continere ſe poterit, quin Veteres in ejuſce rei explicatione condemnet, acriterque contendat aliam, quæ ſi vera non ſit ad veritatem propius accedat eſſe perquirendam? Si id ex eo potiſſimum evenire affirmemus; quod cum in Ephemera adſit calor mitis, parvaque ſanguinis humorumque acredo, arteriæ minus mordentur, vellicanturque, quam in aliis febribus, ideoque parum demorſæ ac vellicatæ leviter etiam contrahuntur, ac propterea celer eſt pulſus in expanſione, non in contractione, an garrire & ſomnia narrare videamur? Si nonnullis id minus placet, ad alias meliores cauſas confugiant neceſſe eſt: ubi vero eaſdem invenerint in eorum ſententiam nos priore relicta pedibus ituros eſſe pollicemur.

Urinis ſanorum ſimilibus, vel certe ab his non multum recedentibus. Nemo ignorat pro varia liquoris aquoſi ad contentas ſolidas particulas, ſalinas ſcilicet, ſulphureas, terreſtres aliaſque omnes pro portione, item pro varia iſtarum mixtura variam eſſe urinæ conſiſtentiam, varium colorem, variam contentorum rationem, ſed optimam eſſe iſtorum inter ſe proportionem, qua urina redditur conſiſtentia mediocris, colore ſubflavo, ſedimento albo levi, & æquali, nulla in eo diutius innatet nebula, nihil extraneum in ipſa conſpiciatur. Urina igitur ab hac mediocritate recedens receſſum aliquem a mediocri conſtitutione declarat. Quod potiſſimum contingit cum ſanguis, qui eſt materia proxima omnium humorum, tum etiam urinæ, aut multus ſcatet impuritatibus, aut alterius humoris vitio coinquinatur, aut alia ratione afficitur, quæ valere poteſt, ad ſecretiones omnes, excretioneſque pervertendas. Quod cum longe abſit ab Ephemera febre, hinc eſt urinam nullam, aut parvam plerunque ſubire alterationem in conſiſtentia, colore, contentis.

Niſi ſi quando præfuerint aut ira, aut temulentia &c. Plerunque, inquam: cum enim Ephemera febris ab ira naſcitur organa bilis ſecretioni, ac derivationi dicata ea ratione affici ſupra oſtendimus, quæ vel una ſatis valere poteſt ad bilis ſeparationem, aut ejuſdem derivationem in inteſtina prohibendam. Quod ubi contingat Serum quoque urinarium bilioſarum particularum copia infici debere, atque colore ſaturato ſe prodere manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Illud etiam temulentiæ maxime proprium eſt ſanguinem volatilibus, atque ſulphureis particulis referre, eumque exagitare, ac fundere, unde urinarum color ruber.

Quæ febris duret breviter, & declinet cum blanda, & humida evaporatione &c. Quandoquidem leniter depravati ſanguinis particulæ ab actione cauſæ febrem facientis in motum actæ proceſſu temporis partim diffluuntur, partim per motum ſanguinis invertuntur, & ſubiguntur, cumque humidis a lympha, a potu ſuppeditatis contemperantur, & commiſcentur, novam etiam modificationem a natura, novumque motum acquirunt, ex quo fit, ut relaxatis glandularum ſudoris & cutis fibris in blandum ſudorem effluant, quocum febris ipſa, & ſymptomata, quibus ſtipatur ſolent deſinere.

IV. *Si prædicta omnia comperiantur majore cum gravitate bidui, vel tridui ſpatium excedere.* Duratio longior in Synocho gravioribus ſymtomatibus ſtipata non aliunde, quam ab intenſiore actione cauſæ febrem facientis, & vitio majore ſanguinis depravati repetenda eſt, quod tale eſt, ut non ſolum unico die, ſeu ſpatio viginti quatuor horarum omnino emendari, & conſumi poſſit, ſed vehementius in corpus agens frigus quod initio interdum comparere ſolet, caloremque intenſiorem efficiat, pulſus celeritatem, frequentiam, atque vehementiam majorem, nec non urinas rubicundiores.

Ægro & rubicundiore, & tumidiore apparente deque laſſitudine tenſiva &c. Cum cauſa febrem faciens intenſius agat, ſanguinem quoque plus æquo atteri, fundi, ac rarefieri neceſſe eſt, hinc vaſa etiam minima permeare promptius, atque expeditius, hinc faciei & univerſi corporis ruborem, tumorem apparere. Ob id potiſſimum quod ſanguis plus æquo expanditur, ac rareſcit, vaſa etiam præter modum diſtendi contingit, a diſtenſione vero laſſitudinem tenſivam exoriri. Neque ad aliam cauſam capitis gravitatem aptius retuleris, quam ad vaſorum ſanguiferorum Cerebri, quæ tenella, ac molli ſtructura ſunt prædita, diſtenſionem; quæ ſi tanta ſit, ut poros, ductus atque emiſſaria Spirituum ſecretioni dicata obſtruat, & comprimat, aut alia ratione afficiat, qua eorumdem ſeparatio libera prohibeatur, languida ſolum fiat, ſomnum profundum excitabit. Si pulmonum vaſa diſtenſione eadem ſic teneantur, ut liber aeris ingreſſus in veſiculas pulmonares, egreſſuſque impediatur, nonne & reſpiratio magna, & difficilis exorietur?

V. *Cave ne in Ephemeris febribus perverſo regimine, aut incongrua meditatione naturæ ordo pervertatur.* Ephemeram febrem levi ſudore viginti quatuor horarum ſpatio ad ſummum biduo, aut triduo finiri quotidiana docet experientia. Hinc ei, qui ad febre laborantem vocatur prudenti conſilio opus eſt, ut tute veniat in cognitionem febris, cujus cauſa vocatur, & ne iis remediis perverſe utatur, quæ naturæ ordinem pervertendo Synocho putri, aliiſque gravioribus febribus occaſionem præbent. Sunt enim qui audito febris nomine, aut ad cathartica medicamenta, aut venæ ſectionem, aut ſaltem potiones refrigerantes, quarum pulcherrima laus eſſe videtur nocere non poſſe, ſtatim properant. Ex deterrimo hoc more, quot quantaque detrimenta in ægrotantium corpora redundent, vix explicari dicendo poteſt. Quid enim pejus quam fruſtra corpus irritare, deplere, refrigerare, ſudoremque, quo omnis materia diſſipatur, planeque conſumitur, cohibere?

Salu-

Salutares interdum eſſe conſueverunt. Si febris Ephemera ejuſmodi ſit, ut materiem lentam, ac difficilem, quæ glandulas, ductus, atque emiſſaria Spirituum, aut comprimendo, aut obſtruendo Apoplexiæ anſam præbet, reſolvere valeat, Serum ac pituitam abundantem abſumere, ſanguinem craſſum, viſcidum, ac lentum exſolvere, fundere, unde major ſpirituum copia in corticalibus Cerebri glandulis ſeparetur, laxatæque partes congruo eorumdem influxu vigorentur, vel ſi exagitato ſanguine, auctoque, ipſius motu, acres mordaceſque particulæ, quæ nerveas fibrillas pungendo, ac vellicando convulſionem Meningum procreant, fluenti ſanguini immiſceantur, unde a morſu eæ liberentur, atque ſtimulo, ſaluberrimum eſſe remedium juxta Hippocratis doctrinam alibi a nobis eſt demonſtratum (*x*). Cum ergo ita res habeat liquido conſtare arbitror peculiari meditatione opus eſſe, antequam ad ullum medicamenti genus deveniatur in Ephemerarum febrium curatione, ne primo ſtatim in limine contra naturæ vim, ac poteſtatem ad illa remedia confugias, in quibus certæ noxæ periculum, nulla levaminis ſpes adeſt.

VI. *Ephemera tamen, quæ a cohibita inſenſibili tranſpiratione enaſcitur in impuris præſertim corporibus &c.* Animadverſione dignum eſt hoc loco quod tradit præſtantiſſimus Sanctorius (*z*), videlicet ſingulis diebus plus evacuari per inſenſibilem tranſpirationem, quam per omnes reliquas ſenſibiles evacuationes ſimulſumptas, atque excretiones dato tempore factas hanc plerumque ſervare rationem, ut excretio per alvum ſit, 4. per veſicam, 16. per cutim 40. & amplius; quod eſt phyſicis argumentum prope certiſſimum uſum præcipuum tranſpirationis eſſe ad depurandum ſanguinem a ſuis excrementis, ſingulaſque partes purificandas a particulis inutilibus, atque effætis ideoque ſummi momenti eſſe tam in ſanitate conſervanda, quam in morbis curandis, ut laudatus Sanctorius primus laborioſis experimentis invenit, & docuit, confirmavitque dein Keilius, atque propriis, iiſque utiliſſimis obſervationibus auxit celeberrimus de Goter in abſolutiſſimo tractatu, quem de Perſpiratione ſcripſit. Nil ergo mirum ſi Ephemera a ſuppreſſa inſenſibili tranſpiratione proficiſcens in Synochum, aliaſque febres putridas terminetur. Eæ enim in ſanguine, atque humoribus congeruntur impuritates, quæ eorumdem craſim altius reſerando, ac pervertendo graviores febres putridas dictas excitent.

VII. *Synochus etiam dictis de cauſis in plethoricis præſertim inflammationes &c.* Ipſe Synochus ſalutaris plerumque eſſe conſuevit ſuperveniente præſertim ſudore, quo acres mordaceſque particulæ extra corporis confinia educantur, aut hæmorrhagia, qua nimia plenitudo tollatur. Si tamen grave aliquod ab ægro, aut Medico erratum committatur, quo ſanguinis copia, raritas, fervorque adaugeatur, ea fiet vaſorum diſtenſio, quæ præterfluenti ſanguini liberum excurſum præpediet, unde pleuritides, peripneumoniæ, phrenitides, aliique ejuſmodi morbi exoriuntur.

VII. *In Ephemera quæ ab ira, aliiſque gravioribus animi affectionibus proficiſcitur, quies, ſomnus &c.* Mirum cuipiam videri poterit in memoriam revocanti, quæ paulo ante dicta ſunt, Ephemeræ nos curationem tradere, quæ cum leviſſima ſit, & breviſſima, interdum ſalutaris, non niſi cum ægrotantis diſcrimine inſtitui poteſt. Recte ille quidem. Mirari tamen deſinet, ſi poſito tantiſper ſupercilio, illud vel leviter tantum mente volutaverit ab iis cauſis interdum exoriri febres Ephemeras, quæ niſi tollantur penitus, corriganturque, aut graviori febri, aut recidivæ periculoſiori occaſionem præbent. Quænam autem remedia in ea Ephemeræ ſpecie, quæ ab animi affectionibus proficiſcitur, ſi illud quod ab

I 2 Epi-

(*x*) *Aphor. lib.* 1. *cap.* 1. *com.* 14.
(*z*) *Aph.* 5., *&* 59. *ſect.* 1.

Epicuro propoſitum eſt, & cujus mentionem facit Marcus Tullius (*a*) excipias: *Avocatio ſcilicet a cogitanda moleſtia & revocatio ad contemplandas voluptates?* Qua in re Æſculapius plurimum enituit. Ejus enim præſtantia referente Pindaro tanta fuit, ut quot quot ad ipſum acceſſerint ægri omnes in priſtinum valetudinis ſtatum reſtituti dimitterentur, alii quidem medicamentis per os aſſumptis, alii extrinſecus admotis, alii carminibus, & dictis unde illud Flacci:

Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
Poſſis, & magnam morbi deponere partem.

Et ſane cum magna ſit animæ poteſtas in nervos, ac ſpiritus, aut ſaltem magna ſit inter illius affectiones, & iſtorum motus conſenſio, magnam vim habere poſſe animum ipſum, quatenus varie afficitur ad corporis ſtatum mutandum ſupra oſtendimus. Quo loco minus mirari ſubit Philoſophiam, quæ, ſi Tullio credimus, vera animi cultura, & medela eſt, non ſolum ad corrigenda animi vitia, ſed etiam ad morbos humanum corpus infeſtantes, ceu medicinam tollendos commendaſſe. Hinc Philoſophia Medicinæ ſoror a Tertulliano appellatur. Ac Tyrius Maximus Platonicus eum Medicum magni faciebat, qui non tantum morbos corporis herbis debellare valet, ſed etiam qui per Philoſophiæ præcepta cupiditates animi, quæ a Stoicis pathemata dicuntur curare didicit, (*b*) Hinc ſi Ephemera a vehementi ira naſcatur, ecquis non videt eo nervos induſtriæ omnes intendendos eſſe, ut placida tranquillitas ſpiritibus concilietur quietem animo imperando, ut fere præcitatus Horatius (*c*) affirmat inquiens:

Ira furor brevis eſt, animum rege, qui niſi paret
Imperat, hunc frænis, hunc tu compeſce catena.

Si de ſomno ſermo ſit ſcite admodum prudenterque ab antiquis Poetis pax, & tranquillitas omnium rerum, nec non quies ſpirituum appellatur. Ita Ovidius:

Somne quies rerum placidiſſime ſomne Deorum
Pax animi, quem cura fugit, & pectora duris
Feſſa miniſteriis mulces, reparaſque labori

Et Seneca in Hercule furente.

Tu o domitor
Somne, malorum, requies animi
Pars humanæ vitæ melior.

IX. *Si acris ventriculi cruditas extiterit, diluentia calida præter cibi abſtinentiam.* Fateor me juſtis laudibus æquare non valere, quæ in hanc rem tradit præſtantiſ. Alexander Tralianus (*d*). Primum enim duplicem ſtatuit cruditatem acrem, & nidoroſam, vel acidam: deinceps acrem vel in ventriculo exiſtentem, vel in inteſtinis. Si in ventriculo præter cibi abſtinentiam, quæ cum in aliis febribus, tum in hac maxime eſt convenientiſſima, aquam tepidam copioſe hauriendam ſuadet. Remedii genus quo & Celſus ipſe uſus eſt, quodque & calore, & ſuo ipſo pondere ventriculi fibras laxando, gravandoque evacuationem peccantis materiæ per ſuperiora & inferiora promovere valet, aut ſi venas lacteas ſubierit, & ſanguinem, feroſi lacticis copioſum proventum efficiendo, aut nexum quem habet cum reliquis ſanguinis partibus ſolvendo, urinas copioſius ciere.

X. *Par Clyſterum eſt efficacia, ſi in inteſtinis latuerit.* Non deſunt, qui cujuſcumque febris curationem a purgante medicamento exordiuntur ea ſpe ducti excrementitios humores in primis viis hærentes, quæ coctiones, excretioneſque impediunt per inteſtina commodiſſime expurgari poſſe, ſicque aliis remediis ſudo-

(*a*) *Tuſculan. diſput.*
(*b*) *Conſ. aph. lib.* I. *cap.* 6. *com.* 10.
(*c*) *Lib.* I. *Epiſt.* (*d*) *Acut. morb. lib.* 12.

ſudorem, aut urinam promoventibus viam ſterni. Verum hos redarguit periculum quod ſubeſt, ne non ſolum pravas, atque incongruas ſordes, ſed bonos etiam ac laudabiles ſuccos ejiciant, deinde acres ſtimulanteſque particulas ingerendo agitationem ſanguinis, ſolidarumque partium irritationem inducendo febrem augeant, aut confirment. Inteſtinorum porro vitiis Clyſterum uſu tutiſſimo occurritur in febribus, quorum operatio viribus ſuis integris permanentibus in eadem exercetur, vitioſos humores, quibus referta ſunt eluendo, expurgandoque. Si ad agitationem ſanguinis, ſolidarumque partium irritationem attendiſſet Galenus, quam ſuum illud Diatripiperon, ſeu pharmacum ex triplici piperum genere compoſitum inducere poterat adverſus acrem ventriculi cruditatem, credo equidem fore, ut in Ephemera ab hoc fonte prodeunte minus idem commendaſſet. Hac via admirationi nullum Tralliano locum reliquiſſet, qui Galenum arguere hac in parte non dubitavit.

XI. *Contra acidam cruditatem Oſtræar. cocl. pul. ad ʒ. s. ex hauſtu aq. meliſ. &c.* Jam ad acidam cruditatem ventum eſt, quam ubi probe noveris, quam ad cauſam ſatis apte referri poſſit, non pauca in promptu erunt medicamenta, quibus eamdem cum citato Tralliano profligare valeas. Cum enim a ventriculo calido originem ducit, iis fere utendum eſſe docuit, quæ adverſus acrem commendavit præclarus Auctor, refrigerantibus ſcilicet, & humectantibus medicamentis: præterea piſcibus teſtaceis, & multam carnem habentibus. Cum enim acidum fiat a ſalibus, qui nerveas ventriculi fibras irritant, ac mordent perſpicuum eſt ea quæ lento ſucco abundant ſalia eadem obtundere, atque abhinc prodeuntem cruditatem feliciter debellare. Si ea quæ a Recentioribus Medicis adverſus hanc eamdem cruditatem excogitata ſunt percenſere numerando velim, nullum fere dicendi finem faciam. Extant in regno Animali oſſa vel uſta, vel in pulverem redacta multa, Corn. Cer. Denſ. Apr. Mandib. Luc. piſc. oculi cancror. &c. ut marina ſilentio prætereeam corralla ſcilicet matreſperlar. conchas: in vegetabili cortices fructuum, nucleos, amygdal. & pinuum in minerali terra ſigillat lemnias, catechù, bol. armen. aliaſque id genus, quibus tamen omnibus præmittendas traderem in regno Animali Oſtræar. cocleas ex hauſtu aq. meliſſæ, exhibendas, ceu quæ ſingulari virtute ad acidum ſtomachi obtundendum donantur, eaque inſigni, ut experimentis, atque obſervationibus ab Academicis Pariſienſibus inſtitutis compertum eſt.

Juſcula tamen avenacea; hordeacea, potus aquæ, vino prohibito &c. Sed rariorum rerum ſtudio fallimur, cum victu humido, & refrigerante, uti cremore hordei, phtiſana vulgari, juſculis hordeaceis, & potu præſertim aquæ in quacumque cruditate nullum præſtantius remedium reperire medentibus datum eſt, aut pro ægrorum opportunitate valentius? Vinum enim quantumvis lene, & molle ſit præternaturale acidum generare valet, præſertim in iis, quorum ventriculus acido, acri, aut lento muco ob præcedentes indigeſtiones onuſtus eſt: hinc fit, ut hyppochondriaci, qui ſtomachi vitiis plerunque obnoxii ſunt torminibus moleſtiſſimis torqueantur. Tunc vero, ut notat Valetius (*c*) & Proſper Martianus (*d*) morbos ſola vini abſtinentia certo curari ſentiendum eſt.

XII. *Si a pororum cutis obſtructione oriatur febris frictiones moderatæ, &c.* Inter ea præſidia Chirurgica, quæ ſine evacuatione ſenſibili conjuncta ſunt frictiones eminent, quarum vires cum in ſolidas partes agunt, tum fluidas: in ſolidas quidem poros cutis reſerando, & patentiores efficiendo, in fluidas vero humores attenuando, & reſolvendo, atque ad certos motus determinando. Attenuatio autem, & reſolutio humorum efficit, ut vel facilius extra corpus eliminentur, vel vaſa

(*c*) *In aphor. Hippoc.*
(*d*) *Lib. de aer. aq. & loc. n.* 10.

vaſa promptius permeando, ſi forte alicubi ſint impacti, & tenaciter hæreant inde propellantur. Hinc eſt in Ephemera febre, quæ ab obſtructione pororum cutis exoritur, moderatas frictiones primum in dorſo ab humeris ad clunes ſpina relicta intacta, tum in brachiis ab humeris ad manus, ac demum a cruribus ad pedes factas attenuationi, ac reſolutioni materiæ intus retentæ, atque hinc ejuſdem inſenſibili evacuationi in univerſo corpore promovendæ opportuniſſimas exiſtere. Eximia hæc emolumenta in ægrotantis corpus emanare poſſe ex balneorum uſu Veteres fere uno ore affirmarunt. Sed in iſtorum adminiſtratione, ut egregie notat Trallianus, ſummo Medentis conſilio opus eſt. Si enim plethoricus homo ſit periculum eſt, ne ſanguis ea ratione rareſcat, qua vaſa plus æquo diſtendantur, diſrumpanturque, unde ſanguinis effuſio, aut ſaltem ſic relaxentur vaſa, ut ſatis prompte ſanguinem movere non valeant, qui propterea in aliqua parte conſiſtens inflammationibus occaſionem præbeat. Quod ſi Cachochymus æger ſit, juſtus ſubrepit timor, ne humor, qui in externis partibus decumbebat a calore intus trudatur, atque a venis abſortus, atque cum reliquo ſanguine circulationem efficiens princeps aliquod viſcus invadat, & ejuſdem obſtructionem, inflammationemque progignat. Quæ res potiſſimum effecerunt, ut apud Modernos balneorum uſus obſoleverit.

XIII. *In Synocho ſanguis ſtatim prædicto injecto Cliſtere detrahatur*. Unuſquiſque etiam me tacente facile intelligit, copiam, æſtum, fervoremque ſanguinis in Ephemera plurium dierum, ſeu Synocho ſimplici potiſſimam partem agere. Curationem hinc omnem iis, quæ plenitudinem ſanguinis tollunt, quæque æſtum, ac fervorem compeſcunt abſolvi manifeſta res eſt. Inter hæc principem obtinet locum venæ ſectio ut Galenus contendit (*e*). Et ſane vix in oppoſitam ire poſſumus ſententiam, ſi noxas reſpiciamus, ac detrimenta, quæ non celebrata venæ ſectione in ægrotantium corpora emanare queunt. Nonne enim ſanguis plus æquo abundans, & rareſcens vaſorum membranas ita diſtendere valet, ut ſanguini libera circulatione traijciendo ineptæ reddantur, unde in vaſis conſiſtens ea ratione alteretur, quæ vel una ſatis Synocho putri, aut morbo deterioris indolis occaſionem præbere poteſt. Reſtat jam, ut ſanguis in viſceribus plane ſiſtatur. Inflammationes enim in promptu eſſe perſpicuum eſt. Quid ſi vaſa diſrumpantur pulmonum, aut Cerebri? Hæmophthiſim, aut Apoplexiam exoriri luce clarius appareat. Ex his liquido conſtare arbitror miſſionem ſanguinis in Synocho ſimplici ad contemperandam ſanguinis agitationem, ac plenitudinem tollendam apprime neceſſariam eſſe. Quid quod materiæ febrili ſubigendæ, perque ſudoris, urinæ, aliarumque excretionum vias exterminandæ opportuniſſima exiſtat? Cum enim vaſa a diſtenſione liberentur, ſyſtalticum quoque eorum motum augeri contingit, hinc ſanguinem facilius expurgari, pulſiſque excrementis per cutis poros, aut renales tubulos naturalem criſim revocari, quam vaſorum diſtenſio, pororumque, ductuum, atque emiſſariorum obſtructio, aut compreſſio præpediebat. Galeni fere, & Avicennæ præclara eſt animadverſio, qui obſervationibus cum multis, ac frequentibus, tum certis ac conſtantibus ſanguine detracto ægros & ſudare, & mejere, & alvum deponere deprehenderunt. Statim vero, ſeu principio ineuntis febris ad miſſionem ſanguinis veniendum eſſe, non in augmento, & ſtatu facit potiſſimum ea ratio, quod quo longius a febris initio detrahitur ſanguis, eo facilius febris deteriorem naturam acquirere poteſt, aut in alium graviorem morbum deſinere, aut naturæ opus turbari coctiones, & ſeparationes humorum peccantium, molientis. Neque enim dubitandum eſt, quin febrilis commotio ad ſanguinem expurgandum, naturalemque criſim revocandam excitetur. Exemplum præclariſſimum affert Peſtis lethaliſſimus morbus, quæ certius perimit abſente fe-

bre,

(*e*) *Lib. 9. meth. med.* 4.

bre, quam præſente, quæ ad mortiferum venenum debellandum, profligandumque conducit. In acutis igitur febribus vix præterquam primis diebus, tuto utiliterque ſanguinis miſſio celebratur. Ejuſcemodi enim ſunt, ut celeriter citoque ad ſtatum, & vigorem deveniant. Qua in re Celſus dicens in magno impetu febris ſanguinem mittere idem eſſe, ac hominem jugulari, minus placet. Experientia enim compertum eſt vim & impetum febris nullo auxilio promptius atque efficacius venæ ſectione edomari. Immo natura, quam intueri, atque admirari ſemper conſultum eſt, docet acutas febres copioſis hæmorrhagiis ſponte ſupervenientibus facillime retundi, ac ſanari. Quæ omnia egregie quadrant in Hippocratis præceptum: *In principiis morborum, ſi quid tibi movendum videtur move*. Hac enim via delentur illa præjudicia, quæ in augmento morbi in ſui initio non jugulati in ægros redundant, quæque natura a redundantis ſanguinis ſarcina non liberata minatur, impar ad id quod ſupereſt moderandum, ac concoquendum.

Ad eam menſuram, quæ & viribus, & temperamento, & vaſorum diſtenſioni conveniat. Certa mittendi ſanguinis menſura definiri non poteſt, ſive ille una ſimplici venæ inciſione, ſive pluribus, & repetitis ſit detrahendus. Ea autem non aliunde fere, quam ex conferentia, & tolerantia eſt repetenda, quæ in varia potiſſimum ætate, temperamento, & morbi, febriſve ſpecie, & uniuſcujuſque hominis idioſyncraſia varia eſt. Ecquis enim eſt, qui non videat adultos, & media ætate conſtitutos facilius ferre copioſam ſanguinis miſſionem, quam pueros adoleſcentes, & ſenes, plethoricos, quam graciles, febre ardente detentos, aliaque ſimili, in qua ſanguis valde efferveſcat, inflammetur, aut inſpiſſatus fuerit, aut ad coagulationem proximus, vireſque ſint validæ, quam lenta mitique preſſos, in qua inertis humoris copia peccet, vireſque ſint infirmæ, eos qui ad operationem alacri animo accedunt, quam qui ad ejus mentionem expaveſcunt, contremiſcunt, & animo interdum delinquunt? Quare Wiliſium hac in re ſiquid ſentio audiendum traderem, dicentem æque graviter peccari in detractione ſanguinis nimis parca, ac in largiore. In ardentibus enim, & inflammatoriis parca ſanguinis miſſio ut plurimum magis nocet, quam juvat: E contra in remiſſis, & lentis non modo larga, ſed jam modica officere ſolet. Ubi vero ſanguis larga manu ſit detrahendus non Priſcos ſectari tutum crediderim, qui authore Galeno *(f)* una vice, uſque ad animi deliquium mittebant ſanguinem ad reſtinguendam hoc pacto magnitudinem febrilis incendii. Quem morem utpote nimis prodigum, & periculoſum, adnotante ipſo Galeno Medicos tanta liberalitate ſanguinem mittere volentes ægros jugulaſſe, deſeruerunt Moderni Fernelii, ac Sennerti doctrinam ſequuti, ſatiuſque eſſe exiſtimantes miſſionem ſanguinis repetitis venarum inciſionibus celebrari, quarum intervallis recolliguntur vires, atque ad novam evacuationem ferendam fiunt alacriores, quam una vice tantum ad præſentem animi defectionem, quæ omni ſtudio vitanda, ne vires ad ſuſtinendam, ac profligandam febrem adeo neceſſariæ ſic collabantur, ut fulciri poſtea, atque erigi nulla ratione poſſint. Quod magni etiam eſt momenti ad aſſequendum terminum ſalutarem phlebotomiæ, qui non ex coloris in ſanguine proſiliente mutatione repetendus eſt, ut præcepit Hippocrates, aut impetus ejus remiſſione, aut in melius mutatione, quæ nonniſi poſt inſignem virium collapſum a ſummo ſanguinis diſpendio prodeunte, contingerent, ſed ex paulo ante memorata conferentia, & tolerantia facili.

XIV. *Mox aqua aut Noceriana, aut ſtillata ex Cichorio, endivia malva &c. crebris & moderatis potionibus detur*. Si alicubi eſt laudandus aquæ potus maxime eſt in Synochis, & ardentibus febribus. Veteres Medici Hippocrates, Martianus, Galenus, Aretæus, Celſus, Alpinus ceterique fere omnes de eo magnifice loquuti ſunt, nec

(*f*) *Ibid.*

nec immerito, quia ut inquit Galenus: *extinguit febrem, & naturam robuſtam reddit, ut deinceps per alvum, & ſudorem expellat, quæ noxia ſunt*. Mirum autem totum curationis opus abſolvere conſueviſſe largiſſima potione aquæ frigidæ, qua æger pallidus, tremens totoque corpore refrigeratus evaderet. Id autem non paucis cautionibus adhibitis fieri præcipiebant, ut liquido conſtat ex Celſo (*g*), qui præclare de cauto, & legitimo aquæ uſu Medicos monens: *In ſummo*, inquit, *incremento eſt morbus ardens, utique non ante diem quartum magna ſiti ardente frigida aqua copioſe præſtanda eſt, & ad ſatietatem danda, qua pro medicamento utuntur:* Utendi modum deinde, & effectus innuit ſequentibus verbis: *Ubi factum eſt multa veſte operiendus, & collocandus* (nempe æger) *ut dormiat, fereque poſt longam ſitim, & vigiliam, poſt multam ſatietatem, poſt infractum calorem plenus ſomnus venit, per quem ingens ſudor diffunditur, idque præſtantiſſimum auxilium eſt*. Cautiones denique ſubijcit animadvertens, & docens: *Sed in his tantum, in quibus præter ardorem nulli dolores, nullus præcordiorum tumor nihil prohibens, vel in pulmone, vel in faucibus non ulcus, non defectio, non profluvium alvi fuit: ſi quis vero in hujuſmodi febre leniter tuſſit, is neque vehementer ſitire debet, neque aquam frigidam bibere*. Quia tamen cautiones haſce omnes adamuſſim ſervare difficillimum non ſolum viſum eſt multis, ſed illud etiam veriti ſunt, ne in lethargum, hydropem, convulſionem, aliaque graviſſima pericula ægrum conijcerent, mos aquam frigidam copioſe exhibendi obſolevit ad hanc uſque fere ætatem, in qua Neapolitani eumdem non certis tantum finibus coercere contenti fuerunt, ſed ad genus omne Synochorum, aliarumque acutiſſimarum febrium profligandum revocarunt. Diætam fere aqueam methodum aquam frigidam exhibendi appellant, quæ in eo verſatur, ut phialam ſingulis, vel alternis horis præſtent per ſeptem, octo, & plures dies omni alio victu, ac remedio prohibito, ut colligi poteſt ex libello, cui titulus *Ragionamenti intorno all' uſo dell' aqua*. In Xenodochio S. Mariæ della Vita Bononiæ placuit periculum facere celeberrimo Practico Marco Antonio Laurenti, nunc Archiatro Pontificio præſtantiſſimo. Mirum autem licet cautiones paulo ante indicatas adhibuiſſet neminem vidiſſe, qui convaluerit. Quapropter ſatius, ac tutius cum accuratioribus Practicis exiſtimaverim aquam crebris, & moderatis potionibus dare, vel ſimplicem ſi pura, levis, & ſubtilis ſit quæ tamen non ubique facile occurrit, vel decocta cum hordeo, pane &c. vel deſtillata ex Cichorio, endiv. acetoſ., & ſimilibus, quæ refrigerandi intentioni optime favent: multo magis ſi acida omnia, ſive ex vegetabilibus, ſive ex mineralibus petita admiſcentur, quæ ſanguinis partes figunt, & ejus texturam quaſi conſtringunt, unde illud etiam emolumentum in ægros redundat, ut ſeroſa parte ab aliis ſecedente, atque ad Renes facile appulſa, urinæ copioſiſſimæ promoveantur.

XV. *Sequens emulſio, ubi nidoroſa ventriculi cruditas &c. ſemin. quat. frigid. &c.* Fateor me juſtis laudibus, æquare non valere ſaluberrimum nonnullorum morem, qui dum febris ſymptomata profligare ſtudent, ne ejuſdem cauſam augeant, diligentiſſime cavent, per ea ſcilicet, quæ Stomacho adverſantur, fermentationes incongruas ſuſcitando, digeſtioneſque difficiliores reddendo, cujus indolis juxta Cl. Hoffmannum ſunt nonnulla julapia ſine connubio acidorum, electuaria, potiones dulces, emulſiones, & alia hujus naturæ facile fermenteſcentia. Saccharum, inquit ipſe, cultro chymico diſſectum ex una parte abit in ſpiritum ardentiſſimum, ex altera reſidua in ſalem corroſivum: quid futurum in morboſo ſtomachi apparatu? nempe id mali, ut in ſulphurea & nidoroſa cruditate intendatur æſtus, & ſudor ſanguinis, in acida vero corrodentis acrimoniæ ſpicula augeantur: unde non immerito ſentit Avenzoar, ſcribente Mercuriali, eos qui frequenter utuntur dulcibus vix ſervari poſſe.

XVI.

(*g*) *Lib. 3. cap. 13.*

XVI. *Quod cum raro contingat, ſatius erit matutinis, & ſerotinis horis decoctionem in jure pulli &c.* Non uni refrigerandi intentioni inniti totam hujuſce febris curandæ methodum, ſed etiam diaphoreticis utendum eſſe tradit præcitatus Galenus. Quo loco quæſtio occurrit inter Medicos. Nonnulli enim obſervatione edocti febrem hancce cum ſudore, aut blanda exhalatione terminari, cogitanteſque copioſam eſſe acrium particularum in ſanguine collectionem ob impeditam perſpirationem, ſeu obſtructos poros cutis, quæ a diaphoreticis medicamentis extra corporis confinia educi poſſunt, eadem miris laudibus extollunt. Alii e contra exiſtimantes tunc ſolum cum ſanguinis curſus acceleratur, ſimulque ejus partes attenuantur, compages earum ſolvitur, & univerſa maſſa rareſcit, ſudorem promoveri, quod potiſſimum ſulphureis, ac volatilibus particulis, quibus fæta ſunt diaphoretica, debetur in ſanguinem ingeſtis, eumque exagitantibus, non ſolum augeri febrem per diaphoretica ſuſtinent, quam raritas atque efferveſcentia ſanguinis fovet, ſed illud maxime verentur, ne aut vaſorum rupturæ præ nimia diſtenſione contingant, aut dolor capitis, ſomnus profundus, quæ conjungi ſolent cum hac febre in phrenitidem, gravioreſque morbos terminentur. Atque iſti quidem a diaphoreticis cane pejus, & angue abſtinendum eſſe haud dubie affirmant, quemadmodum Alexander Trallianus in homine plethorico propter enarrata pericula, quæ aucta ſanguinis effervefcentia imminent a balneorum uſu abhorruit. Quæſtio dirimi vix ulla ratione poteſt, niſi ad multiplex diaphoreticorum genus reſpicias, ac varium in variis operandi modum. Nemo ignorat in diaphoreticorum cenſu primo recenſeri ſales omnes volatiles, iiſque craſſiores partes reſolvi, ſanguinis maſſam fundi, ejuſque curſum accelerari veritati conſonum eſt: Sequuntur plantæ nonnullæ ſalibus fixis una cum volatilibus particulis admixtis præditæ, ut ſunt Card. S. Scorzoner. &c. atque iſtis maſſam ſanguinis exagitari, & aliquantulum rarefieri veroſimile eſt. Sunt etiam omnia olea deſtillata, plantæ aromaticæ, concreta ſulphura, quæ ſubtili oleo, quo donantur qua penetrando, qua ſolvendo, qua maſſam ſanguinis exagitando, operari videntur. Virtus hæc maxime elucet in lignis ſudorificis dictis, quæque craſſiores ſanguinis partes in ſolidarum partium interſtitiis hærentes reſolvendo, fixiorem omnem acorem corrigendo, atque ſanguinis maſſam refermentando agere communiter reputantur: Alchalia omnia terrea, & cruſtacea aeres, aut acidos ſuccos abſorbendo, a quibus ſanguinis denſitas, aut ſolutio pendet, niſi ſudori, uti cætera ſolent, promovendo ſint apta, ad eumdem certe egregie diſponunt: ſunt tandem moderate acida, nitrata, & copioſe potiones calidæ. Illis nimirum diſſolutæ ſanguinis compagi congrua conſiſtentia redditur, nimius ſanguinis motus compeſcitur, fervor temperatur, parteſque ipſius ætherogeneæ, ac morboſæ a reliquis ſecedentes ad excretorios porulos juſto applicantur, atque inde conſequens facilius ſeparantur: iſtis vero ſanguini, ſolidiſque partibus laxitas quædam conciliatur, ſeroſæque partes una cum ipſius ſero mixtæ, ubi in ſanguinem invectæ fuerint, ad minima cutis vaſcula copioſius delatæ, facta blanda motus retardatione extra corporis confinia facile diſflantur. Ad ſudorem enim, & cæteras excretiones obtinendas non ſolum moderatum ſanguinis curſum adeſſe neceſſe eſt, ſed etiam glandulas, unde ille ſecerni debet ſatis laxas, & apertas. Nam ſi ſanguis celerius, quam par eſt movetur, ſeroſæ partes non ſolum applicare ſe juſto poſſunt ad ſubcutaneas glandulas, ſed cum aliis partibus commixtæ non facile ſeparari, inde nulla, aut parca ſecretio: quod exemplo preclariſſimo demonſtratur in iis, qui febrientes in principio nunquam ſudant, utique vero in declinatione, nimio ſcilicet ſanguinis curſu retardato. Quod ſi ſanguis ſegnius, quam par eſt moveatur, non ſolum pauciores particulas ad excretoria vaſa glandularum ſubcutanearum deferri

contingit, ſed ſeroſum lacticem ab aliis partibus ita apprehendi, ut ab earum nexu ſecerni non poſſit, hinc ſudor aut nullus, aut parcus. Niſi glandulæ ſatis laxæ, & apertæ ſint, qua ratione, aut modo etiam diſpoſito ſanguine ſudorem fieri dicamus? Hinc ſalubre Practicorum conſilium ad faciliorem ſudoris exitum cutis poros frictionibus reſerare, corpus in convenienti calore detinere, ſudantes vero ab omni aeris frigidioris afflatu, ne occludantur, munire. Si igitur de iis diaphoreticis ſermo ſit, quæ ſanguinis maſſam rarefaciendo, ejus curſum accelerando, exagitando operantur, ab illis ſumus, qui eadem in Synocho reſpuunt, ceu quæ aut nullum ſudorem, aut nihil conferentem, & ſummo cum periculo eliciunt. Sin autem de iis loqui intelligant, quæ abſorbendo, ſimulque nimium humorum motum fervoremque compeſcendo agunt, uti fere raſur. matr. perlar. ocul. cancror. nitrum puriſſimum, aut ſtibiatum, nec non decoctiones herbarum, quę ratione ſalis nitroſo perſimilis, refrigerantes dicuntur, & quæ calidæ exhibitæ in ſanguinem, & ſolidas partes agunt ea ratione, qua opus eſt ad ſudorem obtinendum in nimio orgaſmo, ac fibrarum tenſione, tantum abeſt, ut adhiberi in Synocho non poſſint, ut nullo magis tuto, atque efficaci remedio optatam ſudoris ſeparationem obtinere valeamus. Apte cadit in hunc locum quod tradit Celſus; ubi ſit nota ſudoris venturi tum demum calidam aquam potui dari oportere pulſus ſalubris effectus erit ſudorem per omnia membra effundere.

XVII. *Sudore vero non ſuperveniente in progreſſu ad potiunculam ex aq. ſuc. Meliſ. &c.* Quandoque tamen contingit, ut ſudor, blandaque exhalatio, qua cum febris terminari ſolet, minime ſubſequatur. Tunc vero coctione jam facta peccantis materiæ, ad ea diaphoretica deveniendum eſt, quæ validius ſolvunt, fibrarumque elaterem præ morbi vi, ac diuturnitate langueſcentem alacriorem efficiunt, quæ fractas vires erigunt, recreant, confirmant, paſſimque cordialia, & cardiaca dici conſueverunt, propterea quod vim motricem Cordis, & arteriarum excitant. Ejuſmodi ſunt aquæ ſtillatæ ex herbis grati odoris fragrantia inſignitis, ut fere ſunt aq. ſuc. Meliſ. roſar. Cinnam. confect. alcher. aliaque id genus, quæ momento fere temporis ac celerrime permeant, viribuſque fere integris ad Cor perveniunt teſtante Prævotio, & Rhodio in Septalium, atque experientia teſte, quam in M. N. C. attulit Csholtius de Principe Brandemburgenſi, cujus defuncti cadavere diſſecto Cor ſpirabat ſuavitates odorum, qui afflantur ex aquis roſarum, cinnamom. confect. alcher. aliiſque id genus compoſitionibus, quæ aliquot ante obitum dies fuerant propinatæ.

Card. S. Borragin. &c. Cor. Cer. ph. pp. &c. Sunt etiam nonnulla, quæ ſubtiles habent partes, licet non ſatis odore, aut alia qualitate ſe prodant, ut Borrago, Card. Bened. Bugloſ. aliaque id genus, quæ hortus, & ager afferunt, deinde Animalium oſſa, cornua, dentes, lapis hyſtricis, bezoar orient. & occident.: ex Mineralibus inter cætera bezoarticum mineral. antimon. diaphoret. aliaque quæ magno pretio vendi ſolent, crumenis tamen divitum exhauriendis, quam ſudoribus provocandis, & cordi confortando aptiora. Antimonium enim quamvis diaphoretici nomine inſigniatur, ſudori tamen promovendo minus efficax exiſtere ingenue fatetur Wiliſius, licet dyſcraſię ſeroſę, & acidę humorum in primis viis corrigendę ratione calcis cujuſdam, & terrę ſalibus orbatæ cum fructu adhibeatur, dummodo legitime paratum ſit, atque intra vitrea vaſa ab externo aere bene munitum, & clauſum ſervetur. Secus enim emeticum evadere compertum eſt. An lapide bezoartico utamur? Sudoribus nempe eliciendis minus fortaſſe efficacem eſſe, quam vulgo creditur candide ſcripſerunt Hyeronimus Mercurialis, & Hercules Saxonias. Quod non aliunde repetendum traderem, quam ex eo quod nonnulli factitium pro vero vendunt, occidentalem pro orien-

rientali, qui ab impoſtorum fraudibus ſic adulterari conſuevit, ut dolus vix cognoſci poſſit. Cum tamen ipſo Mercuriali fatente ex eo ſit remediorum genere, quę ſi non juvant nec tamen officiunt, moderata, & mediocri doſi adhiberi poteſt pro ut res & occaſio fert.

C A P U T III.

De Synocho putri, & Cauſo, ſeu febre ardente.

I. MAjus, & diuturnius ſanguinis vitium, quam in Synocho ſimplici Synochum putrem eſſentialem facit.

II. Quod tunc contingit cum vel omnes partes maſſam ſanguinis conſtituentes a ſe invicem ſegregantur, ſolutoque earum nexu in maſſulas coaleſcunt, vel cum tenuiores tantum, & bilioſæ.

III. Hinc Synochi in ſanguineam, & bilioſam diviſio: illam a putredine totius maſſæ ſanguinis, hanc a tenuiorum bilioſarumque oriundam.

IV. Illam plenitudo comitatur cum tenuitate, & lentore ſimul conjuncta, hanc vero cum acredine.

V. Acredo porro ſanguinis inſignis facta conjuncta cum ipſius tenuitate, & ſolutione Cauſum ſeu ardentem febrem legitimam gignit: conjuncta vero cum craſſitie, viſciditate Cauſum notham, quę levior etiam eſt.

VI. Conſtat hinc hactenus enarratas febres eaſdem remotas cauſas agnoſcere plus minus intenſas.

VII. Eadem hinc ſymptomata, quæ ſimplicem Synochum, etiam putrem comitari ſolent: graviora tamen, & urgentiora: prævius interdum rigor quidam, & horror, quem poſtea ſequitur calor non unius gradus, ſed valde acris urens, & mordax, maxime in Synochi ſpecie, quæ bilioſa appellatur, ſine paroxyſmis, & exacerbationibus continenter durans uſque in finem, cum pulſu celeri crebro, inæquali, urinis initio flammeis, & crudis, cephalalgia, vigiliis, delirio magna membrorum laſſitudine, puſtulis ad ambitum corporis.

VIII. Cauſi legitimi idea deſignatur ex febre acutiſſima continua eſſentiali conjuncta cum intenſiſſimo calore, ac ſiti intolerabili, lingua arida, nigra, igneo faciei ardore, oculorum, cutis, ejuſque ſquallore, & ſiccitate, pulſuum frequentia ſumma, ac inæqualitate lotio bilioſiſſimo, ſpiratione denſa, & difficili, doloribus membrorum acutis, & viſcerum, atroci delirio, mentis ſtupore, inſomniis terrificis, irrequieta corporis agitatione, interdum inflammatione viſcerum.

IX. Si hæc omnia comperiantur minore cum gravitate, & intenſione ægrum adoriri mollioris habitus ſucci plenum Cauſo notha teneri cenſendum eſt.

X. Synochus putris ſemper periculoſa & anceps febris eſt, præſertim

cum urinis ſine hypoſtaſi, aliiſque cruditatis ſignis invadens, & in quarta non apparentibus concoctionis inditiis, etiam longa.

XI. Synochus putris, in qua urina ab initio pallida apparet, & æſtuoſa vel rubra, & de repente contrarios colores induit peſſima, & ſi bilioſus vomitus, ſingultus, icterus, extremorum refrigeratio, animi deliquium, virium proſtratio inſignis ſuperveniat, ante ſeptimum diem celeriter necat.

XII. Solum largus ſudor, aut urina, aut narium hæmorrhagia, aut abſceſſus die critico apparens ſpem faciunt ſalutis.

XIII. In Synocho putri ſanguinea præmiſſo laxante Clyſtere ſanguis repetitis vicibus detrahatur, ut in ſimplici: in bilioſa parcius, & plerunque non niſi in inflammationis periculo.

XIV. Aquea, refrigerantia, acida, nitroſa, ut in Synocho ſimplici hic repetenda.

XV. Ubi criſeos per ſudorem futuræ inditia præſto ſint, diaphoretica, & cardiaca, quæ Synochi ſimplicis remedia ſunt, eximiam hic quoque navabunt operam.

XVI. Coctionis ſignis apparentibus, urina ſcilicet nebuloſa, & turbida, nec colliquatione prohibente leve purgans egregie confert: exemplo ſit. ℞. Flor. Caſ. r. e. ℥ i. tartar. ſolub. ʒ i. Semin. aniſ. pul. ʒ i. M. f. placen. vel boli. quibus ſuperbibat æger Serum lactis, aut juſculum larga copia. Vel Tamarind. inciſ. ℥ i. ſ. Ser. lactis ♃ i. e. ſ. a. ebullitio levis, ad colaturæ ſyrup. violar. ℥ .s. f. potus.

XVII. In Cauſo ſeu febre ardente venæ ſectio etiam in bilioſis calidis ſiccis graciliorifque ſtructuræ hominibus, in pueris, & ſenibus, in præſentia vomitus diarrhææ, aliarumque enormium evacuationum licet in modica quantitate, & ſi libet ex ſola ſalvatella celebretur. Conſtat hinc, quam promptum, & liberalem eſſe Medicum oporteat, ubi nihil prohibere videatur.

XVIII. Aqua moderatis hauſtibus per intervalla, nec multum frigida ægris propinetur.

XIX. Ne multum frigida quidem ventri, & hypochondriis admoveantur.

XX. Acida, nitroſa, diaphoretica, cardiaca, purgantia paulo ante dictis cautellis ad amuſſim ſervatis, adhibeantur.

XXI. Veſicantia nonniſi in febre ardente notha, vel inflammatione aliqua comitata a craſſitie, & lentore humorum oriunda, ubi cætera nihil profuerint, applicentur.

XXII. Conclave aliquando apertum ſervetur præſertim ſi Sirius ardeat.

CAPUT III.

De Synocho putri , & Cauſo , ſeu febre ardente.

I. M*Ajus , & diuturnius ſanguinis vitium , quam in Synocho ſimplici , Synochum putrem eſſentialem facit.* Abſoluta febrium ſimplicium conſideratione , de putridis ex ordine erat agendum. Hę ut ſupra dictum eſt in continuas , & intermittentes diſtinguuntur : continuæ rurſus in continentes ſeu Synochos , & remittentes. Continentes unico quaſi circuitu abſolvuntur vario caloris gradu , & intenſione prędito. Vel enim ęqualis a principio ad finem ęgros affligit , aut paulatim augetur & creſcit , aut paulatim imminuitur , uti de Synocho ſimplici contingit. Hę rurſus vel eſſentiales ſunt vel ſymptomaticę , & eſſentiales iterum vel ſolitarię , vel comitatę , cum aliquo ſcilicet vitio conjunctę , a quo peculiare nomen , & denominationem accipiunt , quaſque repetere operę pretium non eſt , cum inſtituti noſtri ratio poſtulet , ut de Synocho putri eſſentiali , & ſolitaria dicamus de ea febre in qua ſanguinis , humorumque craſis altius , quam in Synocho ſimplici referatur , ac pervertitur , quamque illud ſanguinis humorumque vitium , quod Veteres putredinem dixerunt claram fecit.

II. *Quod tunc contingit cum vel omnes partes maſſam ſanguinis conſtituentes a ſe invicem ſegregantur , &c.* Putredo hæc porro in duas ſpecies a Galeno , & Veteribus diſpeſcitur : alia quidem ſanguinis , alia bilis , unde duæ Synochi ſpecies a duplici cauſa eam faciente ſanguinea , & bilioſa ſtatutæ fuerunt. Quo loco quæſtio orta eſt inter pleroſque Veterum. Alexander referente Riverio , aliique ſanguinem ſub propria forma nequaquam mutari poſſe exiſtimant : ubi ſanguis putreſcit , vel putreſcere ſecundum tenuiores partes , ſcilicet bilem , vel craſſas , ſcilicet melancholiam. Si primum contingat febrem putridam fieri , ſin alterum quartanam : atque hi quidem Synochum ſanguineam , quæ fit a putredine ſanguinis ſub propria forma mutati , inficiari non dubitant. Alii vero Galenum ſequuti , quos inter Avicennas , Argenterius , Capivacius eminent , contrariam , opinionem ſuſtinent , immo Avicennas ipſe Galenum carpit , quod ſanguineam febrem omiſerit. (*h*) Qua in re tamen deceptum fuiſſe Avicennam dubitare nemo poteſt , qui Galeni monumenta diligenter perpendens deprehendit duas Synochi , ſeu continentis febris ſpecies , alteram ex ſanguine putreſcente memoraſſe, (*i*) alteram ex bile putreſcente in majoribus vaſis explicaſſe (k). Hos in præſens ſequimur. Quomodo autem fiat ſatis dilucide , explicavit Hippocrates in libro de veteri Medicina docens : *Ineſſe in homine , & amarum , & ſalſum , & dulce , & acidum , & acerbum , & fluidum , & alia infinita &c. atque hæc quidem juſta , ac inter ſe temperata neque conſpicua fieri , neque hominem lædere.* Quæ ſi ſano modo interpretemur liquet , ut alibi dictum eſt (*l*) nihil aliud ſignificare voluiſſe , quam multis , ac variis principiis humani corporis alligatis mutuo ac firmiter connexis optimum , ac perfectum valetudinis ſtatum conſtitui. Quo autem loco ſubdit : *Ubi vero horum quidpiam ſecretum fuerit , atque ipſum in ſe ipſo ſteterit , tunc & conſpicuum eſt , & hominem lædit* , nihil aliud inferre voluiſſe , quam diſſolutionem illius nexus , ac vinculi , quo pro optima valetudine conſtituenda alligari mutuo , ac firmiter conjungi debent varia illa genera partium , quibus cum fluida noſtri corporis , tum ſolida componuntur. Modi au-

(*h*) *Cap.* 8. *&* 9. *lib.* 2. *de differ. febr.*
(*i*) 2. *meth. cap.* 1. *&* 9. *nec non* 9. *meth. cap.* 3. *&* 5.
(k) 2. *de differ. feb. cap.* 2. *&* 2. *de criſ. cap.* 6.
(*l*) *Aph. lib.* 3. *cap.* 9. *com.* 11.

autem, quibus diſſolvi poteſt nexus ille plures ſunt, ſi de ſanguine præſertim dicamus. Cum enim ſanguis diverſis particulis conſtet ſalinis, ſulphureis, terreſtribus, craſſis volatilibus, aereis, aliiſque nobis fortaſſe ignotis, ſi forte contingat, ut ſalinæ, & tartareæ partes a ſulphureis partibus ſeparentur, & in cryſtallos coeuntes ſenſibiles fiant, vini ad inſtar ſanguis aceſcit. Si ſulphureæ partes a tartarearum vinculo expeditæ, & cum ſale primigenio intime unitæ in majores maſsulas concreſcant, uti vino ſic ſanguini inſignis acredo conciliatur. Si non ſolum ſalinę, ſulphureæ, tartareæ partes, ſed fere omnes a mixtione naturali diſſolvantur, & a qua ſanguis temperabatur, ut egregie animadvertit Martianus in adnotationibus in Hippocratem, & in novas, majoreſque maſſulas coaleſcentes totę ſenſibiles fiant, quemadmodum vinum & odore, & ſapore, & cæteris omnibus qualitatibus labefactatur, & corrumpitur, ſimili prorſus ratione ſanguis ſub propria forma mutatur, ac perfecte putreſcit.

III. *Hinc Synochi in ſanguineam, & biliosam diviſio: illam a putredine totius maſſæ ſanguinis &c.* Ex his liquido conſtare arbitror, tunc cum ſanguis perfecte putreſcit, fieri Synochum putrem ſanguineam, cum imperfecte putreſcit, & ob exaltationem tantum, ac prædominium ſulphurearum, tenuiorumque partium, quæ ad bilis naturam Veterum magis accedunt, fieri Synochum bilioſam: Propterea quidquid de iſta Veterum opinione de ſanguine, aut bile putreſcente in majoribus vaſis nonnulli ſenſerint; non ſine ratione putris Synochi in ſanguineam, & bilioſam diſtinctionem inductam fuiſſe, cum illius cauſa proxima ſit putredo totius maſſæ ſanguineæ, hujuſce vero putredo bilis, & prævalentia.

IV. *Illam plenitudo comitatur cum tenuitate &c.* Duo ſanguinis vitia, quæ ipſius plenitudo comitatur, hoc tamen diſcrimine, quod ſanguinea putredo cum tenuitate quidem, ſed craſſitie ſimul, viſciditate, & lentore ſimul, pituitam, aut Melancholiam dicebant Veteres conjuncta eſt: bilioſa vero cum acredine. Quod non levis momenti eſt ad aſſequendum, qua ratione fiat, ut Synochus ſanguinea minus anceps, & perículoſa ſit, quam bilioſa: plenitudo enim ſimul cum craſſitie ſanguinis facile tollitur, tenuitas vero cum acredine corrigi non facile poteſt, unde ad graviorem aliam febrem Cauſum ſeu febrem ardentem via ſternitur, de qua mox eſt agendum.

V. *Acredo porro ſanguinis inſignis facta conjuncta cum ipſius tenuitate, & ſolutione &c.* Quęnam ſit cauſa febris ardentis dubitatur. Sunt enim qui cum in ea ſint opinione, ut credant tunc cum bilis tantum peccat fieri Synochum bilioſam, cum vero pituita, melancholia, aliique humores ſimul vitiantur, Synochum ſanguineam excitari, bilem eſſe cauſam caloris, pituitam & melancholiam ejuſdem ſubjectum, remotam vero cauſam putris febris eſſe diſſolutionem nexus ac vinculi, quo mutuo alligabantur prędicti humores, firmiterque connectebantur: affirmare non dubitant, tunc cum bilis in diſſolutione alios humores ſuperat oriri febres acutas, & continuas, ubi bilis excedit, pituita vero modica febrem ardentem procreari. Hæc fere eſt Hippocratis opinio de natura hominis, (*m*) ubi multam, & ſiccam bilem accuſat, & Martiani, qui multam ſiccam bilem cum aliqua portione pituitæ prætendit. Alii e contra exiſtimant cauſam febris ardentis legitimæ eſſe bilem flavam in majoribus vaſis viſcerum naturalium putreſcentem, eamdem vero pituita mixtam, vel phlegma ſalſum, nothę. Hi fere ſunt Galenus, & Avicennas. Cum his pugnarunt Recentiores Medici, quos inter Etmullerus eminet, qui non aliam eſſe ardentis febris cauſam prætendit, quam ſalem volatilem, acrem, & oleoſum, ſubdens ubi oleum parum excedat, calorem inſignem in febre ſuſcitari. Si poſito tantiſper ſupercilio ſedulo, & accu-

(*m*) *Num.* 27.

accurate ad opinionum momenta attendatur, ecquis continere ſe poterit, quin Veteres, Recentiores, & qui ſucceſſu temporis floruerunt eximios viros altiori voce redarguat, ceu qui novarum rerum ſtudioſi controverſias ſic perſępe tractare ſolent, ut lis ſit potius de nomine, quam de re? Cum enim dicit Galenus, & Avicennas legitimam ardentem febrem fieri a bile flava, notham vero a bile flava cum pituita, vel phlegmate ſalſo, an in diverſam ivere ſententiam ab illa, quam Hippocrates pronuntiavit bilem cum modica portione pituitę accuſans? Quid aliud ſui illius ſalis volatilis, acris, oleoſi, quem tanta cum pompa invexit Etmullerus nomine veniat quam humor ille acris, & mordax, quem bilem Veteres nominarunt? Si diſſolutionem bilis, aliorumque humorum a naturali mixtione perpendamus, cujus meminit Hippocrates, ac dicamus, ſic differre a putredine Galeni, quemadmodum cauſa differt ab effectu, credo equidem fore, ut nihil quod commenti ſit pronuntiemus. Diſſolutio nempe humorum eſt putredinis cauſa: putredo diſſolutionis effectus. Diſſolutione nexus ac vinculi, quo in naturali ſtatu alligantur mutuo, & firmiter connectuntur partes ſanguinem conſtituentes, tollitur ea humorum temperatio, in quo optima ſanguinis craſis ſita eſt, inde conſequens, aut putredo contingit, aut ea ratione humores alterantur qua ad putredinem accedunt. His ita conſtitutis illud extra omnem dubitationem affirmari poſſe videtur, cum Cauſus, ſeu febris ardens non ita diſtet a Synocho putri, videaturque ab ipſa, intenſione, & vehementia potiſſimum diſtingui, ut propterea a nonnullis Synochus biliosa, Synochus ardens, & Cauſus ſine periodo appelletur, ad differentiam videlicet alterius Cauſi, ſeu febris ardentis, quæ alternis diebus exacerbari a nonnullis reputatur, ejuſce cauſam eamdem ipſam eſſe acredinem, quę Synochum bilioſam comitatur vehementiorem, intenſioremque factam, quæ cum tenuitate nimia, ac ſolutione ſanguinis conjuncta eſt, vel ejuſdem craſſitie, viſciditate, ac lentore. Si primum contingat oriri febrem ardentem legitimam, ſin alterum notham, ut in Symptomatum explicatione clarius apparebit.

VI. *Conſtat hinc hactenus enarratas febres eaſdem remotas cauſas agnoſcere &c.* Cum Ephemera, Synochus putris, Cauſus gradu differant inter ſe eaſdem remotas cauſas agnoſcere debere manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Si enim de vigiliis intenſis, de inedia ſermo ſit, conſumptis ſpirituoſis ſanguinis partibus, ſalinas, craſſas, terreſtreſque partes, ac ſulphur, aduſtum congregari, ſanguinem acrem, ac bilioſum evadere demonſtratum eſt: Si de inſolatu, aere nimis calido, ſanguinem fundi, ac rarefieri, interdum inſpiſſari, & cogi: ſi de abuſu vini, liquorumque ſpirituoſorum, nec non ciborum acrium, & calidorum de exercitationibus violentis, eadem plane phænomena exoriri: Mitto ventos auſtrales, aut boreales ſanguinem aut plus æquo rarefacere, atque expandere, aut cutis poros obſtruendo, eumdem ad motum difficiliorem reddere: nullam mentionem facio plethoræ aut ad vaſa veræ, aut ex vaſis, quem hæmorrhagiæ alicujus ſuppreſſio inducit. Quid aliud reſtat, quam ut vehementius agentes ſanguinis, humorumque craſim ea ratione afficiant, qua vel totæ particulæ ſanguinis maſſam conſtituentes a naturali mixtione ſecedant, aut tenuiores tantum, bilioſæque majorem in modum exaltatæ, & cum ſale primigenio intime mixtæ inſignem acredinem ſanguini concilient, unde juveni, ac in media ætate conſtituto homine, in quo ſanguis abundat, & effervescentia, aut Synochus ſanguinea, aut bilioſa, aut Cauſus, ſeu febris ardens excitetur.

VII. *Eadem hinc ſymptomata, quæ ſimplicem Synochum, etiam putrem comitari ſolent &c.* In Synocho ſanguinea tenuitatem quamdam humorum adeſſe cum craſſitie, viſciditate, & lentore conjunctam ſupra dictum eſt. Id ipſum viſcidum, & len-

& lentum ad fines arteriarum initio hærens, ac ſubitam acrium, ac ſulphurearum ſolutionem impediens, illud ipſum eſt, quod rigorem, aut horripilationem procreat, ad differentiam Synochi bilioſæ, quæ cum tenuitatem pro cauſa agnoſcat cum acredine conjunctam, nullo prævio rigore, & horrore incipit, & uſque ad finem ſine paroxyſmis, aut exacerbationibus continenter durans, ſubſequente calore pro varietate cauſarum diverſo, mitiori quidem in ſanguinea propter dictam craſſitiem, ac viſciditatem, qua tenuiorum, bilioſarumque vis, & energia nonnihil retunditur, ac infringitur, majore tamen, quam in Ephemera, & Synocho ſimplici, quæ a ſola plenitudine, æſtuque ſanguinis proficiſcuntur: valde acri, urenti, ac mordaci Synocho bilioſa, quam tenuitas, & acredo jam memorata procreat. Acris hæc ſanguinis, & humorum intemperies plus minus vellicans, ac mordens Cor, & arterias, eaſdemque ad celeres, crebras, & interdum inordinatas contractiones ſollicitans pulſus celeritatem, frequentiam, & interdum inæqualitatem facit.

Urinis initio flammeis, & crudis &c. Serum, ac lotium urinarium inflammans, craſſiorumque partium conſtrictis renalibus tubulis, ſecretionem impediens, urinas flammeas, & crudas gignit. Hæc ab urinis ſigna ita attendit Sennertus, ut abſque iis, vel crudis initio, vel parum coctis nullam Synochum febrem haberi velit, adeoque putrem non eſſe, ſi integras coctionis notas initio urinæ præſeferant. Cavendum tamen ne ſolæ præ oculis habeantur urinæ, ſed una cum ipſis cætera perpendi debent, quæ Synochi putris naturam luculentius exhibent; ejus generis ſunt fere quæ trado.

Cephalalgia, vigiliis &c. Meninges ea ratione ſtimulans, qua nervea filamenta, quibus contexta ſunt in validiores tremores agantur, atque triſti ſenſatione afficiantur, Cephalalgiam: nervos ſic concutiens, ut eorum poruli ductus, atque emiſſaria collabi nequeant, atque ſpiritibus Animalibus viam, exitumque in organa ſenſuum internorum, externorumque præcludere, vigilias: nerveas Cerebri fibrillas ad inconcinnos, atque inordinatos motus excitans, ſpiritus ad turbas, cæcumque furorem, atque impetum, deliria: univerſum nervorum genus male torquens, membrorum laſſitudinem producit.

Puſtulis ad ambitum corporis. Uno verbo præ vi ſtimuli ſanguinis curſum adeo vehementer accelerans, ut non ſolum ſeroſæ partes a lymphaticis vaſis ſecernantur, ſed valde attritæ ipſæ globuloſæ penetrent, atque extra corporis confinia ſeſe altius inſinuent: cum vero rapida circulatione trajectæ per poros, ac meatus cutis tranſpirare non poſſint intra cutim colligi, atque hærere coguntur, collectas, hærenteſque acredine ſua partes intercutaneas corrodere, atque propterea puſtulas ad ambitum corporis conſpicuas ciere, quæ in Synocho ſimplici minime apparent.

VIII. *Cauſi legitimi idea deſignatur ex febre acutiſſima continua eſſentiali.* Cauſi nomen ambiguum eſt cum ab Hippocrate, Galeno, aliiſque generice tantum conſideretur, & febris quæ oritur cum vehementi ſiti, & calore, quæcumque fuerit ejus cauſa vel propria unius alicujus inflammati viſceris cauſus appelletur. Omnia enim febrium genera, & ſchemata ingredi reputatur, nunc ſcilicet continuæ ſimplicis, nunc periodicæ cum exacerbationibus, & recurſibus manifeſtis modo remiſſione, modo cum intermiſſione, aliquando cum notis malignitatis, hinc lypiriam ipſam, in qua exteriora frigent, interiora uruntur minime excipiunt. Proprie tamen accepta intelligitur febris omnium acutiſſima, ſi peſtilentialem excipias, continua, periodorum expers, atque a principio ad finem ægros equaliter affligens: eſſentialis, ſeu quæ ab inflammatione viſcerum non dependet. Quod diligenter tenendum eſt, ne in illorum errorem incidamus, qui inflammatoriam febrem Cauſo cæteroquin æmulam ſatis apte non diſtinguentes ejuſ-

juſdem raritatem non ſine admiratione ſolent accipere.

Conjuncta cum intenſiſſimo calore, ac ſiti intolerabili &c. Ob id ipſum, quod intenſiſſimus calor hanc febrem comitatur Cauſon græce dicitur, latine febris ardens, quam in legitimam, & notham diſpeſcit fere Hippocrates, (*n*) ejuſque febris proprios caracteres, ac notas deſignavit accurate loco citato, & alibi (*o*), atque inter affectiones, quæ legitimæ propriæ ſunt, calor adeo intenſus recenſetur, tantaque ſitis patientes vexans, ut ab Hippocrate τοπίρ ideſt ignis appellari meruerit, quæ ſimptomata potiſſimum ab intenſiſſimo æſtu ſanguinis effervеſcentis, parteſque omnes in primis linguam adurentis enaſcitur: Orbata enim roſcido imbre ſalivalis lymphæ, ſulphureque tenuiſſimæ bilis, & fuliginum e pulmonibus erumpentium torrefacta quaſi carbonis inſtar areſcit, & nigricat, inde ſitis intolerabilis, & ſumma bibendi neceſſitas.

Igneo faciei ardore, oculorum, cutis, ejuſque ſquallore. Ab inſigni vero ſanguinis acredine cum ipſius tenuitate, ac ſolutione conjuncta, ob ſulphureas volatiles, tenuioreſque particulas acutiſſimis ſalium urentium ſpiculis copioſe inſtructas, quæ in Cauſo dominantur, & quæ proinde ſanguinem, & ſpiritus in furorem agunt, atque ſolida Cor præſertim, & arterias irritant, mordent, & interdum convellunt, nerveas Cerebri fibrillas pulmones, & partes reſpirationi inſervientes ad inconcinnas atque inordinatas contractiones ſollicitant, viſcera omnia, univerſum nervorum genus extorquent, hinc pulſus frequentia, inæqualitas, ſpiratio denſa ac difficilis, dolores acuti membrorum deliria, aliaque ſymptomata proficiſcuntur gradu, & intenſione diverſa ab iis, quæ Synochum bilioſam comitantur, ut unicuique memoria repetenti ſuperius tradita apparere facile poteſt.

Interdum inflammatione viſcerum. Animadverſione dignum eſt inflammationem viſcerum noſtri corporis ſic cum Cauſo legitimo conjungi, ut nec inflammatio ſit cauſa febris, nec febris cauſa inflammationis, ſed ab accidentali cauſa exoriatur. Cum enim ſanguis, ut paulo ante monuimus ea acredine, ac tenuitate peccet, ut Cor, & arterias irritet, mordeat, & interdum convellat, acris vero, tenuis, ſolutique ſanguinis ſit vaſa etiam minima penetrare, eadem facile convelli contingit, inde conſequens in aliquibus conſiſtere, & quamvis tenuis ſit, ob criſpaturam tamen, convulſionemque vaſorum inſignem, eorum diametris anguſtatis ea ratione hærere, qua opus eſt ad inflammationem excitandam: quæ inflammatio non eſt cauſa febris, neque a febre producitur, febri tamen ipſi adaugendæ opportuniſſima exiſtit. Sanguis enim in aliqua parte diu ſubſiſtere non poteſt, quin ejus componentes partes magis a ſe mutuo ſolvantur, atque ſecedant, ſubtiliores avolent, craſſiores vero remaneant, ac corrumpantur. Quæ dum fiunt acres, volatiles, ſulphureas particulas mirum in modum exaltatas, atque in univerſam ſanguinis maſſam diffuſas agitationem, furorem, atque hinc febrem, aliaque ſymptomata adaugere adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla.

IX. *Si hæc omnia comperiantur minore cum gravitate, & intenſione ægrum adoriri.* Febris ardens notha, & minus vehemens, & magis familiaris eſſe ſolet, quam legitima, & exquiſita, quæ & rarius occurrit, nec tam facile molliora corpora, & ſucci plena, ſed graciliora potius, & ſiccioris habitus temperamenta, calidiorique Cœlo, & clymate utentes invadit. Ubi autem invadit notha febris ardens minore cum gravitate, & intenſione ſe prodere, facit potiſſimum ea ratio, quod acres, ſulphureæ, volatileſque ſanguinis particulæ a craſſitie, viſciditate, quam pituitam, & melancholiam dicebant Veteres, irretiuntur, earum-

(*n*) *lib. de vict. rat. in mor. acut. n.* 34.
(*o*) *Ibid. n.* 55.

rumque vis, atque energia ut de Synocho ſanguinea dictum eſt, retunditur, atque infringitur,

X. *Synochus putris ſemper periculoſa, & anceps febris eſt, præſertim cum urinis ſine hypoſtaſi &c.* Galeni fere doctrina eſt, omnes febres putridas periculoſas eſſe. Quod non aliunde repetendum eſſe facile judicaverim, quam ex eo quod diſſolutus nexus, ac vinculum, quo partes ſanguinis maſſam conſtituentes alligari mutuo debent, firmiterque connecti non facile refici poteſt, ac reſtaurari: quemadmodum nonnulla alia humorum vitia corrigi poſſunt. Cæterum eam, quæ cum ſignis cruditatis invadit, adhuc graviorem eſſe facilius innoteſcet, ſi cruditatis, & concoctionis ſigna prius expoſuero: Hæc autem omnia paucis complexus eſt Boerhaavius (*p*) *Cruditas*, inquit ipſe, *agnoſcitur primo ex vigore morbi durante, vel increſcente* 2. *ex augmento aſſiduo ſymptomatum* 3. *ab exercitio functionum adhuc valde læſo* 4. *omnium optime ex receſſu humorum circulantium ſecretorum, excretorum, & excrementorum a ſtatu ſano quoad copiam, vel qualitates, unde in ſudore, lacrymis, muco, ſaliva, ſputo redditis per vomitum, bile, fæce alvi, urina .... indicatur: contra vero* ſubdit ille, *coctio cognoſcitur primo ex quiete morbi, ejuſque decremento, viribus vitæ interim conſtantibus, vel etiam increſcentibus* 2. *a ſedatione, imminutioneque ſymptomatum concomitante vitæ robore* 3. *a reſtitutione functionum in integrum* 4. *ex ſimilitudine humorum circulantium ſecretorum, excretorum, excrementorumque cum naturalibus*. Ita Boerhaavius. Inter hæc præcipuum, quod aut cruditatem, aut concoctionem ſignificet, urinam eminere haud intutum crediderim pronuntiare. Cum enim urina docente Galeno (*q*) naturalis ſit illa, quæ in ſubſtantia eſt mediocris, quantitate aſſumptæ potioni reſpondens colore ſubrufo, aut ſubflavo cum hypoſtaſi alba, lævi, & æquali, apparet manifeſtiſſimo tunc cum aliqua ex his conditionibus urinæ deeſt a naturali ſtatu recedere. Si deeſt hypoſtaſis, cruditatem, ſi præſens e contra ſit, concoctionem indicari. Cum enim nulla in urina contenta conſpiciuntur, inditium eſt partes contenta conſtituentes per liquorem urinæ moveri libere non poſſe, & ad ſua loca confluere, in quo fere cruditas conſiſtit: Cum vero primum nubecula apparet, quæ ex partibus levioribus, & tenujoribus conſtet, inditium eſt aliquid in corpore ſolvi, atque ut ait Hippocrates, quod non fluebat fluere, adeoque coctionem inchoari: ſi nubeculæ ſuſpenſio ſuccedat, inditium eſt non ſolum partes mobiliores ſubtilioreſque fluere, & excerni, ſed etiam graviores, minuſque mobiles, eoque magis ſi ſedimentum, ſeu hypoſtaſis tandem ſuperveniat, quæ ex graviſſimis, & minime omnium mobilibus partibus conſtituitur, in quo potiſſimum coctio ſita eſt. Cum igitur temporis diuturnitate opus ſit naturæ ad cruditatem tollendam, fieri quidem poteſt, ut ſi febris non admodum vehemens, & acuta ſit, vireſque validæ, ac conſtantes aliquando concoctio ſalutis præſagium ſuccedat. In vehementi vero morbo continuo durante, vel increſcente, ut ait Boerhaavius, item aſſiduo Symptomatum augmento, atque functionum læſione, viribus infirmis, ac languidis exiſtentibns ecquis coctionem tuto, & cito evenire poſſe confidat?

XI. *Synochus putris, in qua urina ab initio pallida apparet, & æſtuoſa, vel rubra, & derepente contrarios colores &c.* Cum in hac febre urina tenuis eſt craſſas partes in aliqua corporis parte decumbere indicatur, quemadmodum ſi rubra primum ſit, & fiat tenuis ramoſas, ac craſſas partes, quæ cum ſanguine intime mixtæ erant, & cum urina ſegregabantur alicubi ſubſiſtere, atque hærere cenſendum eſt. Ubi in Cerebro, aut in aliis viſceribus ſubſiſtat, nonne juſtus ſubrepit timor, ut aut Cerebri, aut aliorum viſcerum inflammatio ſuperveniat? Quid ſi bilioſus vomitus, ſingultus, aliaque dira ſymptomata ſuperveniant? Omnium enimvero graviſſimam, & acutiſſimam, peſtilentiali excepta, eſſe ardentem

(*p*) *Aph.* 925. (*q*) *I. de criſ. cap.* 12.

tem febrem ſupra monuimus. Fit hic ut celerrime, aut in ſalutem, aut mortem terminetur. Quænam vero ſalutis ſpes, ſi ſymptomata, ex quibus potiſſimum deſumenda ſunt præſagia (neque enim in ſe ipſis ſolum hæ febres ſunt conſiderandæ) adeo ſæva ſint, ut colliquationem totius maſſæ ſanguinis, atrabiliarem dyſcraſiam, ſpirituum profligationem, languentem Cordis vim manifeſtiſſimo evincant ? Aptius ne periculi magnitudinem, quam ex ſymptomatum ſævitie, & virium debilitate æſtimaveris ? Bilioſo vomitu, ſingultus, ictero, extremorum refrigeratione, animi deliquio quid gravius eſſe poteſt, aut pro ægrorum nece validius?

XII. *Solum largus ſudor, aut urina, aut narium hæmorrhagia, aut abſceſſus &c.* Criſim cum dicimus irritationem potiſſimum quamdam a materia morbifica inductam intelligimus, ob quam humorum motus determinatur ad illam extra corporis confinia eliminandam. Materies vero ad hanc excretionem diſpoſita dicitur critica, quæ cum inſignem quamdam in motu humorum perturbationem, atque ſenſibiles in ægro moleſtias ſoleat promovere, dum a reliquarum partium nexu, ac vinculo ſecerni incipit, moveri, ac circumduci, probe eſt diſtinguenda a Symptomatibus, quæ a cauſa morbum faciente, morbo ipſo vel materiæ cruditate proficiſcuntur. Quoniam vero coctio criſim antecedit, nonnulla ad propoſitæ rei ſtatum melius aſſequendum decoctionis eſſentia ſunt explicanda. Coctionem igitur fieri dicimus, cum materia morbifica ad eam molem, figuram, cohæſionem, & mobilitatem redigitur, qua ægri minus læduntur, ac morbus miteſcit: quod tunc contingit cum materia morbifica ita in ſuis affectionibus mutatur, ut reliquarum humorum partium naturam plane induat, atque propterea in earum conſtitutionem recepta ſine ulla evacuatione reſolvatur: vel cum reliquis partibus confuſa cum ſit, ac morbum efficiat ab earum nexu ſolvitur, & ad eam magnitudinem redigitur, qua per canales fluere poſſit, atque per inſignes excretionum vias eliminari: hæcque mutatio diſpoſitio eſt ad criſim ſalutarem cum aliqua ſemper evacuatione conjuncta. Quoniam vero in ægrotante utcunque affecto quamdiu vivit, ſanguis per cor, pulmones, & Cerebellum, ſi Vviliſium audimus circulum ſuum conficit, craſſas hinc humorum partes circulari hoc motu attenuari interdum contingit, ſolidas & aqueas atteri, nimium inter ſe cohærentes exſolvi, quæque nimis fuſæ, & ſolutæ ſunt e contra miſceri, uno verbo coctionem ſubire: Criſis propterea etiam in deſperatis fere morbis ſupervenit, a qua ſubita ſalus enaſcitur. Non eodem vero modo in omni morbo criſis contingit: nam cum ſalutaris criſis coctionem ſequi debeat: coctio vero pro varia potiſſimum ſanguinis textura variare poſſit in diverſa ætate, ſexu, temperamento, regione, tempeſtate, anno, & epidemica conſtitutione diverſa, fieri non poteſt, ut ejus particulæ in ſua figura mole, cohæſione, mobilitate, aliiſque affectionibus ſic mutatæ, ut neque lædere poſſint, atque ad excretionem aptæ ſint ad eaſdem ſemper glandulas determinentur, ſed in alio quidem ad renales, aut ſubcutaneas, quod ſæpe contingit, in aliis ad alias, unde aut urina, aut ſudor, aut alia excretio oboritur. Quod ſi morbifica materia in eam magnitudinem, aut parvitatem redigi nequeat, qua vaſorum, quæ excernendis humoribus dicata ſunt orificiis reſpondeat, tunc non urina, aut ſudor, aut alia ejuſmodi excretio ſubſequitur, ſed vel hæmorrhagia, aut abſceſſus, quæ licet ſalutares criſes ſint, minus tamen proprias appellare non dubitavit Baglivus.

Die critico apparens. Uti varia eſt criticæ evacuationis materia, ita varium eſſe criſeos tempus neceſſe eſt. Cum enim, ut paulo ante dictum eſt, ſalutaris criſis coctionem ſequi debeat, coctio vero pro ætatis, ſexus, temperamenti, aliarumque affectionum diverſitate non eodem temporis ſpatio abſolvi poſſit, ſe-

L 2 quitur

quitur etiam criſes ocyus, aut ſerius contingere oportere. Experientia tamen teſtis eſt morbificam materiam ſpontaneo naturæ motu ad ſeparationem moveri certis quibuſdam diebus, quos Veteres fere Medici criticos nuncupaverunt. Ejuſmodi ſunt quaternarii uſque ad vigeſimum, a vigeſimo autem uſque ad quadrageſimum ſeptenarii. Sæpe enim obſervatio nos docet in iis morbis, in quibus mutationes, & criſes manifeſtæ ſunt peccantem materiam vel ſecerni, vel contra agitari, & confundi die tertio, quinto, nono, undecimo, quartodecimo, vigeſimo, vigeſimoſeptimo, trigeſimoquarto, quadrageſimo. Ita obſervatione compertum eſt Ephemeras legitimas viginti quatuor horis deſinere, tertianas ſimplices ſeptenis circuitibus, Synochos ſimplices quatuor diebus, vel quinque. Quare ſi mutatio vel criſis futura ſit intra viginti dierum tempus, ſi quaternarii attentione æſtimentur, criſium inditia pervidere facile poterimus, cum in iis fine eorum aliquo materia moveri ſoleat uſque ad vigeſimum. Sin ultra vigeſimum ſequutura ſit, & diligenter examinentur ſeptenarii, uſque ad quadrageſimum, criſium ſigna facile apparebunt, cum in iis plerunque ſoleant prælucere. Plura in hanc rem habentur apud Hippocratem in aphoriſmis, prognoſticis, proreticis, & coacis, quæ ex fonte legi malumus, quam hic referri.

XIII. *In Synocho putri ſanguinea præmiſſo laxante Clyſtere*. Deterrimum illorum morem, qui audito febris nomine cathartica medicamenta ægris præſcribunt e medio tollere, quantum nobis licuit conati ſumus, cum de Synocho ſimplici ageremus. Acres enim ſtimulanteſque particulas ingerendo, inde conſequens agitationem ſanguinis, ſolidarumque partium irritationem inducendo febrem adaugere poſſe, aut confirmare oſtendimus. Quod ſi diſcriminis plenum eſt catharticis uti medicamentis in ea febre, quæ inflammationis periculi expers eſt, quanto magis erit in Synocho putri ſanguinea, quam plethora inſignis comitatur? Qua ratione, aut modo fieri dicamus, ut exagitato ſanguine, irritatiſque ſolidis partibus, inflammatio non ſubſequatur? Si alicubi igitur tutus eſt Clyſterum uſus, maxime eſt in putri Synocho ſanguinea ad pravas, incongruaſque ſordes in inteſtinis hærentes extra corpus eliminandas, aliiſque medicamentis, quæ morbi cauſam removere valent, aut corrigere, viam ſternendam. An in vigore morbi, graviorumque ſymptomatum præſentia, fractis jam ægri viribus adhiberi tuto poſſe exiſtimemus? Qui ita ſentit, falſa prorſus ſentire, & ignorare prorſus, quæ ſcitu neceſſaria ſunt, cenſendum eſt. Cl. Sydenhamii fere animadverſio eſt, enemata tunc adhibita ſanguinis æſtum facile intendere, & febrilia ſymptomata ultra ſolitas periodos traducere.

Sanguis repetitis vicibus detrahatur, ut in ſimplici. Inter remedia paulo ante indicata principem obtinet locum venæ ſectio, qua nullibi citius, quam in Synocho putri ſanguinea, opus eſt ad ſanguinis æſtum compeſcendum, præcavendamque inflammationem, quæ ab urinis flammeis, ab oculis rubicundis, habitu præſertim pleno ſanguinis eamdem minitantibus indicatur: eaque potiſſimum in ipſo initio ante concoctionis ſigna, ſi vires ægri conſtantes, & ſymptomata urgeant, repetenda, ut ab Hippocrate, Galeno, aliiſque clariſſimis Medicis contra Cryſippi, Aſclepiadis, Eraſiſtrati, Eriſtogenis, noviſſime vero Helmontii opinionem traditum eſt. Phlebotomia enim non ſolum materiam, & molem ſanguinis, quæ vaſa ſupra modum diſtendendo, relaxando, aut alia ratione afficiendo graviſſima incommoda minatur, momento fere temporis minuit, ſed adeo tuto, ut nullum aliud magis, non catharticum, non diaphoreticum, non diureticum. Præterquam enim quod ejuſcemodi evacuantia ſolidas partes extimulando crebriori, vehementiorique vaſorum contractioni occaſionem præbent, atque hinc majori exagitationi, expanſioni, fervori, accedit præterea ſerum ſanguinis potiſſimum evacuando, in quo proxima ſpirituum materia continetur, vires magis infringere:

re:

re: Ea re factum eſt, ut Hippocrates, ut notat Martianus (*r*), ubi vehemens, & acutus morbus purgationem, atque miſſionem ſanguinis expoſcit poſt purgationem phlebotomiam non admiſerit, poſt phlebotomiam permanente adhuc febre, purgare voluerit. Cum enim purgatione vires magis frangantur, quam venæ ſectione, idcirco, poſt purgationem minus tuto venæ ſectionem celebrari: poſt venæ ſectionem purgationem tutius inſtitui, ut egregrie laudatus Martianus in ſua diſquiſitione procedens anidmadvertit.

In bilioſa parcius, & plerunque nonniſi in inflammationis periculo. Utrum in Synocho putri bilioſa detrahendus ſit ſanguis ad eam menſuram, qua detrahi ſolet in ſanguinea, lis eſt inter Medicos. Sunt enim, qui Galeno generale axioma conſtituenti (*ſ*) *in omnibus febribus putridis ſaluberrimum eſſe ſanguinem mittere* inhærentes, largam venæ ſectionem, quæcumque fuerit Synochi putris cauſa, celebrare non dubitant, etiamſi nullum aut diſruptionis vaſorum, aut inflammationis, aut alterius gravioris mali periculum immineat, ſolum ad fervorem æſtumque ſanguinis compeſcendum. Alii e contra Avicennam ſequuti, & Hippocratem in primis docentem in temperamentis admodum bilioſis, & febribus putridis, ipſum ipſius ſanguinis æſtum fervoremque augeri, ut notat Martianus in Hippocratem, eamdem damnarunt, & e medio tollere quantum illis licuit conati ſunt. Quæſtionem arduam, ac difficilem explicaturo mihi pauca quædam occurrunt, de quibus monere lectorem opus habeo; & primum quidem illud ſcire convenit per venæ ſectionem ſanguinis curſum accelerari ob id potiſſimum quod ſanguis, qui a ſecta vena effluit minorem obicem reliquo ſubſequenti ſanguini relinquit. Ex quo fit ut ejuſce particularum ictus in effluentis rariores fiant, ac debiliores, minoremque inter ſe eædem attritionem patiantur. Cum vero a velocitate ſanguis momentum acquirat, ſi Philoſophos audimus, qui maſſa multiplicata per velocitatem æſtimare idem ſolent, conſequitur ictus particularum ſanguinis, qui rariores inter ſe ſunt, debilioreſque, crebriores fieri, fortioreſque in vaſorum latera. Quod ſi tenuis ſanguis ſit, & ut Veteres ajebant, bilioſus, non ſolum inter latera vaſorum, ſed & inter ejus partes frequentiores ictus eumdem pati neceſſe eſt, atque eo prorſus modo etiam venæ ſectione celebrata efferveſcere, quo ſanguis naturaliter conſtitutus, atque optime temperatus in violentis corporis motibus atque exercitationibus, in quibus acceleratur ſanguinis curſus, nec maſſa ſanguinis diminuitur, majori fortiorique facta inter ſe, & latera vaſorum partium attritione incaleſcit, atque expanditur. Cum enim tenuis, bilioſique ſanguinis minor ſit reſpectiva ſuperficies juxta Mechanicorum placita docentium ſuperficiem ſimilium corporum decreſcere, ut quadrata, occurſus vero corporum fiat potiſſimum per ſuperficiem, ictus tenuis, bilioſique ſanguinis cum inter ejus partes, tum in latera vaſorum crebriores eſſe, fortioreſque, inde conſequens ſulphuris, quibus ſcatet particulis altius in humorum maſſam diffuſis, attenuatiſque, haud ſecus ac cum ignis adminiculo eo corporum non pauciorem texturam redigimus, ut & mole minima fiant, & ad avolandum ſummopere accommodata, ingentem efferveſcentiam excitari adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Quoniam vero in putri bilioſa Synocho, ſulphureæ, tenujores, volatileſque ſanguinis particulæ a reliquarum mixtione, ac nexu ſolutæ dominantur, ſeu bilioſa Veterum dyſcraſia tenuis, ac fervida, ſequitur, ut venæ ſectio ſanguinis curſum accelerando æſtum in ea, fervoremque ſanguinis augeat, aut confirmet, propterea non ſine ratione eo perductum fuiſſe Hippocratem, & Avicennam alioſque Veteres, & Recentiores in febribus putridis (nempe bilioſis) niſi adſit, aut immineat inflammatio, miſſionem ſangui-

(*r*) *In expoſ. lib. de rat. vict. in mor. acut. ſect.* 4. *n.* 36.

(*ſ*) *Lib.* 2. *meth. med. cap.* 15.

guinis, ut pertimeſcerent, generale Galeni axioma, utpote anceps, ac periculoſum minus medentibus probandum, excipiendumque crederent.

XIV. *Aquea, refrigerantia, acida &c.* Recta medendi methodus ab iis deſumitur, quæ ſanguinis turbas, & humorum orgaſmum deprimunt, nimium fervorem compeſcunt, aduſtas, & rigidas organorum fibras relaxant, recrementa acria diluunt, atque per inſignes excretionum vias ad exitum dirigunt. Egregie propterea cedunt aquea, & refrigerantia per totum vigoris tempus, acida, nitroſa, & abſorbentia cum diluentibus largius hauſtis, quæ ad blandum ſudorem, quæ ad criſim promovendam opportuniſſima exiſtunt.

XV. *Ubi criſeos per ſudorem futuræ inditia præſto ſint, diaphoretica, & cardiaca.* Medici dignitate cadat, qui non ſolum tempus mutationum, & criſium, ſed & modum, & locum, qua ratione ſcilicet, vel qua in parte futuræ ſint diligentiſſime non perquirat. Quoniam de tempore ſatis ſupra a nobis dictum eſt, reliquum eſt ut de modo, & loco pauca dicamus. Duæ igitur ſunt viæ per quas plerunque criſes propriæ promoveri ſolent, urinæ, & ſudoris. Urina finiuntur ut plurimum morbi minus acuti, & longi, quique hyberno præſertim tempore, ac provectiores ætate adoriuntur: ſudore acutiſſimi, quique per calidam aeris conſtitutionem juvenes aggrediuntur; inter hos Synochi, & ardentes febres eminent. Uti igitur criſim in genere præmonſtrant turbationes, & motus quidam inſoliti, ut ſupra attigimus, nox inquieta, & gravis & aliqua omnino novitas circa reſpirationem, vel mentem, vel viſum, vel auditum, vel circa aliquod eorum, quæ accidentia critica nuncupantur, ita criſium ſpecies, & differentias varia præeunt inditia. Criſeos quidem per urinas ſequuturæ ſigna profert quædam gravitas, hypochondriorum, & ſenſus inflationis circa veſicam, mingendi ſtimulus, urinæ cum aliquo ardore excretio, alvi ſuppreſſio, cutis denſitas. Criſis per ſudorem futuræ ſigna edunt urinæ ſuppreſſio aliarumque omnium excretiotionum, pulſus molis, fluctuans, undoſus, corporis habitus ſubtumidus, faciei rubor, humida, & calida evaporatio per univerſam cutim. Hiſce vero apparentibus cur ad ea, quæ incipientem criſim foveant, confirment, augeant ſtatim non properes? Quæ virtute hac peculiari donantur, diaphoretica fere dici conſueverunt, quæ ad Serum ſanguinis per tubulos cutis inconſpicuo madore extrudendum inſtituta ſunt, eorumque differentias, variumque operandi modum præcedenti capite ſatis, ut arbitror clare expoſuimus. Valentiora enim præterquamquod vix in quibuſdam morbis, nec ſine ingenti prudentia præſcribi poſſe, in acutis vero perpetuo arcenda eſſe diximus, ceu quæ majores aculeos imprimunt, irritationes augent, ſanguinem magis inflammant, atque atrociora ſyptomata efficiunt. Quid ſi acutior, & calidior ſit febris, uti fere eſt Synochus putris præſertim bilioſa. An iis diaphoreticis tuto nos uti poſſe, cenſeamus, quæ ſuapte natura calida ſunt, hoc eſt ad humorum Orgaſmum ac fervorem augendum comparata? Si alicubi commendandum eſt Rolfincii dictum: Tyrannici conſilii eſſe committere, ut corpus digeratur ſudore, & anima deficiat languore, maxime eſt in putridis, atque ardentibus febribus, in quibus diaphoretica blanda, ac mitiora cujuſmodi ſunt aquea, nitroſa, abſorbentia ſupra memorata, priuſquam apparuerint coctionis ſigna, & natura ſudoris vias protenſo quaſi digito commonſtret, vix ac ne vix quidem in uſum ſunt revocanda.

XVI. *Coctionis ſignis apparentibus ...... leve purgans &c.* Si alicubi ad coctionem eſt attendendum, maxime eſt in eo caſu, in quo medicamentis purgantibus uti oportet; iis medicamentis, quæ Veteres adeo pertimuerunt, ut in Ægypto allatam legem ſcribat Ariſtoteles (*t*), nonniſi poſt tertiam diem movendum eſſe a Medicis, ſi prius periculo facerent ſuo. Animadverſione tamen dignum

(*t*) *Lib. politic.*

gnum eſt quæſtionem inter Græcos, Arabes, ac Latinos ortam, utrum in febribus acutis, in principio purgandum ſit. Hippocrates fere quæſtioni anſam præbet, qui variis in locis varias præceptiones tradere nonnullis viſus eſt. Primum enim a febribus acutis, & ardentibus purgantia exulaſſe conſtat, dicentem: *Quicumque a febribus fortibus corripiuntur, his purgantia dare non oportet:* Sic ille in libro de purgatione, & rationem affert: *Carnes enim iſtorum & ventres cum calidi ſint, medicamentum aſſumunt, & nihil depurgatur, & febris major fit, & color evertitur, & morbi regii ſpeciem præſefert.* Idem aſſerit de ratione victus in morbis acutis ubi ait: *Quicumque vero ea, quæ inflammantur ſtatim in Principio morborum medicamento ſolvere aggrediuntur, hi de intento nihil auferunt: non enim remittit affectio, quæ adhuc cruda: quæ vero morbo reſiſtunt, ac ſana ſunt colliquefaciunt, debili vero invadente corpore morbus invaleſcit.* Eamdem doctrinam habet in aphoriſmis (*u*) dicens: *In acutis paſſionibus raro etiam in principiis medicinis purgantibus uti oportet, & hoc cum præmeditatione faciendum.* Quandoque tamen in valde acutis eodem die oportere medicari docet, confirmavitque lege illa ſua univerſali, quam habet in aphoriſmis dicens. *In principiis morborum, ſi quid tibi movendum videtur, move*, quod per me licet non aliud ſignificare voluit, quam primo, aut ſecundo die purgandum eſſe. Quid in re ardua, ac perdifficili ſentiendum mihi videatur, paucis exponam. Præcipit Hippocrates in febribus biliosis, & acutis eodem die purgandum eſſe, aliquando tertia, vel quarta, aliquando quartadecima tranſacta die, quia ſupponit faciendæ purgationis neceſſitatem, quam colligit ex humorum plenitudine, ac turgeſcentia: ad quam turgeſcentiam reſpiciens purgationem conſulit inter initia, tametſi alibi (*x*) concocta medicari ſuadeat, neque in initiis; excipit tamen caſum materiæ turgentis, quod raro contingit, ſi eidem Hippocrati fides habenda dicenti (*z*) *Concocta medicari oportet non cruda, neque per initia, niſi materia turgeat, raro autem turget.* Raro inquam, inde conſequens rectiſſime dictum. *In acutis morbis raro, & in principiis medicameatis purgantibus utendum eſt, & hoc cum præmeditatione faciendum*, quia faciendum tunc ſolum, cum materia turget, ideſt ut ex Phoeſii verſione ait idem Hippocrates *impetu ſuo ad excretionem fertur*, quamque cito educere expedit, ne ſanguinem ingreſſa in morbi materiam tranſeat, quæ venæ ſectione poſtea minui, & amoveri debet, non catharſi, cui jam non eſt locus, niſi ſi natura vergerit ad alvi vias. Cujuſce rei ſtatus facilius innoteſcet, ſi quid ſint humores crudi, quid cocti, quid turgere eoſdem ſignificet prius explicuero. Crudi igitur, concoctique humores conveniunt, quod vitioſi ſint, ac naturæ vim inferant, ac gravitatem, hoc tamen diſcrimine, quod concocti apti ſunt ad ſecretionem, crudi vero inepti. Qua ratione vero, aut modo apti ſunt ad ſecretionem explicavit Avicennas. Humores enim ad ſecretionem aptos eos dicit, qui neque nimis craſſi ſunt, viſcidi, & lenti, neque e contra nimis tenues, fluidi, & ſoluti: propterea humores concoquere nihil eſſe aliud, quam eoſdem corrigere, ubi nempe craſſi viſcidique ſint eoſdem attenuare, & reſolvere, ubi vero tenues, fluidi & ſoluti eiſdem debitam conſiſtentiam conciliare. Atque hac quidem Avicennæ ſententia nihil adhuc veroſimilius dictum, quidquid Averoes, & Fernelius ſenſerint, qui cum in ea eſſent opinione ut crederent humores, tenues fluidos, & ſolutos facilius poros ſubire, ac propterea ad ſecretionem aptiores eſſe, Avicennam carpere in hac parte non dubitarunt. Præterquam enim quod nimis tenuibus, ac fluidis exiſtentibus humoribus, eorum partes inter ſe facile confundi contingit, ſimiles cum ſimilibus coaleſcere, diſſimiles a diſſimilibus ſeparari, ac propterea nullam excretionem ſubſequi, accedit præterea ipſum

(*u*) *Aph. ſect.* 1. *aph.* 24.
(*x*) *Aph.* 22. *ſect.* 1. (*z*) *Ibid.*

ipſum ſanguinis curſum accelerari, accelerato vero ſanguinis curſu, ſecernendas partes poris, ac meatibus ſecretionibus a natura comparatis applicare ſe juſto non poſſe, inde conſequens per inſignes excretionum vias haudquaquam eliminari. Sed jam de humorum turgeſcentia, qua voce uſus eſt Hippocrates, expedit, ut aliquid dicamus perbella Theophraſti doctrina ducti, qui gemmas arborum adventante Vere germinantium in tumorem elatas turgentes nuncupavit. Ex qua manifeſtum eſt humores tunc turgere, cum ſegniter una cum ſanguine moventur, tumoreſque in aliqua corporis parte efficiunt, quod tunc maxime evenire cenſendum eſt, cum neque plus æquo craſſi viſcidique exiſtentes humores, neque plus æquo fluidi, ſolutique, verbo dixerim concocti, circulationem ſanguinis ita afficiunt, ut non omnino conſiſtant, & hæreant in capillaribus vaſis, ſed tardius quam par eſt moveantur, tumoremque in hac, aut illa corporis parte efficiant.

Urina ſcilicet, nebuloſa, & turbida, nec colliquatione prohibente. Quandoquidem humorum turgeſcentiam hactenus explicuimus, reliquum eſt, ut de ejuſdem notis aliqua dicamus: quo quidem in opere multorum voluntas non defuit, atque Hippocratis induſtria maxime eluxit. Eaſce nimirum tradidit fere de victus ratione in morbis acutis. (*b*) Ait enim cum in principio febrium continuarum, & ardentium, & bilioſarum urina eſt nebuloſa, ac turbida purgandum eſſe, cum e contra aquoſa eſt, & pallida a purgatione abſtinendum: illa humores ad ſeparationem aptos indicari: hac vero contrariam eorum conſtitutionem evinci. Qua enim ratione fieri dicamus, ut urina turbida, ac nebuloſa ſit, niſi morbifica materia per renales glandulas ſeparetur. Neque pallida, aquoſa, & cruda urina evaderet ſi eadem ad ſecretionem eſſet idonea; & plus æquo viſcida, ac lenta cum ſit in aliqua corporis parte non decumberet, vel fluida nimis, ac ſoluta, ejuſdem partes non confunderentur, aut alia ratione afficerentur, quæ vel una ſatis valere poteſt ad humorum juſtam applicationem ad renales glandulas, atque hinc conſequentem ſeparationem pervertendam. Ubi autem purgandum, citra ullius errores ſuſpicionem licet Medentibus conjectari, num cætera contulerint diligentiſſime perquirendum eſt. Ipſius fere Hippocratis ſaluberrimum præceptum eſt, qui altius, ac ſubtilius perſcrutatus, quæ purgationi in acutis obſtant, colliquationem deprehendit, quæ in putridis febribus præſertim bilioſis, & ardentibus ſuccedit, & inſigni urinæ excretione in principio febris aucta fæcibuſque rufis, ſynceris, ac fætidis ſe prodit. Tunc vero etiamſi urina turbida appareat, & nebuloſa ex Hippocratis præcepto a purgatione abſtinendum eſt, ceu quæ turgeſcentiæ humorum ſpecie imponit, atque ab humorum colliquatione proficiſcitur, quæ purgantium uſu augeri poteſt, aut confirmari.

Exemplo ſit ♃. *Flor. Caſ. &c.* ♃. *Tamarind. &c.* Si vero neceſſitate coactis purgandum ſit, ſummum purgantis medicamenti delectum habendum eſſe, nunquam ſatis laudatus Hippocrates docere viſus eſt, cum de victus ratione in morbis acutis utendum eſſe ait aqua multa copioſa, & ubi os amarum, prius eſſe vomendum, & ſi ad vomendum propenſio non ſit, aut clyſtere, aut lacte aſinino cocto alvum ſubducendam. Et ſane inficias ire non auſim oris amaritie, fætiditate, aut pravo aliquo ſapore, pravos corruptoſque ſuccos in ventriculo, aut vicinis partibus hærentes indicari, qui commode per ſuperiora antequam ad Chylum, & ſanguinem per venas lacteas contaminandum ferantur, educi poſſunt. Quibus fere rationibus permotus Cl. Sydenhamius non ſolum circa febrium initia, ſed quovis tempore, ſi quando tardius ad ægrotantem vocetur Medicus, ejuſque vires ferendo emetico pares noverit, vomitum conſulit: *Equidem* inquit, *die febris duodecimo vomitum imperare non dubitavi ..... neque ſine fructu.* Quoniam vero coindicari debent emetica a conſtitutione corporis valida, in qua vide-

(*b*) *Num.* 34.

videlicet & Stomachus ad vomendum proclivis ſit, & viſcera non nimis debilitata, & vaſa libera, & ſatis robuſta, & thorax amplus, & collum mediocre, & caput firmum, & calida tempeſtas, in qua patentiores, laxioreſque ſunt ductus, & facilior eſt humorum motus ad ſuperiora, cum inferiores eo tempore ſint ut plurimum adſtrictæ; prohibentur e contra a prava corporis diſpoſitione in qua videlicet aut vaſorum rupturæ, aut humorum ad certa loca irruptiones, aut eorumdem ſtagnatio, aut alia ſimilia mala timeantur, ubi ſuſpicio adſit inflammationis, quæ ſolidis partibus irritatis, ac rigeſcentibus fibris augeri poteſt, ubi plethorici ſint ægri, unde a venæ ſectione inchoandam curationem affirmavit Sydenhamius, ne plus æquo diſtenſis vaſis periculoſæ ſanguinis eruptiones in pulmonibus, capite, cerebro a vomendi conatu, aut violentia eveniant, ubi ſenſiles ſint, & convulſionibus obnoxii, quaſi ſtimuli vi augeri luce clarius apparet, nec non qui oculorum affectionibus, quos cæcos evaſiſſe compertum eſt impedito per convulſivas concuſſiones ſanguinis e capite refluxu nerviſque opticis ita compreſſis, ut Spiritibus tranſitus ad oculos præcludatur, ut alia ſilentio prætercam, hinc potiſſimum effectum eſt, ut apud noſtrates emeticorum uſus plane obſoleverit. Vehementia certe, quæ ex Mercurio, & Antimonio parantur, quæque non ſolum nauſeam movent, ut aqua tepida, aqua cum oleo mixta, jus pingue, & alia hujus generis, aut quæ etiam vomitum provocant non adeo vehementem, inter quæ Oxymel ſcilliticum, Ipecacuanæ radix, aliaque mediocria eminent ſed acerrimis ſuis particulis, & fere corrodentibus in Stomachi fibras violentos ſpaſmos inducunt, quidquid Sydenhamius aliique ſenſerint, qui Metallorum croco, hepate antimonii, Mercurio vitæ, ſeu pulvere Algaroti uti minime dubitarunt, nunquam adhibenda traderem. Quamquam ne purgantia quidem promiſcue, & ſine delectu uſurpanda eſſe facile judicaverim. Fortiora certe in totum proſcribenda ſunt ob ſalem cauſticum, inflammatorium, indolis virulentæ nervis inimicum, ſanguini, & cæteris humoribus infenſiſſimum, quos liquat, fundit, accendit. Hinc ſapienter ad modum, prudenterque Hippocrates nonniſi neceſſitate cogente, & permittentibus viribus, fortiora purgantia præſcribere ſolebat: neque elaterio, aut helleboro purgationes moliebatur, quin alterutrius virulentiam potione lactis vel multi vel olei admiſſione temperaret, ac ſubigeret. Hæc a febribus acutis, & ardentibus exulavit, non aquam mulſam, non lac aſininum, vel ut Galenus ait Serum lactis, vel eam victus rationem, quam inſtituendam eſſe tradit Celſus, quæ nutriendo etiam alvum ſubducit. Quid porro mali pertimeſcendum ex pulpa Caſſiæ extracta, cujus pulcherrima laus eſt lenire pectus, expectorationem promovere urinæ acrimoniam temperare, atque alvum blandiſſime ſolvere? Nempe copioſorum flatuum proventum, inquiet aliquis. Recte ille quidem, ſi ſola adhibeatur, nullo tartareo, ſeu digeſtivo ſale corrigatur, quo pinguis purgantis ſubſtantia penetratur, ſolvitur, extenditur, impediturque, ne inteſtinis plus æquo adhærendo ea diutius, ac moleſtius vellicet, atque irritet, cujuſmodi fere eſt tartarus ſolubilis, ſeu ſal tartari aciditate cremoris tartari ſaturatus, aliaque hujus generis, quæ incidendo, abſtergendo, & leniter vellicando purgantis actionem non ſolum emendant, ſed maximopere juvant. Quid ſi cinnamomum, aniſi ſemen ad diſcutiendos flatus Caſſiæ floribus addatur. Nullius noxæ periculum, certa emolumenti ſpes in uſu Tamarindorum ſita eſt. Humoribus enim bilioſis evacuandis, & ex maſſa ſanguinea præcipitandis, ejuſque nimiæ efferveſcentiæ compeſcendæ ſuavi ſuo acore oportuniſſimi exiſtunt. Idque eo magis evenire cenſendum eſt ſi decoquantur in Sero lactis, cujus ſingularem virtutem ad ferventes, atque alchalicos humores, qui in putridis præſertim febribus bilioſis, & ardentibus prædominantur compeſcendos, benigniſque oleoſis partibus, quibus ſcatet ineptos ſtimulo, atque irritationi con-

ſtituendos qui , non cognoſcit, medicinam cognoſcit plane nullam, ut ipſe Hippocrates ex Galeni interpretatione docere viſus eſt.

XVII. *In cauſo, ſeu febre ardente venæ ſectio etiam in bilioſis, calidis, ſiccis &c.* Subtilitates Avicennæ nonnullas , & anxietudines in detractione ſanguinis adverſus ardentes febres determinanda ſolum cum urina turbida eſt , & rubra , timentiſque, ne cum ſanguis ſit frænum bilis eadem ferveat magis , atque excandeſcat, cum mihi primum legenti (*d*) occurrerunt , fateor non ſine admiratione accepiſſe: Martiani defenſionem pro Avicenna ſuſceptam aſſerentis in adnotationem Hippocratis (*e*), ſanguinem in omnibus febribus ardentibus, quæ omnes a bile fiunt non detraxiſſe, ſed ſolum inflammatione , aut imminente, aut exiſtente, verentiſque ne ſanguis curatione attenuetur, qua in bilem vertatur, non ſine ſtupore . Quamplurima enim ſunt loca , ex quibus apparet ſanguinis detractionem Hippocratem non pertimuiſſe . Primum enim in libro de victus ratione in morbis acutis de febre ardente legitima loquens, hæmorrhagia ſponte superveniente ut a Cl. Freind (*f*) adnotatum eſt, eamdem facile retundi, ac ſanari docuit. Ecquis vero vel rudioris ingenii ſuaderi poterit naturam, quam ſemper obſervavit magnus Præceptor, & imitatus eſt, non attendiſſe in hoc caſu , & ubi ſanguis e naribus non fluxerit a juſta ipſius detractione abſtinuiſſe ? Quid quod de febre ardente notha verba faciens Hippocrates (*g*) in omnibus acutis morbis ſanguinem detrahendum haud dubie affirmavit ? An ardentem febrem ab acutorum morborum claſſe ſejunxerit, viderint alii. Quid de ſummo ſanguinis fervore dicam, ac turgeſcentia quam egregie compeſcit ſanguinis miſſio, quid de funeſta Meningum, præcordiorum, viſcerumque fere omnium inflammatione, quam cum oporteat omni ſtudio præcavere, vel una ſatis valere poteſt ad incendium reſtinguendum , ad fibras organorum ab immanium tenſionum ſpaſmis , ac ſtimulis vindicandas, ut iiſdem laxatis felicior ad agendum via cæteris auxiliis aperiatur. Quibus ſic conſtitutis ecquis ſe continere poterit, quin Medicos illos , qui Cauſo correptos , & æſtuantes privant auxilio miſſionis ſanguinis maximopere deteſtetur? Eos enimvero merito deteſtatus fuit Riolanus , ſcribens ſe abſque commiſeratione ægrorum , ac Medici deteſtatione legere non potuiſſe in obſervationibus Plateri hiſtorias ægrorum , qui febribus ardentibus torrefacti fuerunt abſque venæ ſectione. Sed video jam quid ad hæc reſpondeant nonnulli , bilioſos ſcilicet, calidos, ſiccos, graciliorique ſtructuræ homines, qui fibris elaſticis, & ſanguine tenuiſſimo, & ſulphureis , aliiſque ſubtilioribus particulis fæto , quæ a ſanguinis juſta copia non coercitæ facile avolant, ſunt præditi, a venæ ſectione plerunque lædi: ſenilem ætatem ex Hippocrate venæ ſectionem prohibere ob virium imbecillitatem , ac ſpirituum diſpendium , quod per eamdem contingit: multo minus puerilem cum ob alias cauſas , tum ob hanc potiſſimum , quod puerorum vaſa admodum mollia ſunt, ac propterea facile ductilia , quæque a ſanguinis fervore, ac turgeſcentia, quæ in febribus contingit non adeo facile ea ratione affici ſolent , qua opus eſt ad plethoram ad vaſa veram producendam , ut ſilentio prætereeam apertos poros cutis , per quos ſudor, ac materia perſpirabilis in ea copia ſecernitur in tali ætate, quæ detractionis ſanguinis vicem gerit. Præternaturales humorum evacuationes per vomitum, diarrhæas, quando contingunt, impium eſſe ad venæ ſectionem confugere. Rectiſſime illi quidem, ſi ſanguinem in ea quantitate detrahendum eſſe ſuſtineremus, quam præcepit Galenus, & uſque ad animi deliquium, quem Fernelium, Sennertum , & Riverium ſequuti in hac parte deteſtati ſumus de Synocho putri agentes , atque ab Avicennæ, & Martiani præcepto non multum

(*d*) *p. f.* 4. *can. cap.* 43. (*e*) *Num.* 34.
(*f*) *Lib.* 2. *de morb. mul. com.*
(*g*) *Ibid. n.* 35.

tum abhorrentes, in bilioſis temperamentis parcius ſanguinem educendum eſſe pronuntiavimus. Ultraquamquod in pueris, & ſenibus non ita formidandam eſſe traderem venæ ſectionem, quin febre acutiſſima, & calida urgente adminiſtretur, ſi ſanguinis copia peccet, atque æſtus ſummus cum proportione ad vires, & habitum eorum facta. Senes enim quod ſpectat, ecquis neſciat non ſolum ad morbos eorum curandos, ſed etiam præcavendos efficaciſſimum auxilium eſſe? Facile enim fiunt plethorici Senes ob vaſorum duritiem, quæ non facile diſtenduntur, atque ob intermiſſas exercitationes, a quibus magna humorum vis attenuata per apertos cutis poros, diſſipatur, unde ad quamplurimas affectiones quibus obnoxii ſunt præcavendas magno cum fructu, & utilitate, etiam neceſſitate non cogente vena iiſdem ſecatur. Si de vomitu, diarrhæa aliiſque evacuationibus loqui velimus, licet haud inficias ire auſim earum habendam eſſe rationem in vena ſecanda, cum quandoque ſic naturæ intento reſpondeant, ut criſis nomen mereri poſſint, Medicumque incertum reddant, an naturæ opus relinquendum, atque a quacumque commotione, ideoque & a venæ ſectione abſtinendum, frequentiſſime tamen contingit, & in principio acutarum, bilioſarumque febrium quaſi certiſſimo ejuſcemodi evacuationes ſymptomaticas eſſe ad quas non ita attendendum eſt, quin ſanguis detrahi poſſit, modo id magnum aliquid indicans cujuſmodi eſt dictum ſanguinis incendium, atque imminens viſcerum inflammatio id poſtulet.

Et ſi libet ex ſola Salvatella Ubi partitis vicibus ſanguis eſt detrahendus, venas brachii, pedis, & ſi vel dolor capitis, vel coma, vel delirium, vel aliquod aliud vitium inſigne capitis adſit, jugulares commode ſecari alibi oſtendimus. (*h*) cum Joanne Freind, minus ſolliciti de venarum delectu, nihilique intereſſe judicantes, ubi e vena brachii detrahere expediat, baſilica potius, aut cephalica, aut mediana ſecetur. Hanc potius, vel illam ſecari ſcrupulus eſt Veteribus Medicis, qui circulationem ſanguinis ignorabant, relinquendus. Secus vero rem habere cenſendum eſt de ſectione Salvatellæ, qua placidius, minoreque cum jactura virium ſanguis educitur, quia ſcilicet minore cum impetu exilioreque rivo ab anguſtioribus ramis exilit, adeoque minorem in maſſa ſanguinea commotionem excitat, unde minus ſpirituum, ac volatiliorum partium profunditur, quo pacto ingentia commoda in ægros minus firmos, debilioreſque, Senes puta, pueros, & qui acutiſſimis morbis cum aliquo prohibente miſſionem ſanguinis, tenentur, continuo emanarunt. Huc accedit ſita hac vena propius ad fines arteriarum, in quibus non raro materia morbifica hæret, cumulaturque ad ſanguinem hærentem divellendum, atque a ſummis arteriis in radices venarum facilius abripiendum plurimum conferre. Quid de utilitate dicam aquæ calidæ, in quam manus immergi ſolet, ſolutionem, & fluxum peccantis materiæ promoventis, quam fere experiuntur ii, qui dolore capitis laborantes, artuum refrigeratione, menſtruorum ſuppreſſione lotiones manuum, & pedum, & in calidam aquam immerſiones adhibent?

Conſtat hic quam promptum, & liberalem eſſe Medicum oporteat, ubi nihil &c. Præclariſſimo Celſo dicenti in magno febris impetu ſanguinem mittere idem eſſe ac hominem jugulari fateor me non facile aſſentiri. Quandoque enim tanta eſt morbi vehementia atque tam magnum ſanguinis incendium, atque inde conſequens ægri periculum, ut nulla interpoſita mora quacumque hora Medicus acceſſerit, venæ ſectionem debeat imperare. Id in pleuritide, angina, apoplexia, atque in ardentibus febribus præcipue contingit, in quibus præterquam primis diebus tuto, utiliterque ſanguis mittitur. Cum enim celerrimi ſint motus, citiſſimeque ad ſtatum, & vigorem deveniant, non ſine graviſſimo ægri periculo

M 2

(*h*) *Ap. lib.* 1. *cap.* 1. *com.* 15. *& cap.* 4. *com.* 13.

culo expectari poteſt morbi incrementum. Id docuiſſe aperte viſus eſt Hippocrates famoſo illo ſuo: *In principiis morborum, ſi quid tibi movendum videtur, move*. Id Celſus ipſe (*i*) aſſerens detrahendum eſſe ſanguinem cum vires robuſtæ ſunt, ac pulſus vegetus. Ecquis enim ſucceſu temporis eaſdem ſervari credat juratus? Quid opus eſt pluribus? Nullo auxilio promptius, & efficacius matura venæ ſectione augmentum febris acutæ prohiberi, immo quandoque in ſui initio eamdem jugulari, & natura ab immodice effervefcentis, turgentiſque ſanguinis ſarcina liberata, facilius quod ſupereſt moderari, eſt concoqui obſervationibus cum multis, ac frequentibus, tum certis, ac conſtantibus compertum eſt. Nonne ardentiſſimarum febrium vim, atque impetum copioſis hæmorrhagiis ſponte ſupervenientibus infringi, ac ſanari ſupra a nobis eſt demoſtratum? Conſtat hinc etiam in longioribus febribus, quæ inducias dant, & in quibus Galenus vigeſimo die ſecare venam non dubitat, opportunitatem in longius tempus minime protendi, ne reconditos quoſdam naturæ motus, criſim, ac criticas evacuationes per hæmorrhagias e naribus, aliiſque locis molientis præpediamus, neve hac de cauſa a ſaluberrimo opere ſumma cum ægrotantis pernicie, ac damno eam abducamus.

XVIII. *Aqua moderatis hauſtibus per intervalla, nec multum frigida ægris propinetur*. Cum olim a Galeno aliiſque Veteribus Medicis poſita fuerit eſſentia febris, in caliditate, & ſiccitate, generalis therapeutica indicatio in refrigeratione, & humectatione conſtituebatur. Verum falſum id ſucceſſu temporis viſum eſt multis perpendentibus calorem eſſe febrilem effectum, caloremque ipſum non actualem eſſe, ſed in potentia, ut ajunt fere Logici tantum, immo & cauſam quæ eumdem excitat, ac fovet, non ſolo actuali calore operari. Quibus fere ad vehementer credendum adducti ſunt, refrigerantia actualia, & humectantia abſolvere non poſſe generalem indicationem febrium therapeuticam. Atque hanc quidem philoſophandi rationem hoc unum, vel alterum valde confirmat. Si proxima, & continens febris cauſa calor eſſet actualis, cauſa vero ipſum excitans, ac fovens ſolo actuali calore ageret, feliciſſime utraque profligaretur per ea, quæ calorem actualem extingunt, cujus frigiditas intenſior eſſet caliditate caloris febrilis, quemadmodum in ardentibus febribus experimur, quæ a gelidis potionibus parum, aut nihil retundi ſolent, contra vero infringuntur, ac feliciter debellantur per ea, quæ febrilis æſtus, caloriſque cauſas ſubigunt, ac temperant. Actualem igitur refrigerationem in febribus non eſſe generalem therapeuticam indicationem adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Quod aperte docuit Hippocrates inquiens: *Qui ardente febre laborant, & aliis fortibus morbis non cito ex calore liberantur, nec adeſt hic frigidum adverſus calidum: atque ego hoc maximum ſignum eſſe puto, quod homines non ob calidum ſimpliciter febricitant, neque hoc fit ſimpliciter affectionis cauſa, ſed & amarum, & calidum, idem calidum, & acidum, calidum, & ſalſum*, adeoque ex Hippocratis ſententia non refrigeratio, ſed expulſio calidi, amari, acidi, ſalſi eſt indicatio generalis therapeutica in febribus, quæ a generalioribus cauſis eas producentibus apte deſumitur. Cum igitur demonſtratum a nobis ſit proximam febris cauſam eſſe perturbatam ſanguinis circulationem, quæ operationibus nocet, manifeſtiſſimo apparet ea potiſſima eſſe febris remedia, quæ circulationem ſanguinis ad naturalem ſtatum redigunt. Cum vero perverſa ſanguinis circulatio a crebriore cordis contractione conjuncta cum variis ſanguinis conſtitutionibus ob concitatum Spirituum Animalium motum ab inſueta vi præſentis ſtimuli proficiſcatur, ſi inſueta vis præſentis ſtimuli tollatur, circulationem quoque ipſam naturalem fieri, ac febrem tuto feliciterque debellari manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Tota fere Galeni

(*i*) *Lib.* 5. & 8.

leni doctrina eſt dicentis (*l*), in analyſi cauſarum ad id, quod ultimo loco inventum eſt, in curatione primum eſſe attendendum, ſeu quod eodem recidit remediorum fontes, & indicationes generales ad curandas febres ab ultimis cauſis eſſe deſumendas, ita quidem ut ſi concitatum Spirituum Animalium motum excitent animi affectiones ſint illæ amovendæ; ſi myaſmata maligna ſint extinguenda, atque e corpore foras eliminanda; ſi corrupti humores, ſint corrigendi, temperandi, ſi craſſities, & lentor eorumdem, aut fluiditas, & fuſio, aut plenitudo, aut inanitas, aut aliquod aliud vitium peccet, ſit tollendum, immutandum, evertendum, atque ut rem paucis perſtringam, neve a propoſita ſemita de induſtria recedere velle videar ſi acredo inſignis ſanguinis, ſi климатbilioſa, ſubtilis, ſulphurea intemperies (quemadmodum in febribus acutis, bilioſis, & ardentibus evenire ſupra monuimus) ea ſint adhibenda remedia, quæ acredinem inſignem ſanguinis, quæ bilioſam, ſubtilem, ſulphureamque intemperiem contemperant, diluunt, refrigerant, quo in opere liberalior aquæ frigidæ potus præſtat, ut Hippocrates ejuſque interpres accuratiſſimus Martianus, (*m*) & Galenus (*n*), Aretæus, Celſus, Alpinus, aliique teſtati ſunt. Nec immerito quoniam ut de Synocho agentes attigimus, ad humores diluendos, acrimoniam temperandam æſtum reprimendum, ſitim coercendam, nervorum diſtenſiones arcendas, ſomnum arceſcendum, urinis ſudoribus, purgamentis alvi foras recludendis efficaciſſimum præſidium eſt, ſi quod aliud. Pluribus tamen cautionibus opus eſſe ad plures, graveſque noxas præcavendas Celſi doctrinis præeuntibus oſtenſum eſt, quas ne repetendo longiores faciam, aut obſcuriores libens prætermitto.

XIX. *Ne multum frigida quidem ventri, & hypochondriis admoveantur*. Sedulo tamen, & accurate ad eas attendendum eſſe facile decerno, ne peſſimo conſilio Neapolitanos imitemur, qui non ſolum aquam nive perfrigeratam liberali manu, omnique alio cibo prohibito per plures dies ægris præſcribunt, ſed univerſum corpus nive cooperiunt, quod dici vix poteſt, quantum febre ardentibus laborantibus noceat. Quem enim vadem non demus vaſa totius ambitus corporis convelli, ſanguinem congelari, atque inde conſequens in his ſegniter moveri, vel conſiſtere, in interioribus vero majore velocitate moveri, rarefieri, excandeſcere? Huic quidem opinioni illud unum vel maximum robur addit, quod alibi a nobis dictum eſt, (*o*) ſanguinem videlicet in aliquibus vaſis conſiſtentem anſam præbere alteri parti ſanguinis ad velocius fluendum in aliis. Quo magis patet aqua nive perfrigerata extrinſecus admota, vaſa, & ſanguinem ea ratione affici, quæ vel una ſatis valere poteſt ad ejus curſum in interioribus vaſis accelerandum, ideoque rarefactionem, æſtum, fervoremque intendendum. Quot porro periculis eorum corpora, non ſubjicientur, qui ſummopere calentes, & quaſi torrefacti frigidiſſimis potionibus pertractentur? Valde æſtuante corpore, & ingurgitata aqua frigida, illiacam paſſionem obortam memorat Aetius: Puellam quamdam poſt emulſionem gelidiſſimam eodem morbo preſſam teſtantur M. N. C. (*p*): cardialgiam Rhodius (*q*): dyſenteriam cum torminibus lethalem in puellis glaciem deglutientibus Borellus (*r*): mortem Boyleus (*ſ*): ut alias hiſtorias Donati, Herediæ, Baccii, Hildani, Schenkii, Beniverii, Foreſti, Mercati ſilentio prætereaın, quarum alibi meminimus, quaſque citatis locis legi mali malumus, quam hic referri. (*t*) Neque arduum futurum remur ſubtilioribus quæſtionibus relictis, quod ad rem noſtram potiſſimum facit conjicere triſtes hoſce, funeſtoſque gelidarum rerum

rum

(*l*) 22. *meth. cap. ii.* (*m*) *Lib.* 3. *de morb. n.* 6. (*n*) *Regim. lib.* 1. *cap.* 42.
(*o*) *De feb. cap.* 1. *com.* 4. (*p*) *An.* 7. *Obſerv.* 73.
(*q*) *cent.* 2. *obſ.* 71. (*r*) *Cent.* 3. *obſ.* 2.
(*ſ*) *Experim. philoſ.*
(*t*) *Aph. lib.* 3. *com.* 2. *cap.* 4.

rum effectus à tranſitu repentino ab uno contrariorum in aliud referendos eſſe, quem altiori voce damnavit Hippocrates, & è medio tollere quantum, ei licuit conatus eſt: inquiens (*u*) *multum, & repente replere, evacuare, calefacere, reſrigerare naturæ inimicum: ſed quod paulatim fit, tuto fit*. Quod præclariſſimo exemplo illuſtratur in iis, qui nivem manu pertractantes leviſſimo vel nullo dolore afficiuntur, ſi vero poſtea manus igni admoveant vehementiſſimo dolore torquentur; quem non ad alias cauſas, quam ad repentinum tranſitum ab uno contrariorum in aliud aptius retuleris. Quapropter magnus Cous ſcite admodum prudenterque actu frigida non ſolum confeſtim admovenda ventri, & hypochondriis ſuadet, ſed quæ frigida multum non ſint, ſicut æger minime inhorreſcat. Hiſce cautelis ad amuſſim ſervatis pulcherrima remedii laus erit ſanguinem non modo non congelare, nec vaſa convellere, ſed ſanguinem in Cordis vaſa ea ratione impellere, qua opus eſt, ut tota ſanguinis maſſa temperetur, calor, febris, æſtus, atque effervescentia compeſcatur.

XX. *Acida, nitroſa &c.* Cum febris ardens a velociore ſanguinis circulatione exoriatur, qua ſulphureæ, tenues, volatileſque particulæ exſolvuntur, & a reliquarum nexu ſolutæ, atque in univerſam ſanguinis maſſam diffuſæ æſtum, atque effervescentiam inſignem excitant; velocior vero ſanguinis circulatio ab ipſius acrimonia proficiſcatur, qua Cor, & vaſa ſanguifera irritantur, & mordentur, ſpiritus concitantur, crebrior fit Cordis contractio, apparet manifeſtiſſimo ea omnia, quæ acres particulas figunt, invertunt, abſorbent, & retundunt, etiam aucto ſanguinis motui cohibendo, ac refrigerando opportuniſſima exiſtere. Primi generis ſunt acida omnia, tum vegetabilia, tum mineralia copioſa aqua diluta, quæ ſudoriferam vim congrue exercere ait Riverius, & febrem tuto feliciterque profligare. Sequuntur farinoſa inſipida, ex quibus emulſiones conficiuntur, demum cruſtacea, ut unicuique in memoriam revocanti, quæ ſupra a nobis dicta ſunt innoteſcere poteſt (*x*). Idem de diaphoreticis (*z*), & purgantibus (*a*) intelligendum, de quibus alibi pariter loquuti ſumus.

XXI. *Veſicantia nonniſi in febre ardente notha, vel inflammatione aliqua comitata a craſſitie, & lentore humorum oriunda &c.* Veſicantium multa ſunt genera, eorumque formulæ a Vvilìſio in pharmacia rationali (*b*) & ab Etmullero in Schroderi dilucidanda Zoologia præ cæteris deſcriptæ. Veſicantia in quorum compoſitionem Cantharides recipi ſolent, cæteris præferri ſolent, præſertim ſi congruus earum numerus adhibeatur, ejectis alis, & pedibus, in quibus, ut ait Bartolinus, benignior facultas latet, nec ſal acer, ac volatilis, quibus refertæ ſunt a copia aceti ad paſtam conficiendam cum fermento acri, aut mucilaginoſo uſuali retundatur, & quod magni intereſt, ſi recentia ſint ob cantharides ſua virtute præditas, & cuti rubificandæ, & excitandis veſicis idoneas. Magnum præſidium pro quamplurimis morbis reperit in Veſicantibus Kircherus, deque iiſdem magnifice loquutus eſt Hercules Saxonias in tractatu de uſu Veſicantium, & aliis poſtea præclariſſimis libris editis adverſus Cl. Maſſariam, qui ineptis diſertationibus eumdem refellere conatus eſt; inter Recentiores vero Thomas Vviliſius (*x*) & Joannes Freind (*z*). Licet Veſicantia ignota fuerint Hippocrati, & Galeno, ex cantharidibus tamen medicamenta confeciſſe conſtat, quibus humore pravos, & malignos attrahendi facultas ineſſe reputabatur. Hinc orta illorum.

(*u*) *Aph.* 5. *ſect.* 2. (*x*) *Cap.* 1. *com.* 14.
(*z*) *Ibid. com.* 17.
(*a*) *Cap.* 2. *com.* 16.
(*b*) *Part.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 3.
(*x*) *Pharmac. rat. p.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 3.
(*z*) *Com. de feb. com.* 9.

rum ſententia, qui Veſicantia non alia ratione operari, quam humores pravos, & malignos ad cutem attrahendo exiſtimarunt. Hanc de virtute attractiva Veſicantium opinionem plerique Recentiorum ſuis temporibus vigentem eradicare conati ſunt. Oblivioni tamen per multa ſæcula traditam in lucem denuo produxerunt viri clariſſimi, qui novitatis amore illecti, Carteſianæ Philoſophiæ ſtudio penitus langueſcente, Nevvthonianæ ſe totis viribus dederunt, atque illam adeo ſequuti ſunt, ut alibi monuimus, (*a*) ut vim attractivam non certis tantum finibus coercere contenti fuerint, ſed ſingulis partibus cum fluidis, tum ſolidis, ex quibus corporis univerſi machina conſtructa eſt vim hanc ineſſe putaverint, & ſic ſecretionum, excretionumque exulantibus omnino antea excogitatis cauſis ad eamdem revocarint. Atque hanc quidem opinionem multa confirmant experimenta, atque obſervationes a Cl. Rhoberto Boyleo in ſua experimentali Philoſophia relatæ. Narrat enim Braſilienſes populos cum ubique venenata Animalia offendant, ac morſibus lanientur, ſola applicatione eorumdem Animalium vulneratæ parti curationem inſtituere, quo fit ut virus attrahatur & foras eliminetur. Ubi Scorpio mordet, ſi Scorpio contuſus vulneri applicetur, vulnus perfectiſſime curari notiſſima res eſt. Si quis a cane rabido morſus, mordentis canis pilos aut carnem vulneri applicet, ab hydrophobia liberari patet. Si quis vipera morſus pinguedine ipſius viperæ vulnus inungat egregie ſanari compertum eſt. Sive attractio hæc fiat, quod ſimiles particulæ cum ſimilibus conjungantur ob ſimilitudinem figuræ, ſive ut Leibnitius aliique maluerunt ob harmoniam conſentientium vibrationum curioſius non inquirimus: quandoquidem carnes ſalitas facilius dulceſcere, ſi in aqua marina infundantur, quam ſi in aqua dulci docuimus. (*b*) Si ſal nitri, & aluminis in aqua ſolvantur, & aqua per ignem exagitetur, in quantitate inſigni, ſales duos ſeparari, & in cryſtallos proprias ſuæ figuræ ſecedere, ſalem nitri cum particulis nitri, ſalem aluminis cum particulis aluminis: atque hæc quidem præclariſſime evincere partes ſimiles, ſive ob ſimilitudinem figuræ, ſive ob harmoniam conſentientium vibrationum facile adhæreſcere; & conjungi, atque hac potiſſimum ratione cantharides cum pipere deglutitas, quarum virulentam, corroſivam, atque interimentem vim adnotavit Galenus Thonerus, Alpinus, quamque experimentis Baglivus, acerrimo hydrophobiæ veneno attrahendo, & per inſignes urinæ vias extra corporis confinia educendo opportuniſſimas exiſtere, conjicere non dubitavimus. Quæ quamvis perbelle dicantur de attrahente Veſicantium virtute, cave tamen, ne plus ei tribuas, quam par eſt. Cum enim obſervationibus, atque experimentis Cl. virorum Bartholini, (*c*) Hildani, (*d*) Timæi, (*e*) Zacuti Luſitani, (*f*) Paſchalis (*g*), Thoneri (*h*), Baglivii (*i*), Konig (*k*) compertum ſit a Veſicantium applicatione veſicæ dolores, urinæ ardores, ſuppreſſiones, mictus ſanguineos, vigilias, ſitim intenſam, calorem ſummum, ac ſi pars igne torreatur, deliria, convulſiones excitari, quid ni liceat conjicere acres, urenteſque cantharidum particulas non ſolum cutim, cui applicantur extimulare eam divellendo, lacerandoque, ſed in ſanguinem introductas univerſum nervorum genus mirum in modum percellere, & in validiores, vehemen-

(*a*) *Aph. lib.* 1. *cap.* 7. *com.* 13.
(*b*) *Ibid. com.* 18.
(*c*) *Cent.* 3. *hiſt. anat.* 16.
(*d*) *Cent.* 6. *obſ.* 98. 99.
(*e*) *Lib.* 7. *cap.* 20.
(*f*) *Medic. princ. hiſt. lib.* 2. *hiſ.* 117.
(*g*) *Meth. cur. mor. cap.* 44.
(*h*) *Obſ.* 20. (*i*) *De uſ. & ab. Veſicant.*
(k) *In M. N. Cur. Doc.* 2. *an.* 9. *obſer.* 13.

mentioreſque contractiones agere, unde circulationem ſanguinis augeri contingit, ejuſdem principia fundi, ſi quid craſſum, ac viſcidum eſt diſſolvi, atque morbos a lentis ſeroſiſque humoribus, atque ſolidarum partium laxitate prodeuntes feliciter debellari, ut fere Bellinus opinatus eſt, cujus quidem ſententia nihil aliud veroſimilius dictum? Veſicantia ſanguinem fundere Wiliſius ipſe confeſſus eſt, in hoc tamen falſus, quod acres ſales, & lixivioſos corrigere exiſtimavit, cum ſal acre cantharidum ipſam ipſius ſanguinis acredinem augere adeo manifeſta res ſit, ut manifeſtior ſit nulla. Lacerata cuti, ac vulnere partibus inflicto ſerum, atque incongruos ſuccos natura exonerat, atque hac via delentur illa præjudicia, quæ intus retenti, atque ſanguinis maſſam conſpurcantes minantur, quique graviſſimis morbis producendis opportuniſſimi exiſtunt, ut Cl. Severinus teſtatus eſt. His ita ſtatutis pronum eſt credere Veſicantia in febre ardente notha, vel inflammatione comitata, quæ a diatheſi craſſa, viſcida, & lenta dependet, quoniam plerunque corpora temperie, & habitu ad humidum, & plenum vergentia aggreditur, qua attenuando, & incidendo, qua ſyſtalticam vaſorum vim augendo non parum prodeſſe. Si vero febris ardens legitima ſit, quoniam a ſumma ſanguinis acredine cum tenuitate conjuncta exoritur, & graciliora, ſicciorisque habitus corpora invadit, vel inflammatione aliqua comitatur a nimia ſanguinis acrimonia ſolidas partes, & vaſa extimulante, mordente, convellente oriunda, juſtus ſubrepit timor, ne cauſticæ cantharidum particulæ in univerſam ſanguinis maſſam diffuſæ ejuſdem agitationem, ac furorem augeant, atque nervos inſigniter vellicando, mordendo enormes vigilias, immania deliria, effrænes convulſiones excitent, atque mortem ipſam arceſcant. Quibus quemadmodum acquieturi ſint, qui cum Freind (*l*) in omnibus acutis morbis expeditum, nec opinatum levamen Veſicantia præbere teſtantur, neque audiendos eſſe illos (quos inter Baglivus eminet), qui in affectibus nervoſis, & febribus ardentibus, & continuis eorum uſum repudiant viderint alii. Sed de his jam alibi dictum (*m*)

XXII. *Conclave aliquando apertum ſervetur, præſertim ſi Sirius ardeat*. Salubre Celſi monitum eſt ægros febre ardente preſſos in conclavi amplo detinendos eſſe, quo multum, & purum aerem inſpirare poſſint. Liberalius adhuc agit Sydenhamius, qui in ipſa febre varioloſa pueros jubet apertum aerem habere, ut orgaſmus, atque effervescentia ſanguinis temperetur. Hiſce porro quoad per ægros licebit, parendum eſt. Plebeji ſiquidem, & tenuis fortunæ homines in conclaviis apertis, humilioribus, & minus æſtuantibus verſari coguntur, hinc fortaſſe accidit ob minus calefactum, noviſque ſemper, & aſſiduo advenientibus halitibus temperatum aerem, quem trahunt, minus periculoſe, & graviter febre ardente, aliiſque acutis morbis decumbere &c.

CA-

(*l*) *Com. de feb. 9. n.* 289.
(*m*) *Aph. lib.* 1. *cap.* 3. & 4.

CAPUT IV.

De Febre Hectica.

I. FEbris continua nulloque circuitu diſtincta, ſed lenta, & miti calore comitata, qua corpus ſenſim extenuatur, & omnis ejus humiditas abſumitur hectica fere, & habitualis dici conſuevit.

II. Quę tunc contingit cum acris ſanguinis diatheſis, fuſio, ac colliquatio inducitur, qua calor perpetuus in tota humorum maſſa conſervatur, atque ad nutriendum inepti iidem conſtituuntur.

III. Cauſæ antecedentes, & externæ ſunt temperamentum calidum, bilioſum, & ſiccum, ætas juvenilis, autumnalis tempeſtas, quæ calidæ æſtati ſuccedit, regio calida, vigiliæ diu protractæ, graviora animi pathemata, inedia diu tolerata, exercitationes violentæ, cibi acres, venus immodica, gonorrhæa, fluxus albus Mulierum, magna ulcera, lactatio nimia, diarrhæa, dyſenteria, phtyaliſmi, ſudores copioſi, urinæ profluvia, hæmorrhagiæ, Synochus, febris ardens, aut aliæ ejuſmodi febres male judicatæ.

IV. Primum hecticæ febris gradum calor comitatur vix ægris moleſtus, qui tamen digitis exquiſitius exploratus acris percipitur, & mordax, & magis quidem ad arterias, quam ad reliquas partes, quique una cum pulſu increſcit a ſumpto cibo, abſque ullo horrore, frigore aliove ſigno infeſtantis paroxyſmi, cum cæteroquin parvus ſit, moderate celer, & frequens urinæque fere ſanorum ſimiles appareant.

V. Hæ ſi temporis ſucceſſu oleaginoſæ mingantur diverſicolores, vires magis frangantur, corpus extenuetur, nihilque reficiatur ab alimento, hecticam febrem ſecundos gradus attigiſſe cenſendum eſt.

VI. Si tabes, extremaque macies totius corporis, ſquallor præſertim vultus, atque hippocratica, ſeu cadaverica effigies, & mortis imago in oculis concavis atque intra orbitas ſepultis, & conſumptis, fereque fixis, & immobilibus percipiatur, ſi ſudores matutinis horis ſuperveniant, ſi copioſæ urinæ, ſi diarrhææ, de tertio gradu amplius ſuſpicandum non eſt.

VII. Altiores hoſce gradus ubi attigerit febris heſtica non eſt amplius ejus naturæ, ut facile vinci poſſit.

VIII. Nihilominus tamen, niſi æger valde debilis ſit, & imbecillis, & obſtructionibus laboret, aquam Nocerianam, Lactuccæ, Endiviæ, malvar. violar. cichor. aliaſque ſimiles larga manu pro potu ordinario præſcribere hauriendas inutile prorſus non erit.

IX. Ex lactucca portulacca, endivia, cichor. borragin. bugloſ. nymph., viol. decoctio parari poterit matutinis horis calida epotanda, addendo

pulveres ex matr. perlar. pp. oculor. cancror. pp. ad ʒ .s. Syrup. de oxaliid. vel de cichor. ſimplic. ad ℥ i. quotidie per plures dies : veſpertinis vero emulſio cum prædictis pulveribus ex amygd. dulc. ℥ .s. ſemin. quat. frigid. ℥ i. s. in aq. lactuc. nymp. a q. ſ. addendo julapii roſar. ʒ ii.

X. His quoque ineunte Vere Serum lactis ſtillatum in hunc fere modum egregrie confert. ℞. Suc. depurat. portulac. endiv. cichor. borragin. ſonch. acetoſ. fumar. a lib. iii. Lact. Caprin. r. e. lib. XX. Redic. Chin. elect. inciſ. ℥ ii. Raſur. Cor. cer. Ebor. a ℥ i. Ranar. excorticat. n. xxiiii. Caudar. cancror. fluviatil. lib. .s. Carn. Vitul. aut hædi, aut pulli lib. i. M. deſtillentur omnia in B. M. & deſtillatum ad lib. .s. mane jejuno ſtomacho altera hora a ſumpta decoctione cichorii, & quadrihorio poſt cibum, qui ex gelatinis erit extremitatum pedum vituli, quibus ſucci limonum, aut citri commode admiſcentur priuſquam concreſcant ex carnibus elixis & jure caſtrati, aut pulli hordeo, & avena lacte coctis nutriti, & raſuris cor. cer. & chin. nodulo incluſis alterato, ex panatellis, ex hordeo, horyza, acetoſa, endivia, borragine lactucca, addito pherculo Saxoniæ, amygdalis mundis, pineis, pyſtachiis, & ſimilibus.

X. Auxiliis autem omnibus Lac palmam præripit : Muliebre quidem, aut aſininum iis, qui in ultimo ſtadio ſunt conſtituti, caprillum, quibus ſtomachus firmior eſt, vaccinum demum quibus adhuc robuſtior, iiſdem ad amuſſim ſervatis cautellis, quæ alibi a nobis ſunt expoſitæ. (*a*)

XI. Nec infimum obtinet locum aer moderate frigidus, & humidus, domicilii, & cęli mutatio, corporis exercitatio pro virium modulo, & motus lectica, rheda, cymba, equo, ſomnus moderatus, animi hilaritas, & tranquillitas, a ſeriis profundiſque meditationibus avocatio, ad jocoſa, & faceta revocatio.

XII. Ubi hæc nihil efficiant viribus ſervandis ſtudendum vino fragranti, & ſuavi, & exiguis cyatis ſumpto, fotu tepido regioni cordis, hypogaſtricæ, & umbilicali, vel epithemate ex aqua eſſentiali Meliſſæ cum pulveribus ſantalorum macis, & parum camphoræ.

XIII. Alvi fluxui egregie occurret decoctio theiformis radic. tormentil. biſtortæ, conſolid. major. mane & veſpere quotidie cum pulveribus cor. cer. uſt. bol. armen. radic. tormentil. pul. a. p. æ. ad ʒ .s. propinandis, addendo ad gratum ſaporem ſyrup. cyton., vel de ſymphir. Fernel., nec non pthiſana ex hordeo torrefacto, aut horyza pro potu ordinario.

XIV. Si tormina infra umbelicum urgeant Clyſteres ex lacte, aut decocto pingui chalybeato pedum vituli vervecis ad ℥ vj addendo ſuc. cancror. fluviat. ℥ ii. vitel. ovor. n. i. ſęv. hircin. ℥ .s. gum. traganth. ʒ ii : hora vero ſomni bolus ex Diaſcord. Fracaſt. ʒ .s. commode inſerviet.

XV. Si aliis morbis ſuperveniat febris hęctica ii tollendi prius ſunt, quam ad enarrata auxilia deveniendum.

CA-

(*a*) *Lib.* 2. *cap.* 3.

CAPUT IV.

De febre Hectica.

I. F*Ebris continua nulloque circuitu diſtincta, ſed lenta, & miti calore comitata &c.* Hecticam febrem intemperiem calidam eſſe dicebant Veteres in ſolidis partibus totum corporis habitum conſtituentibus inhærentem, atque idcirco magis fixam eſſe ac pertinacem, quam quæ in ſpiritibus, & humoribus accenduntur. Hiſce aſſentiri viſus eſt Hoffmannus (*b*) exiſtimans in hecticis febribus ſolidas partes potiſſimum pati, & ipſam labem, aut magnam corruptelam adeſſe viſceris: Hecticas febres ſymptomaticas eſſe, & gravioribus viſcerum corruptionibus ſupervenire. Qua in re multis minus placuit judicantibus hecticas febres appellari, quæ a nulla partium læſione, ac vitio proficiſcuntur, atque hecticas febres eſſentiales ac nullum morbum conſequentes a phthiſica, & ſymptomatica, quæque a vitio particularis partis, tumore, ulcere, vomica, abſceſſu pulmonum, meſenterii, renum, uteri, genitalium, mammarum, hepatis, lienis, aliorumque viſcerum ortum traducit diſtinguentibus inde conſequens hecticam eſſentialem ad tractatum de febribus referentibus phthiſicam, & ſymptomaticam ad tractatum de morbis particularibus. Hos in præſens ſequimur, atque hecticam febrem per ſignorum ſyndromen tradentes febrem continuam nulloque circuitu diſtinctam, ſed lentam, & miti calore comitatam eſſe diximus, qua corpus ſenſim extenuatur, & omnis ejus humiditas abſumitur. Quod erat indicandum, ne in Hippocratis, Aretæi, Celſi aliorumque monumentis verſantes in fraudem inducerentur plerique, hecticæ ac lentæ febris nullam mentionem pervidentes, cum ejuſce loco longas, tabidaſque febres, & maraſmos memorarint, quæ etſi inter ſe differre videantur, in eo tamen cunctæ conveniunt, quod corpus miti calore, & ſiccitate conſumunt.

II. *Quæ tunc contingit cum acris ſanguinis diatheſis, fuſio, ac colliquatio inducitur qua &c* Placuit Etmullero hecticas febres a diatheſi ſanguinis ſalino-acida cum craſſitie, & viſciditate conjuncta repetere. Quod non ſine admiratione accipere nos poſſe fatemur, ſolum etiam ſubtilioribus quæſtionibus relictis in remedia ab Antiquioribus commendata, & ſucceſſu temporis Recentioribus, Moderniſque probata oculos conjicientes, quæ cum ejuſmodi ſint, ut debitam ſanguini craſſitiem, & viſciditatem concilient, ut infra dicemus, efficere potuerunt, ut non ſolum ad Etmulleri ſententiam minime accederemus, ſed illa relicta, in aliam prorſus contrariam Hoffmanno, Bellino, aliiſque præclariſſimis Medicis præeuntibus libentiſſime iremus. Ecquid enim aliud audiat humor putridus, & corruptus temperatæ, & naturali ſanguinis, & humorum vitalium mixtioni penitus adverſus, quique eamdem immutat, atque diſſolvit, quem fere Hoffmannus cauſam prætendit, quam illud ipſum principium, quod ſanguinis acredinem fuſionem, colliquationemque excitat, quamque aliis verbis idem fere ſignificantibus indigitavit Bellinus putans hecticæ febris coniunctam cauſam eſſe talem ſanguinis conſtitutionem, qua calidæ, & ſiccæ partes ideſt mobiliores, acutæ, duræ, inflexibiles aſperæque reliquas omnes copia, & viribus excedentes calorem perpetuum in tota humorum maſſa conſervant, ipſoſque ineptos reddunt ad nutriendum? Quæ porro conſtitutio talis eſt, ut & remotis cauſis, quæ ipſam primo produxerunt, nec non eam conſervantibus adhuc ſe ipſam duret, atque conſervet.

III. *Cauſæ antecedentes, & externæ ſunt temperamentum calidum, bilioſum &c.* Sed jam non in ea rationum inopia verſamur, ut non aliunde quam ab hoc fonte

(*b*) *M. S. t. 4. de febr. lentis &c.*

te repetendam eſſe proximam hujuſce febris cauſam argumenta conquirere valeamus. Itaque magnum, clarumque in primis ſignum ejuſce rei eſt, in hanc febrem proclives eſſe, qui temperamento ſunt calido, bilioſo, ſicco qui in ætate juvenili conſtituti, quam certis circumſcripſit finibus Hippocrates (*c*), inquiens: *Tabes fiunt maxime ætatibus a decimo octavo uſque ad trigeſimum quintum*. Cum enim in calido, & ſicco temperamento, quod dicitur bilioſum, Cor, & vaſa anguſtiora ſint, fibræque tenſæ, hinc motus ſanguinis celerior, & vehementior, & pulſus frequens eſt, inde conſequens ejus calorem fervidiorem eſſe contingit, conſiſtentiam ſanguinis ad tenuitatem, fuſionemque vergere, ſulphureas partes in eo eſſe exaltatas, & copioſas, ſpiritus agiliores, ſubtiliores, acrioreſque: quæ omnia ſi in quavis alia, in juvenili maxime ætate conſpicua ſunt, quam inſigne virium robur, humorum fervor, atque volatilium, ſulphurearum, tenuiorumque particularum copia claram facit.

Autumnalis tempeſtas, quæ calidæ æſtati ſuccedit, regio calida. His conjecturis id quoque robur addere videtur, quod oritur autumnali tempore calidæ æſtati ſuccedente, & a qua ſeroſæ, mites, lenes, ac nutritiæ ſanguinis partes per laxatas cutis glandulas facile diſſlantur, dum ſalinæ debita illarum copia minime coercitæ illud univerſæ maſſæ vitium conciliant, ex quo multi, graviſſimique morbi proficiſcuntur, quos recenſuit Hippocrates (*d*), quoſque non aptius, quam ad memoratam ſanguinis acrimoniam, nec non fuſionem, colliquationemque retuleris: Cur facilius in regionibus calidis ejuſcemodi febres oriri putes, quam ex eo quod in iis acres, ac corroſivi ſales dominentur, qui univerſam ſanguinis maſſam fundunt, ac colliquant?

Vigiliæ diu protractæ. Percurre quæſo ſingulas externas cauſas, animo, & cogitatione percurre: nullam in inſigni illarum cenſu reperies, quæ humiditatem, & roſcidam, nutritiamque humorum, ac ſolidarum partium ſubſtantiam minime abſumant, eos videlicet nimium, & continuata actione calefaciendo, ſolvendo, colliquando. Atque ut a vigiliis exordiamur, ſi recte memineris eorum, quæ de febre ephemera agentes ſupra attulimus, diximus a vigiliis intenſis uberiori facta ſpirituum ſecretione ſanguinem vapidum fieri eo prorſus modo, quo vinum vetus odorem, ſaporemque fere omnem amittens in vapam degenerat, vires hinc majorem in modum exhauriri: deinceps ſpirituoſis ſanguinis partibus conſumptis, ſalinas terreſtreſque partes, ac ſulphur aduſtum congregari, ſanguinem acrem, ac bilioſum evadere, unde nerveis fibris demorſis, ac vellicatis crebrior cordis contractio, circulatio ſanguinis pervertitur, atque febris ephemera progignitur. Quid aliud requiritur ad hecticam febrem, quam ut eædem ſalinæ partes exaltatæ jam, ſuique juris factæ eam acrimoniam ſanguinis, & humoribus concilient, qua non ſolum Cor, & arteriæ ſtimulentur, ac ſpiritus commoveantur, pulſus celer, ac frequens fiat, ſed ipſa hominis pinguedo, & caro rodatur, abſumaturque? Uti nimirum nihil tam arduum eſt, ac difficile quod non expugnet pertinax opera, ac intenta diligenſque cura, ita nullam eſſe tam mitem, ac benignam ſanguinis conſtitutionem vigiliarum intenſione alteratam, quam temporis diuturnitas eadem permanente cauſa ea ratione inficere nequeat, qua opus eſt ad hecticam febrem excitandam, adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla.

Graviora animi pathemata. Detrimenta, quæ ex mœrore, triſtitia, aliiſque gravioribus affectionibus in hominem redundant ſunt potiſſimum retardata ſpirituum animalium ſecretio, ac motus, partium vero, quæ debito eorumdem influxu defraudantur languor, ſomni perturbatio, Chilificationis perverſio: pravas hinc, atque incongruas ſordes in primis viis generari contingit, quæ ſanguinis maſ-

(*c*) *Aph. 9. ſect. 5.*
(*d*) *Aph. 13. ſect. 3.*

maſſam ſubeuntes eumdem ea ratione inficiunt, qua partibus nutriendis ineptus potiſſimum conſtituatur: hinc ſapienter Salomon (*e*) *Spiritus fractus exſiccat oſſa*. Frangi autem dolore potiſſimum animi alibi oſtendit (*f*); unde *Sicut tinea*, inquit, *veſtimento, ita triſtitia nocet cordi*: Quod egregie animadvertens Syracides (*g*) ab eadem diligenter cavendum eſſe homines ſuaſit iis verbis: *Ne tradas triſtitiæ animum tuum, neque angas te ipſum conſilio: Dilige animum tuum, & conſolare cor tuum, triſtitiamque procul a te pelle.*

Inedia diu tolerata. Obſervatio de Cerebro Canis ob inediam mortui, cujus fibras corroſas comparere, deque reliquis viſceribus, quæ limpidiſſima, & ſanguine fere omnino vacua, carenteque gelatinoſa parte inveniri, alibi a nobis adnotatum eſt (*h*), aptiſſime cadit in hunc locum. Si enim acrimoniam humorum tantam evincit, ut molles, ac tenellæ Cerebri fibræ exedantur, corrodanturque, reliquæ vero ita convellantur, ut pauxillum, quod ſupereſt ſanguinis fortius exprimant, non ſolum ad ſuſpicandum, ſed ad credendum vehementer adduci poſſumus inediam diu toleratam non alia ratione hecticæ producendæ opportuniſſimam exiſtere, quam toties memoratam ſanguinis acrimoniam, fuſionem colliquationemque promovendo.

Exercitationes violentæ &c. Si de exercitationibus violentis ſermo ſit nemo ignorat Muſculis nimis frequenter, & fortiter contractis relaxatiſque ſulphureas, tenues, ac volatiles partes exaltari, atque ejuſdem rarefactionem, ſolutionemque excitari. Si de calidis, acribuſque cibis ingeſtis, tenui, ac volatili ſulphure, quo præditi ſunt vaſa, ac viſcera extimulari, in validiores, vehementioreſque contractiones agi, ſanguinem plus æquo attenuari, exſolvi, atque ejuſdem moleculis diviſis nimis tenuem acremque reddi manifeſta res eſt.

Venus immodica. Danda interdum eſt opera, ut non ſolum prava, & inutilia, ſed etiam boni, laudabileſque ſucci, ſi nimia ſit eorum copia e corpore foras eliminentur, hinc ſanguinis miſſio, ſeminis effuſio præ cæteris per moderatam venerem laudatur: juxta illud Hippocratis: *Labor, cibus, ſomnus, venus omnia mediocria*. Si vero immodica ſit deficiente ſero roſcido, ſpirituoſo, quo ſemen conſtat, vires facile langueſcunt, partium nutritio facile deficit, & univerſum corpus contabeſcit. Quare ſapienter Hippocrates (*i*) *Uxore*, inquit, *ſemel uſus & acrior fuerit, & magis expeditus. At ſi ſæpius Venerem exercuerit durior evadet cum quodam ſquallore, corpuſque decoloratius erit, & majore laſſitudine tentatum*: & Celſus (*k*) *Concubitus neque nimis concupiſcendus, neque nimis pertimeſcendus eſt. Rarus corpus excitat, frequens ſolvit. Moderata igitur Venus corpus agilius, & ſe ipſo levius reddit, ut immoderata depravat, pigrum, languidum, & effætum efficit, vires roburque exſolvit*. Et ſane cum ſecernatur genitura in Cerebro, & per Spinalem medullam deſcendat in genitalia ex ſanguine arterioſo, & ſpiritibus animalibus illuc propulſa, quoties magna fuerit genituræ excretio, magnam ſpirituum, & ſanguinis diſſipationem fieri perſpicuum eſt, a quo ſuccus nutritius, aut proxima ejus materia ſecernitur, præſertim in Cerebro, a quo univerſum corpus diſtribuitur pro nutrimento animali, ut Gliſſonius, Wiliſius, Warthonus, aliique clare oſtenderunt. Ubi igitur nimium materiæ ad ſupplendam genituram concurrit neceſſe eſt, ut nutritia ejuſdem materia auferatur in Cerebro, & ſuccus nutritius elaboretur, qui materiam univerſi corporis nutritioni præbeat convenientem, unde ejuſdem macritudo ſubſequitur.

Go-

(*e*) *Cap.* 17. *ver.* 22. (*f*) *Cap.* 15. *ver.* 13.
(*g*) *Cap.* 30. *pſalm.* 21.
(*h*) *Aph. lib.* 1. *cap.* 1. *com.* 4. *& lib.* 4. *cap.* 1. *com.* 6.
(*i*) *Lib.* 2. *præd.*
(*k*) *Lib.* 1. *cap.* 1.

Gonorrhæa, *fluxus albus Mulierum*. Non ſolum effuſio nimia genituræ, ſed ſuccus quidam genituræ analogus maciem corporis producere valet, quæ non tam viris, quam fęminis familiaris eſt. Fęminæ ſemen non generant, ut Graafius oſtendit: cum autem ſemen minime effundant fęminæ, & corporis macie corripiantur, manifeſtum eſt, non ſolum effuſionem veri ſeminis, ſed etiam ſucci cujuſdam eidem analogi tabi producendæ opportuniſſimam exiſtere. Hæc porro tabes gonorrhæa vocatur, quæ tunc exoritur, cum erofis proſtratis virorum, & glanduloſo corpore in quo ſemen, antequam perfecte elaboretur, colligitur, involuntarie excernitur, vel corroſa vagina Mulierum cum aliis ipſius glandulis continuus exit humor, qui fluor albus appellatur. Cum natura impar ſit ad ſupplendam quantitatem materiæ illius, quæ effunditur a proſtratis virorum, & corpore glanduloſo, vel ab uteri vagina, una cum fluido, quod ex vaſis uterinis, & vaginæ ſecundum naturæ ordinem excernitur oritur macies, & abſumptio totius corporis.

Magna ulcera, *lactatio nimia*, *diarrhæa*, *dyſenteria*. A ſecretionibus, quæ vel arte, vel natura, vel quocumque alio modo fiunt, ut ſunt fonticuli, ſetacea, ulcera &c. nimis perennibus & copioſis hecticam febrem, & corporis abſumtionem fieri adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. A vulneratis enim exeſiſque omnis generis vaſis, arteriis, venis, vaſis lymphaticis, nervis, fluida omnia, atque inde conſequens ſuccus nutritius emittitur. Certis enim ac conſtantibus obſervationibus compertum eſt brachium, & crus, in quo fonticulus apertus eſt, altero in quo apertus non eſt minus nutriri, ac propterea membra his infeſta macie corripi.

In lactatione nimia, in diarrhæa, aliiſque aut naturalibus, aut morboſis ſecretionibus ſuccum pariter nutritium excerni nemo dubitarit, qui animadvertat a quacumque glandula per quam craſſiores ſanguinis partes ſecernuntur, tenuiorem etiam aliquam partem ſecerni, niſi hæc vel inter ſe, vel cum aliis partibus cohæreant ſanguinis. Quoniam vero nutritius ſuccus inter fluida tenuiſſima noſtri corporis recenſendus, qui minutiſſimos quoſque meatus, ac poros pervadit, ut nerveas partes nutriat, quoniam præterea ſubtiles ejus particulæ neque inter ſe cohærent, neque cum aliis ſanguinis partibus, multæque per glandulas cerebri ſecernuntur, ac ſuccus idem nutritius tenuiſſimus eſt ſi quis alius, conſequitur, ut in ſecretionibus naturalibus una cum aliis ſanguinis partibus pars aliqua ejuſdem ſucci, aut proxima ſaltem ejuſdem materia ſecernatur. Quod ſi animadvertamus in parte ſeroſa ſanguinis non globuloſa ſuccum nutritium, aut proximam ejuſdem materiam contineri, cur non eo facile perducamur, ut reliquis mentis conatibus aliud ſuadentibus exiſtimemus, in naturalibus ſecretionibus ſerum ſecerni, & cum eo ſuccum nutritium? Neque id immerito conjectandum videtur. In ſero enim ſanguinis non multis poſt aſſumptum cibum elapſis horis, & antequam Chilus lacteorum vaſculorum oſcula rotare potuerit, Chylus exiſtit, ut albicans materia proxima ſucci nutritii: nutritio præterea omnis, & auctio partium in vaſis minimis noſtri corporis fit, & ad latera poſitis, quæque lymphaticum ſerum alendo corpori opportunum continent, ut Boerhaavius (*l*) præclare demonſtravit. Quocumque autem ex dictis modo macies, & abſumtio corporis ſubſequatur, fieri minus vix poſſe videtur, quin ſalinæ partes exaltatæ, ſuique juris factæ eam ſanguini acrimoniam concilient, quæ non ſolum cor, & arterias mordet, & irritat, ſpirituſque commovendo pulſum celerem, ac frequentem reddit, ſed pinguedinem ipſam, & carnem rodit, unde homo abſumitur.

Synochus febris ardens, *aut aliæ ejuſmodi febres male judicatæ*. Novi virum trigeſimum quartum circiter ætatis annum agentem calidioris temperamenti, naturę gracilis, & exquiſitæ, qui ardente febre correptus, ac venæ ſectione quater repe-

(*l*) *Cap.* 1. *de vir. med.*

repetita, potionibus refrigerantibus, lenientibus, aliiſque medicaminibus pertractatus ſic convaluit, ut vix quidquam timendum videretur de lenta febre, quæ ſuperfuit, quamque calor, pulſus, atque urinę parum recedentes a naturali ſtatu comitabantur. Non multo tamen poſt tempore oborto rigore circa ſpinam dorſi, & corporis, febris invaſit celeri, crebro exiguo pulſu, & calore magis urente ſtipata, quique a cibo intendebatur, & roſeo colore genas tingebat. Noctu propius ad ortum ſolis largi interdum ſudores ſuperveniebant, urinæ modo albeſcentes, modo rubræ, nunc tenues, ac lucidæ, nunc oleaginoſę, turbidæ craſſoque ſedimento refertæ comparebant: altius modo ſoluta, & patens, bilioſa, & liquida, modo ſegnis, & clauſa ægrum detinebat. Depravato ſenſim functionum vitalium, & motuum naturalium ordine, membra extenuata ſunt, vires fractę, atque ad extremam tabem properatus vir. Cum conſilium a me quæreret, & opem medicam facile eo perductus ſum, ut crederem hectica febre torqueri, ejuſque originem ardenti febri, quę præceſſit attribuendam eſſe. Cum enim ingens ſanguinis effervescentia, quam intulit febris ardens mites, lenes, oleoſaſque particulas valde conſumpſerit, ſolidaſque etiam partes diſecaverit, emerſit inde ea ſanguinis diatheſis acris, & mordax, quę hecticam febrem induxit, primo mitem quidem, quoniam particulæ ſalino acres ab aquearum copia retuſæ minore vi atque impetu ad agendum movebantur, trucem deinceps, & magis infeſtam ſucceſſu temporis, quoniam uliginoſis, aqueiſque partibus conſumptis ſaliniſque exaltatis ad eum acrimonię gradum ſanguis pervenit, ad eam fuſionem, ſolutionemque, ut non ſolum crebriore facto Cordis motu, commotiſque ſpiritibus animalibus febris ſucceſſerit, ſed nutritio ipſa, ac cæterę vitæ functiones oleoſo, pingui, & nutritio ſucco, qui alendis partibus impendi debebat per ſudoris, urinæ, & alvi vias abducto everſa fuerit, penituſque labefactata.

IV. *Primum hecticæ febris gradum calor comitatur vix ægris moleſtus &c.* Dignoſcitur febris hectica clarius in progreſſibus, quam inter initia. Primus enim gradus mitiſſimus cum ſit, atque acres mordaceſque ſales dominentur, non ſulphureæ partes, ne ęgris quidem moleſtus eſt. Hi porro ſales ab arteriarum ictibus majorem in motum acti efficiunt, ut non ſolum acris percipiatur, & mordax, ſed ad ipſas arterias magis quam ad reliquas partes. Nam cum ſanguis arterioſus ſit admodum acer, ſpirituum vero copia manca ſit, calorem ad eaſdem evaporatum acrem eſſe, & mordacem neceſſe eſt, deficiente autem debito ſpirituum influxu in Cordis fibras, atque inde conſequens langueſcente ipſius motu in reliquas partes corporis, ad has vix percipi.

Quique una cum pulſu increſcit a ſumpto cibo. Cur calor a ſumpto cibo increſcat ſimilitudine calcis vivæ eleganter a Galeno, & Alexandro Tralliano explicatur, candentium ferramentorum aquis frigidis demerſorum, vel aquę frigidæ prunis ardentibus inſperſæ a Bellino. Cum enim in calce adſint particulæ igneę, quotieſcumque aqua calci affunditur, aqua ipſa in poros, ac receptacula calcis ſeſe inſinuat, altiuſque penetrat, igneas particulas exſolvit, caloremque excitat. Ita Galenus, & Trallianus. Candentia ferramenta, frigidis aquis demerſa eaſdem in fervorem concitant, vel aqua frigida prunis ardentibus inſperſa fervorem concipit, ita chylum ab aſſumpto cibo genitum in fervidum ſanguinem derivatum quaquaverſum per minimas ſui particulas agi, ſolvi, ac libertatem acquirere totum incluſum igne putat Bellinus. Quorum quidem ſententia nihil adhuc magnificentius dictum. Ubi enim ſanguini infunditur, cum acer ſit ſanguis, Chylum ulterius ſolvi contingit, & igneas, ſulphureaſque partes, a quibus calor excitatur, exſolvi. Adde ſis Chylo ſoluto vi inſigni ſpirituoſas, volatileſque particulas exaltari, atque in univerſam ſanguinis maſſam diffuſas cor in crebriores, vehementioreſque contractiones agere, ſanguinem plus æquo exagitare,

tare,

tare, caloremque progignere tamdiu duraturum, quamdiu totus Chylus in ſanguinem derivatus fuerit totus ſolutus, ac totus calor evaporatus.

Abſque ullo horrore, frigore &c. Ex doctrina allata in generali febrium tractatione conſtat, crebriorem cordis contractionem conjunctam cum ſanguine aut naturaliter fluido, aut fluidiore naturali gignere perpetuum calorem, non frigus. Quibus ſic conſtitutis non arduum futurum remur, quoad rem noſtram potiſſimum facit conjicere calorem, qui ſine horrore, frigore, aliove ſigno infeſtantis paroxyſmi invadit, non aliunde quam a ſalibus acrem ſanguinis intemperiem promoventibus, eumque fundentibus, ac colliquantibus repetendum eſſe. Cum enim huic intemperiei nihil viſcidi opponatur ad arteriarum fines hærentis febris initio, quod ſubitam ſolutionem caloris impediat, ideo nullus ſuccedit horror, cum quo ſolent nonnullæ febres incipere.

Cum cæteroquin parvus ſit, moderate celer, & frequens. Uti calor cibi additione augetur, ita pulſum majorem, velocioremque, majore concitato ſanguinis fervore, ſpirituumque animalium in cordis villos influxu fieri neceſſe eſt, tamdiu duraturum, quamdiu eadem perſeverent. Peccat enim in eo ſanguis, ut & paucus plerunque ſit, ſubtilioribuſque partibus refertus, & ſolutus. A pauca ſanguinis quantitate nemo ignorat paucam ſpirituum copiam ſecerni, qui tamen tenuiorum particularum copia referti liberi fiunt, & ad motum expediti. Accedente hinc ſanguinis fuſione, ac colliquatione parvum, celerem, ac frequentem pulſum eſſe oportere adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla.

Urinæque fere ſanorum ſimiles appareant. Colorem naturalem urinarum a congrua mixtione liquoris, & contentorum, ſeu aquæ, & ſalinarum, ſulphurearum, terreſtrium, aliarumque partium provenire tradit fere præclariſſimus Bellinus. Sumptum hinc ab eodem aſſerendi argumentum etiam in ſtatu non naturali Animalium dari urinam naturali colore ſimilem, quoties detur earum partium permixtio parum a naturali recedens. Idque in hecticis febribus evenire certo certius habendum. Quamvis enim plurimum liquoris deeſſe debere in ea febre, quam corporis extenuatio, & omnis ejus humiditatis abſumptio claram facit, atque inde conſequens colore magis ſaturata urina reddi videatur, acri tamen peccante, ac corroſiva ſanguinis intemperie, a qua febris hectica proficiſcitur, quidni liceat conjicere plurimum humiditatis abripi a ſolidis partibus, quæ in dies ſingulos exſiccantur, atque aduruntur, atque aliquam ejus portionem ita cum ſolidis urinæ partibus admiſceri, *ut per eam oriatur quædam utrarumque mixtio, atque temperies, quæ ſit ſimilis temperiei urinarum naturalium*, unde urinæ fere ſanorum ſimiles exoriuntur, ut Bellinus opinatus eſt.

V. *Hæ ſi temporis ſucceſſu oleaginoſæ mingantur, diverſicolores &c.* Ne id æque liceat affirmare de urinis, quæ in ſecundo hecticæ febris gradu comparere ſolent, quæque oleaginoſæ evadunt, tales ſcilicet, ut ipſis ſupernatare videatur pinguedo tenuis, ac late extenſa, qualis aranearum tela, facit potiſſimum ea ratio, quod ingraveſcente hectica, atque ad ſecundum gradum perventa, ita acris, & corroſivus fit ſanguis, ut non ſolum chyloſas partes ſolvere valeat, plurimumque humiditatis a ſolidis partibus abripere, ſed quidquid butyroſum eſt vereque oleoſum, *vel ſaltem levius urina, ſed partium cohærentium, qualium pinguedo, quæ nobis imponere poſſunt ſpecie pinguedinis, licet pinguedo non ſint.* Ita laudatus vir.

Vires magis frangantur, corpus extenuetur &c. Ab hoc eodem fonte virium debilitas, corporis extenuatio eſt repetenda. Fuſo enim, liquatoque ſanguine, fieri minus poteſt, quin tenues, ejus particulæ, & ad avolandum ſummopere accommodatæ ab aliarum nexu ſecedentes facile perſpirent, atque diffIentur, eaque ſanguinis, atque inde conſequens ſpirituum animalium, ac ſucci nutritii penuria

nuria contingat, qua partes debito utrorumque influxu deſtitutæ flaceſcant, collabantur, exſiccentur, unde virium defectus, ac nutritionis.

VI. *Si tabes extremaque macies totius corporis &c.* Tabes extremaque macies, quæ hectica febre laborantibus ſolet contingere, ab ea quæ abſque febre in decrepita ætate ſolet accidere, extincto, ut ajebant Veteres, nativo calore, quod nihil aliud eſſe videtur, quam mors, quæ ſine doloris ſenſu, ac ſecundum naturam ex ſiccitate contingit, probe eſt diſcernenda. Licet enim inter ſe plurimum convenire videantur, in eo tamen differunt, quod in Senibus fibræ corporis ob rigiditatem obſtructæ ſunt, atque propterea alimento ſuſcipiendo ineptæ, in hecticis vero quod ſanguis uliginoſis aqueiſque particulis comſumptis, ſaliniſque majorem in modum exaltatis ita acris & mordax evadit, ut oleoſum pinguem, ac nutritium ſuccum, qui alendis partibus impendi debebat, quin iiſdem congrue apponatur, omnem penitus abripiat, atque abſumat, eoque per ſudoris, urinæ, atque alvi vias abducto, ſudoribus, urinis colliquativis, diarrhæis, aliiſque enormibus evacuationibus occaſionem præbeat.

VII. *Altiores hoſce gradus ubi attigerit febris hectica non eſt amplius ejus naturæ ut &c.* Galeni, & Alexandri Tralliani prognoſticum eſt, febrem hancce inter initia difficilius dignoſci, facilius tamen curari. Ubi inſidias prodens clarius innoteſcit, difficilem, aut nullam curationem admittere, immo corporis contabeſcentia invaleſcente, ac ſudoribus colliquativis, diarrhæa, ac capillorum defluvvio, quæ altiores hecticæ febris gradus conſtituunt, citiſſime ægros ad interitum ducere. Nec vim animis addat juvenilis ætas quæ interdum ſola profligandis morbis opportuniſſima exiſtit. Cum enim ab anno decimo octavo ad quintum uſque & trigeſimum in hecticam procliviores eſſe ſoleant, ut ſupra adnotavimus cum Hippocrate, id ipſum, quod febri fomitem præbet, efficere valet, ut difficilius evadat.

VIII. *Nihilominus tamen niſi æger valde debilis ſit, & imbecillis &c. aquam Nocerianam &c.* Quicumque ſit, qui hectica febre corripitur, ei quam primum, & maturo auxilio, quod profuturum videatur opitulari oportet, neque tempus terendum, ut ait Aretæus in victu tenui, & quiete. Cito enim bona occaſio præterfugit, & gradus ultimos febris aſſequitur. Nonne enim ſi minus revocandæ ſanitatis ſpes adeſt, vitæ ſaltem in longius producendæ adeſſe poteſt? Ea hinc remedia ſunt adhibenda, quæ acrimoniam ſanguinis, & humorum infringere valent, caloremque febrilem comprimere, inter quæ refrigerantia, & humectantia eminent. Ejuſmodi ſunt aquea omnia, aqua noceræ, aqua ſimplex vel ſtillata ex vegetabilibus, quæ inſipida ſunt, & ſucci plena, ut aqua lactucæ, portulaccæ, malvar. violar. & aliæ ſimiles, quæ larga manu hauſtæ hectica febre laborantibus prodeſſe conſueverunt, dummodo abſumpti non ſint, debiles, & imbecilles, & obſtructionibus minime laborent. Cum enim a refrigerantibus, & humectantibus calor abripiatur, maraſmo ſenum via facile ſternitur, cum deinceps obſtructiones contumaciores fiant, pertinacioreſque, minui febrem hecticam contingit, at putridam arceſci, ut a præſtantiſſimo Tralliano demonſtratum eſt (*n*).

IX. *Ex lactuc. portulac. endiv. &c. matr. perl. pp. ocul. cancr. pp. &c.* Præter refrigerantia, & humectantia alchalica terrea, quæque aciditatem conjunctam habent adhiberi paſſim ſolent a practicis. Illa enim ſales acres imbibendo, hæc obtundendo, & ſtipticitate ſua alvum plerunque ſolutam ſiſtendo valde prodeſſe communiter reputantur. Huc ſpectant abſorbentia omnia dicta, ut Concharum omnia fere genera, matr. perlar., oſtr., lapid. cancr., percar., teſtæ ovor. calcinatæ, cor. Cer. uſtum, corral., terræ omnes bolares, ſigillatæ, armena, & ejuſmodi. Huc acida naturalia, ſucci ribium, berberum, ceraſor. acidorum, gra-

(*n*) *Lib.* 12. *cap.* 4.

granator., cytoniorum, ex quibus ſyrupi parantur, tincturæ, gelatinæ: Huc aceta omnia vegetabilium, ſpiritus vitrioli, nitri, ſalis marini &c. Quibus alii addunt auſtera, quæ præter occultam aciditatem terreſtres partes admixtas habent, & ſanguinis maſſam denſiorem efficiunt. Ejuſmodi ſunt radices biſtortæ, tormentillæ, fructus myrtil. cortex Chin. granatorum, & alia hujus cenſus. Verum ut in refrigerantium, & humectantium adminiſtratione cavendum eſt, ne dum in vitio corrigendo ſtudemus in aliud, & quidem deterius incidamus, ita abſorbentibus acidis, & adſtringentibus moderate utendum, ne dum texturam humorum denſare volumus, atque conſtringere acres, impuraſque eorum particulas in ſanguine implicando, ac retinendo eroſiones, ad quas adeo pronus eſt morbus, magno ægrorum damno promoveamus. Itaque ſalubre conſilium cenſemus, ut quam fieri maxime poteſt acrium hujuſmodi, fuſorumque humorum per mitiſſimos pulveres abſorbentes, quales ſunt oculi cancrorum, aut matr. perlar. ex decoctione herbarum inſipidarum correctionem moliamur, vel ex emulſione amygdal. & ſem. quat. frigid. addito ad gratum ſaporem leni aliquo ſyrupo: quæ omnia aliquoties ſumpta plus præſtant, quam cætera remedia, quatenus non ſolum nimis fluxiles humores incraſſant, ſed etiam ſolidas partes ea ratione afficiunt, qua opus eſt ad ſtagnationes in iis, corrugationes, corroſioneſve præcavendas. An ſaturninis, jovialibus, antimoniatis, quæ chymicæ artis ſtudioſi vocant præſidiis, hectici caloris curam attribuamus? Haud ignoro quanti faciant nonnulli celebre illud antihecticum Poterii, quod ea ſtamno, nitro, & antimonio conficitur, præclaro ducti teſtimonio Muralti (*o*) ſcribentis: *diaphoreticum joviale ſive antihecticum Poterii ad demulcendam acritudinem humorum, matricem, & nervos irritantium, mirum quantum valet*. Idem *uterum etiam corroborat, ſæpe ex ematiatis, & debilibus quadratos, & robuſtos facit*. Verum cum alibi demonſtratum ſit (*p*) ei tantum tribuendum, quantum calci cuidam abſorbendi vi præditæ, ejus tamen abſtruſa, vel ardua præparatio ſit, minus tutum ejus uſum crediderim, ſi cum aliis ſimplicioribus ſupra recenſitis comparetur, a quibus recedere caput artis non eſt, & prudentiæ medicæ.

X. *His quoque ineunte Vere Serum lactis ſtillatum &c.* Præter refrigerantia abſorbentia & moderate acida ad acres & colliquativas particulas obtundendas, & corpus reficiendum, incraſſantia, & demulcentia viſa ſunt convenire. Ejuſmodi ſunt raſuræ oſſium nonnullorum Animalium Cor. Cer., Ebor., carnes multæ, ſuillæ, ovillæ, vitulinæ, Animalia cruſtacea dicta, ut conchæ, oſtreæ, præcipue vero cancri fluviatiles, ranæ, quæ omnia apte mixta cum ſuccis herbarum refrigerantium, & lacte Caprino ſi deſtillentur, ſerum dabunt prædictis abſolvendis indicationibus opportuniſſimum ſi quod aliud: eo magis ſi iis exhibeatur, ut ſupra monitum eſt, qui in ultimo gradu non ſunt conſtituti, & quibus ſtomachus firmus eſt, atque robuſtus, quique gelatinoſa, & viſcida terere poſſit. Quo loco quæſtio occurrit, exiſtimantibus nonnullis hectica febre laborantes ob inſigne ſpirituum diſpendium, quo eorum vires languent ſummopere, ac collabuntur, ſtomachum infirmum habere, & viſcidis, lentis, glutinoſiſque alimentis ſolvendis ineptum. Qua in re fateor mihi minus placere ad hecticæ febris cauſas altius, ac ſubtilius attendenti, in acrium ac corrodentium humorum ſpiculis fere ſitas, quique a glandulis ſalivalibus ſecreti, & in ventriculi cavitatem ſepoſiti nerveas ſtomachi membranas vellicando, mordendo, adſtringendo, alimentis craſſis, glutinoſiſque attenuandis, ac reſolvendis aptiſſimum organum conſtituunt. Præterquamquod illud etiam animadverti vehementer velim, quod ingenioſe tradit Proſper Martianus (*q*) quærens, quomodo dari poſſit cibus, qui facile teratur a Sto-

(*o*) *M. N. C. Dec.* 2. *an.* 1. *obſ.* 109.
(*p*) *Aph. lib.* 2. *cap.* 4. (*q*) *Lib. de veter. med. n.* 25.

Stomacho, & ſolidum præbeat corpori alimentum adverſus Hippocratis doctrinam dicentis (*q*): *Eorum, quæ facile, & celeriter teruntur, facilis excretio eſt*. Ea enim eſſe præclare oſtendit, quæ ſolidas habent partes, nexus tamen eorum debilis eſt. Ejuſmodi ſunt carnes multorum Animalium ſupra recenſitæ, & farinoſa, ex quibus aut gelatinæ fiunt, aut phercula, inter quæ illud Saxoniæ eminet, quod ex farina hordei, & radice Chinæ componitur, addito pauxillo ſacchari, aliaque id genus, quorum pulcherrima laus eſt facile teri a ſtomacho, alimentum tamen ſolidum, & firmum præbere.

X. *Auxiliis tamen omnibus Lac palmam præripit, Muliebre quidem, aut aſininum &c.* Scire convenit præter lac vix aliud haberi, quod pari efficacia, & lenitudine corpus refrigeret, ſales acres, & mordaces ſeroſa ſui parte temperet, ſolidas partes a corrodentis principii corroſionibus butyra vindicet, ſiccata, & abſumta membra caſeoſa repleat, humidoque rore reficiat. Inter cętera excellere lactis uſum monuit ipſe Hippocrates dicens (*r*) *Convenit lac exhibere tabeſcentibus non multum febrientibus, & in febribus longis, & debilibus, & præter rationem conſumptis*, ut Galeni, Aretæi, Celſi, Ballonii, Cardani, Martiani, Vvepferi, aliorumque Veterum tum Recentiorum Medicorum monitum præterea, quod ex alibi a nobis dictis (*s*) idem plane fuiſſe conſtat. Non quomodocumque tamen accipiendum, ſed rectis adhibitis cautionibus, quarum meminit idem Hippocrates nominatim negans lac dare *multum febrientibus*, quia corrumpitur in magna febre, & quaſi in virus convertitur. Atque ob hanc fere cauſam hypochondriacis, & gravi Cephalalgia detentis, nec non iis univerſe, qui ſtomachi vitio & imbecillitate laborant, nocuum cenſetur. Nec quodcumque lac hectica febre laborantibus in quocumque ſtadio eſt exhibendum, ſed varium, pro ipſius, & virium varietate. Muliebre quidem aut aſininum copioſiore ſero prǣditum, & concretioni minus obnoxium docente Ariſtotele, (*t*) & Galeno (*u*), tenue propterea, & fluxile, ut ait Aretæus, iis qui in ultimo ſtadio ſunt conſtituti, quique valde debiles ſunt, & fere conſumpti, commode exhibetur: Caprillum cum plus ſubſtantiæ nutrientis obtineat, iis quorum ſtomachus firmior eſt: Vaccinum demum cum efficacius adhuc nutriat, ventriculum minus robuſtum gravius exoneret, & facile in caſeum concreſcat, iis, qui ſtomaco egregie valent.

Iiſdem ad amuſſim ſervatis cautelis, quæ alibi &c. Varius fuit lac exhibendi modus. Iis qui ſtomachi vitio, & imbecillitate laborabant, quibuſque in Meſenterio crudi, impurique humores reperiebantur, nonniſi his prius expurgatis, lac concedebant, & lenis quidem purgationis inſtituendæ gratia lac aſininum coctum commendavit Hippocrates. Cum enim ſit cęteris tenuius, & valde deterſivum coctione magis laxativum effici reputatur. Aſinino deficiente Vaccinum accipi ſolet, idque ut alvum ſubducat ad lib. i. potari conſulunt admixta Manna, aut Sacchari roſati uncia primis diebus, deinde quotidie ad ſemilibram cum ſaccharo, & ſi ſtomachus ferat ad libram integram per plures dies. Quo autem ferri poſſit abſque moleſtia origanum ei admiſcebat Hippocrates, Galenus vero candentes in eo ſilices, aut ignitum calybem immergebat, & coquebat. Placet noſtris temporibus æquas lactis partes ſumi; & decoctionis Theè veronicæ, hederæ terreſtris, tuſſilaginis, & ſimul confundi cum pauco ſaccharo, præſertim ubi opus eſt majore viſceris alicujus abſterſione. Verum ubi ſola humorum dyſcraſia in vitio eſt, quemadmodum in hectica contingit, non abs re crediderim fortu-

O 2 nam

(*q*) 2. *aph.* 28.
(*r*) *Aph.* 64. *ſe.* 5. (*s*) *Aph. lib.* 2. *cap.* 3. *com.* 20.
(*t*) *Lib.* 3. *hiſt. anim. cap.* 26.
(*u*) *De ſimplic. facult. & lib.* 6. *de ſan. tuen.*

nam melioris auxilii in lacte ſimplici experiri, iiſdem prorſus ſervatis conditionibus, quarum citato loco meminimus, eumque tandiu porrigere, quandiu videatur expedire, aut ad priſtinum halitum æger revertatur.

XI. *Nec infimum obtinet locum aer moderate frigidus & humidus &c.* Si alibi unquam, hic diætæ potius, quam remediis ſtudendum. Curationem enim verbo complexus Hippocrates (*x*): *Verum ſtudium*, inquit, *quam maxime adhibere oportet*, *ac reficere*. Quo pacto admonuit, invicto quodam, & diuturuo reficiendi in primis per congruum cibum corporis ſtudio, hecticam curari oportere. Cibi jam ſupra meminimus. Reliquum eſt, ut de aeris, domicilii, cælique mutatione, & corporis exercitatione dicamus, quibus ad reficiendum nihil efficacius eſſe inveniri Medentibus datum eſt, aut pro ægrorum opportunitate valentius. Temperatiſſimus vero aer eligi debet, atque puriſſimus, aut ſi talis haberi nequit, quantum fieri tamen poteſt ad frigidum, & humidum inclinet. Galenus (*z*) Riverio referente æſtatis tempore aere exiſtente calidiore ægrum degere præcipit in loco ſubterraneo, qui frigidiſſimus ſit, & maxime prolatus, & ad ſeptemtrionem vergens, quo ſolo remedio teſtatur idem Riverius ſe ægrum extrema macie confectum intra Menſem reſtitutum vidiſſe. Verum cum cohibita tranſpiratione, aut frigidioris aeris in pulmones illapſu timere fas ſit ſubjectum aliquod, & præceps periculum, moderatum in dictis qualitatibus ſeligendum traderem. Navigatio etiam ab Antiquis atque migratio in alia loca, cum ad pleroſque morbos, tum ad hecticam febrem profligandam opportuniſſimam exiſtere haud dubie affirmarunt. Ita Hippocrates (*a*): *Commodum eſt*, inquit, *in morbis longis ſolum mutare*: ut Avicennæ, Celſi, Senecæ, aliorumque monita prætercam, quæ eamdem ſententiam confirmant, ut in ejuſce argumenti diſquiſitione curioſis ea recolentibus, quæ alibi dicta ſunt (*b*) apparere facile poteſt. Et ſane exempla non deſunt eorum, qui cum aliter non potuiſſent, geſtatione, inceſſu, navigatione, itineribus lectica, rheda, cymba, equo ſuſceptis perfectiſſime convalverunt. Incredibile enim eſt quam bene his veluti cribratoriis motibus philtrati a pravis, & incongruis ſordibus eodem conſpurcantibus expurgentur humores, quam apte aeris, cæli, locorumque ſalubritate, corporiſque exercitatione, quam præcepit Hippocrates (*c*) docens: *Si quis tabidus fuerit per triginta dies ad ligna ſecanda ablegetur*, *& ſummis humeris levetur*, *& interdum deambulet*, *& veſpere redormiat:* reſoluta membra vigorentur, vires augeantur, contumax materia diſcutiatur, pars vero, in quam morbifici ſucci onus incubuit, ad priſtinum robur reſtituatur. Quæ cum de quocumque motus ſpecie poſſint affirmari, maximopere poſſe de equitatione, aut vectura in curru, celeberrimi viri Sydenhamius, & Mortonus teſtati ſunt. Equitatione quidem certius, atque efficacius hecticas febres debellari, quam Mercurio luem veneream, aut febres intermittentes cortice Peruviano aſſerere non dubitavit Sydenhamius. Nullum magis conveniens eſſe remedium, quam quotidianam ad moderatos uſque ſudores protracta equitatione in febribus lentis, hecticis &c. præclare oſtendit Mortonus.

XII. *Ubi hæc nihil efficiant viribus ſervandis ſtudendum vino fragranti*, *& ſuavi*. *&c.* Ubi recenſitis auxiliis optato fine potiri minime valeamus in anguſto res erit, in eoque fere verſabitur agendi ratio, ut vires ſerventur, & ſymptomata, quæ in mortis diſcrimine ægrotantem conſtituunt nonnihil leventur, quod nulla meliori ratione obtineri poſſe, quam remediis indicatis etiam me tacente facile omnes intelligunt. Si enim de moderato vini uſu ſermo ſit, ſpiritu ſulphureo

(*x*) *Lib. de inter. affect.* (*z*) *co. meth. 9.*
(*a*) *Lib. 4. Epid. ſect. 5. t. 19.*
(*b*) *Aph. lib. 2. cap. 3. com. 19.*
(*c*) *Lib. de inter. affect.*

reo volatili, quo ſcatet ſpiritus mirum in modum recreari contingit, aciditate vero volatili Stomachi fermentum roborari reſtaurarique, hinc egregie Syracides (*d*) *Tamquam vita eſt vinum, ſi moderate illud biberis*. Et Eccleſiaſticus (*e*) *Exultationem Cordis, lætitiamque animi afficit vinum potum tempeſtive:* & alibi (*f*) *Vinum & Muſica lætitiam afferunt cordi*. Et Salomon (*g*) *Date potum inebriantem perituro, & vinum amaris animo. Bibat ut obliviſcatur paupertatis ſuæ, & moleſtiæ non ſit memor amplius*. Ex quibus fere conſtat cardiacum eſſe præſtantiſſimum ſi quod aliud. Et ſane cum motus omnis, in quibus vita conſiſtit, & a quibus vitale robur æſtimatur a corde tamquam a præcipua cauſa originem habeat, hinc remedia, quæ motus iſtos alacriores efficiunt, Cordi peculiariter dicata creduntur. Ejuſmodi ſunt, quæ ſubtiliſſimas habent partes, quæ grati odoris fragrantia inſigniuntur, quæque aut deficientem Spirituum copiam generant, aut langueſcentem eorum motum adaugent, eoſque momento fere temporis erigunt, & recreant. Vinum fragrans, & ſuave, meliſſa, pulveres ſantalorum, macis, camphoræ vel extrinſecus admota hiſce viribus donari manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari.

XIII. *Alvi fluxui egregie occurret decoctio theiformis radic. tormentil. biſtortæ &c.* Ad vitales motus non ſolum debita ſanguinis & ſpirituum conſtitutio, debituſque affluxus ad fibras motrices requiritur, ſed etiam fibrarum congruens vis elaſtica, qua propriæ diſtractioni ſatis renitantur. Cardiaca igitur non ſolum erunt illa, quæ debitam ſanguini conſtitutionem conciliant, eum moderate figendo, denſandoque ſi ejus compages nimis laxa ſit, & ſoluta, ut impar evadat fibris motricibus roborandis, vel eum fundendo, attenuando, rarefaciendo, ſi ex adverſo nimis ſit arcta, & compacta, aut illa quæ ſpirituum tarditati, aut inopiæ occurrunt, eorum copiam generando, aut languidum motum excitando, ſed etiam quæ flaceſcentium fibrarum vim elaſticam reſtituunt, & augent. Ejuſmodi ſunt quæ moderate adſtringente vi donantur: inter quæ tormentilla, biſtorta, conſolida major, ſeu ſymphytum, cytonia, cor. cer. uſt. bol. armen. hordeum torrefactum, & ſimilia, quorum etiam pulcherrima laus eſt ſanguinis æſtum compeſcere, nimiamque diſſolutionem coercere, acreſque ejus ſales retundere, atque irretire, unde in alvi fluxu hectica febre laborantium eximius uſus.

XIV. *Si tormina infra umbelicum urgeant clyſteres ex lacte, aut decocto pingui &c.* Nemo ignorat craſſa inteſtina clyſteres abluere, ipſiſque applicari viribus ſuis integris permanentibus. Horum igitur operationem primario in craſſa inteſtina exerceri manifeſta res eſt. Torminibus hinc infra umbelicum craſſa inteſtina exercentibus egregie opitulantur. Demulcens autem, pinguis, & balſamica ſit oportet eorum materies. Cum enim acrium, atque erodentium particularum ſpicula nerveas inteſtinorum fibras pungendo, lacerando, abradendo morbo impetum dent, nemo non videt ea in uſum auxilia eſſe vocanda, quæ retundere eorum vim valent. Talia ſunt lac, & decocta pinguia chalybeata, pedum vituli, vervecis, ſævum hircinum aliaque recenſita.

Balnea præſtantiſſimum eſſe auxilium ad hecticam febrem profligandam cum Veteres, tum Recentiorum plerique exiſtimarunt. Atque in eorumdem adminiſtratione Veterum potiſſimum ſtudium, ac diligentia enituit.

In quatuor enim cęlas eadem dividebant. Prima cęla vocabatur calidarium, quod nil erat, quam cęla in qua aer calidus concludebatur: ſecunda labrum, in quo aqua continebatur calida, qua homines lavabantur; tertia frigidarium, in qua aqua reperiebatur frigida adhibenda, poſtquam in labro fuerant: quarta demum tepidarium, in quo fricabantur, & ſudabant. Galenus poſtquam in calidario

(*d*) *Cap.* 3. *ver.* 30. (*e*) *cap.* 31. *v.* 32.
(*f*) *cap.* 40. *ver.* 20. (*g*) *Cap.* 30. *ver.* 6. 7.

dario fuerant ægri, per aliquod tempus in labro immergi ſuadebat, ibique parumper manere: deinde in frigidario poni, poſtea eorum corpus inungi, & lecto collocari. Aqua, quam adhibebant temperate calidam, mox tepidam, erat vel ex aquis dulcibus, vel ex decocto altheæ, malvar. violar. & ſimilium, & nonnulli inter quos Ægyptii, & Arabes ex lacte aſinino, & camelino, vel equino, ut ſcribit Alpinus. Tepidas inunctiones ex oleis emolientibus parabant. Noſtri tamen calidarium rejiciunt, voluntque ægros in aqua tepida per aliquod tempus relinqui, deinde ſuperfundunt aquam frigidam, demum ungunt, & in lecto reponunt. Si quis forte miretur balneorum nos in curatione ne meminiſſe quidem, ſciat ille non inconſulto id effeciſſe. Ad ſuſpicandum enim vehementer adducti ſumus, ne laxatis balneorum, & oleorum emollientium uſu motricium fibrarum nexibus vires frangantur, ut altioribus gradibus ferendis impares evadant, etiamſi non longe ab initiis adhibeantur, cum fractis jam ægri viribus, & in morbi progreſſu, nullus iis eſſe locus poſſit, niſi velimus in mortis diſcrimine prope certiſſimo eumdem conſtitui, aut experimentum per mortem agi. De Induſtria etiam catharſim, & phlebotomiam præterivimus ſilentio. Licet enim a cachochymia interdum illa deſideretur, hæc ab ardentiore febre: utramque tamen in ſecundis, & tertiis gradibus virium languor, & quotidie magis increſcens macies, & conſumptio corporis prohibere videtur. Quapropter ſaluberrimum illorum conſilium cenſemus qui ad alvum adſtrictam laxandam Clyſtere ex jure hordeaceo, butyro, vitellis ovorum, ſacchari adjectione præcipiunt, aut ad febrilem æſtum compeſcendum refrigerantia toties inculcata conſulunt, quæ ſimul renutriendi facultate inſigniuntur, eaque prudenter eligunt, quæ magiſtra rerum natura, & experientia pro his vel illis claſſibus opportuna, aut ſaltem innocua oſtendit.

C A P U T V.

De Febribus intermittentibus in genere.

I. SI quis laſſitudine dolorifica corporis, ac frigore corripiatur, horrore, rigore cum refrigeratione extremorum, & pallore, oſcitatione pandiculatione, reſpiratione anheloſa, nauſea, vomitu, pulſu celeri, parvo, debili, depreſſo, urina cruda, & tenui, quibus calor ſuccedat, rubor venarum turgentia, reſpiratio valida, magna, & liberior, pulſus magnus, robuſtus, ſitis intenſa, magnus item artuum, dorſi, aut lumborum, & capitis dolor, urina valde rubra, & craſſa, quę omnia paulatim miteſcant, ſuccedente ut plurimum ſudore urina craſſiori cum ſedimento lapidi contuſo ſimili, ſomno placido, apyrexia, relictaque laſſitudine, & debilitate univerſali, eum intermittente febre laborare judicandum.

II. Quotidiana quidem ſimplici ſi ſingulis diebus eadem recurrant, tertiana ſi alternis, quartana ſi quarto quoque die.

III. Eamque firmam & ſtabilem dices, ſi eodem puncto temporis renovetur, inſtabilem ſed ordinatam, ſi certam habeat anticipationem cunctationemque, inſtabilem, inordinatam, & vagam, ſi modo celerius, modo tardius revertatur.

IV.

IV. Cujuſcumque naturæ ſint ſimplices febres videris eaſdem vel cum iiſdem affectionibus conſtanter recurrere, vomitu puta, cardialgia, hemicrania, vel cum diverſis, modo vomitu, modo cardialgia, modo alia.

V. Videris etiam compoſitas quaſdam ex ſimplicibus firmis, & ſtabilibus eadem hora renovari, ac ſimplices componentes. Sic tertianæ duplicis inſultus primæ diei reſpondere inſultibus tertię, inſultus ſecundæ recurſibus quartæ, & ſic deinceps.

VI. Compoſitas ex ſimplicibus inſtabilibus, ſed ordinatis eamdem anticipationem, cunctationemve habere, quam paroxyſmi componentium facile deprehendes, ſive omnes celerius reccurrendo, ſive omnes ſerius, ſive alter celerius, alter ſerius.

VII. Alterutrę ſint febres compoſitæ ſive ex firmis & ſtabilibus, ſive inſtabilibus ſed ordinatis, vel inſtabilibus inordinatis, & vagis cum iiſdem affectionibus recurrere invenies, ac paroxyſmi ſimplicium, ex quibus componuntur, ita ut ſi tertiana duplex prima die apprehendat cum cardialgia, ſecunda cum hemicrania, tertia item cum cardialgia, quarta cum hemicrania revertatur.

VIII. Mirabilium phænomenorum cauſas ſi quæras, eas ad lentum fomitem certis temporum intervallis ad cappillares arterias cumulatum, qui ab aucta contractione cordis, & arteriam reſolvitur, & certo ſtatoque tempore reficitur, ac renovatur aptiſſime retuleris.

IX. Refici autem contingit ob peculiare aliquod ſolidarum partium vitium intermittentium febrium focum, ac ſedem, quo fit, ut fermentum lentorificum intra vaſa ſanguifera retineatur, vel ultra eadem in glandulis conglobatis in ambitu corporis, & ejus viſceribus locetur, unde lymphatica originem ducunt, vel novum a ventriculo, inteſtinis, glandulis & ductibus meſentericis, hepate pancreate aliiſque imi ventris viſceribus ingeratur, vel ſanguini ingeneretur, atque eumdem ea ratione afficiat, qua aut ſingulis diebus, aut alternis, aut quarta quaque die ad capillares arterias cumulari cogatur novo febris paroxyſmo impetum duturus.

X. Eodem quidem puncto temporis, quo prior invaſit, ſi vitium idem remaneat, eademque ſervetur vis, magnitudo, numerus contractionum cordis, & arteriarum.

XI. Si vitium ob erratum aliquod in ſex rerum non naturalium uſu augeatur, puta ab ęre parum gravi, & elaſtico, a cibo aut nimia copia ingeſto, aut minus ęgrotantis conſtitutioni accommodato, a potu vini copioſo, a ſomno initio prioris acceſſionis permiſſo, a motu celeri, vehementique ſanguinis, ab ira, dolore inſigni alicujus partis excitato, dummodo congeſtio fermenti lentorifici non præpediatur, aut coaleſcens jam plane ſolvatur celerius. Serius e contra contrariis de cauſis.

XII. Si his addatur firmum, & ſtabile vitium, aut totius ventriculi, aut ſiniſtri ejus orificii, cardia dicti, aut membranarum cerebri, aut a-

liarum partium, cum vomitu, cardialgia, hemicrania conſtanter recurret.

XIII. Si duplex ſit focus, ac ſedes lenti fomitis, cum accenſa febre, ſolutoque ſanguine, utriuſque arteriȩ validius, & celerius contrahantur, quam cæterȩ, & difficilius ad naturalem rythmum redigantur, & in capillaribus unius arteriis ſanguis prius conſiſtat ea ratione, qua opus eſt ad febrilem paroxyſmum excitandum, quam in alterius, finito primo paroxyſmo non in capillaribus prioris foci conſiſtet, ſed in capillaribus alterius, & ita alternatim: ac propterea vitio ſolidorum, fluidorumque neque aucto, neque diminuto in eadem febre, eademque permanente vi, magnitudine, ac numero contractionum cordis, & arteriarum inter duos quoſque paroxyſmos, tertius paroxyſmus eadem hora incipiet, ac primus, quartus ac ſecundus.

XIV. Si augeatur ſolidorum, fluidorumque vitium, compoſitȩ febris paroxyſmi omnes celerius recurrent, tardius e contra, ſi contrarium ſuccedat.

XV. Si eodem remanente vitio fluidorum, unius foci vitium magis, quam alterius augeatur, alter paroxyſmus celerius redibit, ſerius alter.

XVI. Si primus paroxyſmus cum cardialgia invadat, ſecundus cum hemicrania, ventriculi vaſis prima die validius, ac celerius ſe contrahentibus, & difficilius quam cætera ad naturalem contractionem redeuntibus, lentus fomes in capillaribus cerebri, aut meningum ſecunda die hærebit, & cardialgiam tertia tantum, non ſecunda excitabit: ſecunda die dictis cerebri & meningum vaſis, pari modo contractis, & in ſua contractione diu permanentibus, lentus fomes in ventriculi vaſis conſiſtet, & non tertia ſed quarta hemicraniam promovebit.

XVII. Mirum eſt alterantia, quæ temperando agunt febribus ſolum acutis, bilioſis, & ardentibus apte mederi, nitrumque, aut nitroſo principio fæta cæteris palmam præripere.

XVIII. Quæ attenuando, & incidendo tardi, & lenti motus febribus opitulari: quorum in cenſu veniunt 1. decoctiones paratȩ ex ſcabioſa eryngio, lupulis, capillis veneris, & ſimilibus. 2. Sales fixi, & lixiviales, & medii, qui tamen minus diligenter aut dolo elaborati peſſimas edunt operationes. 3. Sales volatiles alchalici dubiæ virtutis in multiplici cauſarum numero, & inter initia febrium adhibita.

XIX. Altera eſt abſorbentium claſſis, quæ in magna crudorum, viſcidorumque humorum in primis viis hærentium copia Stomacho ſunt infeſta.

XX. Ultima demum laxantium, & emollientium, quæ ſȩpius repetita ventriculi tonum laxant, humorumque motus, & depurationes retardant,

XXI. Venȩ ſectio in febre cum inſigni efferveſcentia, ȩſtuque ſanguinis comitata, aut inflammationis periculo.

XXII. Emetica quando pravos, corruptoſque ſuccos ventriculi cito, &

breviore via educere expedit ęgro ad vomitum bene comparato, pręſertim lenia commodiſſima.

XXIII. Purgantia in Meſentericis febribus, iiſque quę ab apparatu crudorum humorum in primis viis ſtabulantium originem ducunt, dummodo vires conſtent, & mitiora bene cedunt, male plerunque valida, & in virium imbecillitate.

XXIV. Diuretica ſolum diluentia, & ſalina in ſebribus viſa ſunt convenire: ſalino acida, & fixa in ardentibus: quę volatili, & lixivioſo ſale gaudent in lentis, & a craſſo, viſcidoque oriundis.

XXV. Sudorifica mitiora ſolum coctionis ſignis apparentibus, nec repugnante natura in febribus commode exhibentur.

XXVI. Solius Chinę Chinę pulcherrima laus eſt intermittentes omnes, etiam quę continuę progreſſu temporis per ſubingreſſum paroxyſmorum factę ſunt, & ad continuas acutas, & malignas tendunt a quacumque cauſa naſcantur, cito, tuto, jucundeque debellare, nunc urinas ciendo, nunc ſudorem, nunc ventris ſolutionem, nunc ſputum, nunc tranſudationem, idque complexu variarum qualitatum, quę ejus tantum proprię ſunt, & per quas ab omnibus aliis differt rebus, ſeu quod eodem recidit ſpecifica vi, & occulta proprietate.

CAPUT V.

De Febribus intermittentibus in genere.

I. S*I quis laſſitudine dolorifica corporis, ac frigore corripiatur, horrore, rigore cum refrigeratione &c.* Cum febris eſſentialis in tres ſpecies paſſim dividi ſoleat a Medicis 1. in continuam continentem dictam, quæ ſine remiſſione, & intenſione toto durationis tempore ægrum exercet. 2. In continuam periodicam, quæ remiſſionem habet aliquam, & intermittentem, quæ certo, ſtatoque tempore intermittit, & renovatur, quæret fortaſſe quiſpiam, cur continua continente, ejuſque ſpeciebus perpenſis, ad intermittentium naturam inveſtigandam tranſire ſatius eſſe duxerim, quam continuæ periodicæ æthiologiam ex ordine afferre. Si curioſus diligenter attendat ad ea, quæ a nonnullis tradi ſolent, continuam ſcilicet periodicam fieri a continua continente ſimul, & intermittente, vel ſuapte natura intermittentem eſſe, ſolum differre, quod ſubſequens illius paroxyſmus renovetur priuſquam antecedens deſinat, facile intelliget non ſine ratione a me id eſſe factum. Quomodo continua periodica clare innoteſcat, niſi intermittentium natura, quæ docente Galeno obſcuriſſima eſt, cognita prius ſit, planeque perſpecta? Qua de re tanta eſt inter Medicos maxime illuſtres diſſenſio, ut difficile ſit certi quidpiam ſine alterius offenſione conſtituere, iſque multum profeciſſe videatur, qui quanta ſit rerum ignoratio in hac parte perſpiciat penitus, ac cognoſcat. Tamen quia pauci hoc uno, uberrimo cæteroquin fructu, contenti ſunt, quid ipſe ſentiam paucis expediam, ea memoria recolens, ac repetens, quæ in generali febrium tractatione dicebam, in febrium natura perquirenda, ex omnibus affectionibus, quibus eædem ſtipantur, eas ſeligendas eſſe, quæ cum omni febre, cum ſola, & ſemper conjunctæ ſunt, quæque cum in homine perci-

piuntur, febrire eumdem, cum vero abſunt, hominem a febre immunem eſſe affirmari tuto poteſt. Ubi igitur febrium intermittentium Symptomata maxime propria, & inſeparabilia inveniantur, eorumque cauſæ aſſignentur, hærere amplius non licet. Ipſam ipſorum ſymptomatum cauſam pro vera, ac genuina febrium intermittentium cauſa habendam eſſe, certo certius tenendum. In his autem aſſignandis plerique Medici convenere, uno ſymptomate excepto clariſſimo, ſi quod aliud, frigore nempe, rigore, aut horripilatione, quam nonnullis febribus intermittentibus communem non faciunt, aſſerentes febres adeſſe quaſdam de intermittentium genere, quæ ſine evidente frigoris, & horroris ſenſu, etiam ipſius ægri confeſſione in perfectam apyrexiam terminentur, quod aliis placere non poteſt, affirmantibus nullas adeſſe febres vere intermittentes, quarum principium frigus horror, aut rigor clarum non faciat. Priorem ſententiam tenet Simon Simoni in ſua febrium ſynopſi; contrariam Galenus (*a*). Hunc in præſens ſequimur Sennerto præeunte, qui febres ſine frigore, aut rigore, invadentes, aut continuas putat, aut ſi intermittentes ſunt, non puras ac legitimas vocat, quarum ideam Galenus fere propoſuit, ſed nothas, ac ſpurias.

II. *Quotidiana quidem ſimplici, ſi ſingulis diebus eadem recurrant, tertiana ſi alternis &c.* Supra enarrata ſymptomata communia ſunt fere omnium febrium intermittentium, eaque diverſis febris ſpeciebus conveniunt. Sunt etiam nonnulla earumdem propria, quæ a periodorum intervallis deſumi ſolent: nam ſi quotidie paroxyſmus invadit, quotidiana, ſi alternis diebus tertiana, ſi quarto quoque die quartana conſtituitur. Si exempla velimus perſequi febrium, quæ longioribus intervallis diſtinctæ ſunt, antiquiſſimum, & nondum conciliatum litigium de induſtria aggredi velle videamur, quod diu Græcos, & Arabes Scriptores exercuit. Febres enim quintanæ ſextanæ, octanæ dinumerantur, quas Græci duce Galeno negant, cum Arabes e contra præeunte Avicenna non ſolum eas admittant, ſed ipſius Hippocratis confeſſione confirment. Hippocrates enim in libro epidemiorum hiſtorias refert de febribus hiſce quintanis, ſextanis, aliiſque id genus, deque earum natura differens, febres ſeptanas longas eſſe conſtituit, ſed non periculoſas, nonanas longiores ipſis ſeptanis, ſed non lethales, quintanas, & longas, & periculo plenas, eaſque vel in hecticam terminari, vel eamdem ſubſequi. Hiſce tamen ne Galenici aſſentiantur, rationes hæ faciunt. *Febres*, inquiunt, continuæ quotidianæ, tertianæ, quartanæ a ſanguine originem ducunt, a bile, a pituita, a melancholia putreſcentibus, a putredine quidem ſanguinis Synochæ ſanguineæ putridæ dictæ, a putredine pituitæ quotidianæ, a bilis, tertianæ, a melancholiæ, quartanæ. Febres ergo quintanæ, ſextanæ, & ſimiles ab humore aliquo diſtincto ab illo, qui tertianas, & quartanas excitat, proficiſcantur neceſſe eſt; atqui ejuſcemodi humores non dantur. Febres igitur quintanas, ſextanas admittere ridiculum videtur. Deinceps acceſſiones febriles oriri quaſdam exiſtimant in convaleſcentiæ decurſu, quæ febres dici non poſſunt quintanæ, ſextanæ, ſed ſui generis, irregulares ſcilicet, vagæ, quæque ad erraticarum genus referuntur, anomalæ dictæ ab eadem cauſa prodeuntes, a qua aliæ febres anomalæ intermittentes. Aſſentiri Hippocrati aſſerenti quintanas febres periculoſiores eſſe ſeptanis, nonanis, perinde eſſe ac merum ſpeculationis commentum nullis certis obſervationibus firmatum probare. Quintanam periculoſam quidem febrem eſſe, quod vel tabem inducit, vel tabem ſubſequitur, ſed ratione conſequentium. Febres enim ex ſe ſalutares, ſi male judicentur in morbos quoſdam terminantur diſcriminis plenos, ac periculi. Hac de re quid ipſe ſentiam, paucis exequar. Ut ſatis eſſet momenti in Galenicorum argumentis, oporteret revera nullum dari humorem, qui ejuſcemodi febres poſſet excitare. Scio tamen quid hodie in tanta

(*a*) 5. *de Criſ.*

tanta rei medicæ claritate plurimi objiciant, & quantum mihi diſcriminis reſtet cum iis, qui ab aſſerto, atque defenſo tot annis & tot ingeniis inſtituto, vix ulla ratione dimoveri poſſunt ab opinione, ſalivam adeſſe, & ſuccum eidem analogum, qui a ventriculi, & inteſtinorum glandulis extillat, & pancreaticum, & bilioſum, alioſque ſimiles, qui varie mixti, alterati in ſua craſi, corruptique nunc tardius, nunc citius intra venas in ſanguinem ingeri poſſunt, & vel tertianam febrem, vel quartanam, vel quintanam, aliaſque ejuſmodi promovere. Præterquamquod quid eſt quod Galeno aliiſque evenire nunquam potuit, quod & Avicennæ, & inter Recentiores Etmullero commodiſſime ſucceſſit, qui propterea aut obſervationum minus ſollicitos, aut earum raritate deceptos fuiſſe affirmare minime verentur? Octanam & ipſe regularem, & ordinatam, juvenem triginta circiter annorum per quadraginta dies elapſo anno vidiſſe bona fide teſtor. Quoniam vero ſolam vidi, ne ejus quidem meminiſſe tulit animus verens, ne ſimultates cum iis ſubirem, qui res obſervationibus ſolum multis, ac frequentibus, nec non certis ac conſtantibus confirmatas æſtimant, cæteras flocci, nihilique faciunt.

III. *Eamque firmam, & ſtabilem dices, ſi eodem puncto temporis renoventur*. Altera intermittentium febrium differentia a periodorum conſtantia deſumitur, qua fit, ut paroxyſmi eadem hora renoventur, ut horologia idem tempus demonſtrare exactius non poſſint, quæ res tantam in omnibus admirationem movet, ut incomprehenſibilem putent. Quare Cotta apud Tullium (*b*) *Vide* inquit, *ſi omnes motus, & omnia, quæ certis temporibus ordinem ſuum conſervant divina vocantur, ne tertianas quidem, & quartanas divinas eſſe dicendum ſit, quarum recurſione, & motu quid eſſe poteſt conſtantius?*

Inſtabilem ſed ordinatam, ſi certam habeant anticipationem &c. Magni intereſt intermittentes febres, quæ eadem hora contingunt ab iis diſtinguere, quæ certam habent anticipationem, cunctationemve. Illæ enim a vitio aliquo pendent firmo, ac ſtabili, quod non tam facile amoveri poteſt, quemadmodum illud a quo inſtabiles, ſive ordinatæ ſive inordinatæ ortum traducunt. De iis quæ poſticipant luce res eſt clarior. Id æque tamen affirmari poſſe ſuſpicari fas eſt, de iis, quæ anticipant. Vitium enim illud, a quo pendent, augeri potius videtur, quam minui. Si tamen diligentiam adhibeas, atque paroxyſmi brevitatem attendas, ſymptomatum remiſſionem, concoctionem urinæ, nihil erit ſane, cur de feliciſſima febris ſolutione dubites: quemadmodum vereri jure merito potes, ſi paroxyſmus longior ſit, ſi ſymptomata ingraveſcant, ſi urinæ crudæ appareant. Hinc perbelle Galenus (*c*) *Anticipatio, inquit, febris per ſe ipſum non eſt ſufficiens ſignum incrementi, quod ſæpe morbi proprietatem conſequitur potius &c.*

IV. V. VI. VII. Quæ hiſce aphoriſmis continentur ſunt adeo clara, ut animadverſionem mereri non videantur: Quis enim non videat indicatas affectiones alias ſimplicibus febribus convenire, alias compoſitis?

VIII. *Mirabilium phænomenorum cauſas, ſi quæras, eas ad lentum fomitem certis temporum intervallis ad capillares arterias cumulatum &c.* Quandoquidem igitur res cum per ſe ſatis claras, ac breves explicare dicendo, aut percenſere numerando longiores facere, aut obſcuriores minus expedit, ad earum cauſas diligenter inquirendas deveniendum. Huic porro operi multorum voluntas non defuit; in eoque Bellini ſolertia plurimum enituit, cujus fere ſententiam nunc trado. Febris igitur circuitus fieri affirmat vitio lentoris, ſive producti in ſanguine a cauſis antecedentibus, ſive ab humoribus viſcidis, chylo nempe, lympha, & glandularum ſuccis impuris, & crudis in ſanguinem derivati, qui ad capillares arterias, ſeu

P 2 an-

(*b*) *De natura Deorum* 3.
(*c*) 3. *de criſ.* 4. *p.* 125.

anguſtiſſimos arteriarum fines extremos, ad quorum nempe internas ſuperficies facili negotio agglutinantur, & adhæreſcunt lentoris particulæ & a quibus etiam continua preſſione, & impetu ſanguinis a corde truſi ſucceſſive in venas trajiciuntur, cumulatus, cum difficilior fiat fluxus, & excurſus ſanguinis, paroxyſmum febrilem excitat. Hoc deinceps invaleſcente a vi efferveſcentis ſanguinis, & ſyſtaltici arteriarum motus ſenſim exprimi lentoris particulas a finibus arteriarum, & in venas trajici. In his autem cum ſpatium ſucceſſive majus acquirant, ſintque inertes, & tardæ, a ſalinis ſulphureis, velocioriſque motus particulis per centrum venarum liberius evolutis verſus venarum ſuperficiem juxta quam lente progediuntur extrudi, non ſecus ac in fluminibus contingit, in quibus fluidiores aqueæ partes per medium velocius, ac rapidius excurrentes, limum, arenam, ſaxa, atque inertia corpora ad fundum, ac ripas propellunt, ideoque ſoluta caloris copia in ſanguine febrem intendi. Lentorificas particulas diverſæ magnitudinis ac figuræ in dextrum Cordis ſinum, indeque in pulmones traduci, atque eam excitari ſanguinis mixtionem, per quam primum remittit impetus febris, mox arteriolis ab earum infarctu in totum liberatis, ac ſanguine ſucceſſive fluente per arterias liberatas, nullamque conſequenter patiente ſolutionem naturali majorem, per aliquod temporis intervallum intermittit, ſeu ceſſat, eaſdemque in refluxu ſanguinis a pulmonibus in dextrum cordis ſinum, indeque in Aortam, & majores arteriarum ramos mixtim cum reliquis ſanguinis particulis rapi, non ſecus ac in torrente contingit, a cujus impetu minutæ arenulæ abreptæ, nec ſubſident, nec ad ripas extruduntur, donec priores ſemitas repetentes internis capillarium arteriolarum parietibus agglutinentur, & adhæreſcant ad novum paroxyſmum procreandum, inde in venas, ut ante derivatæ per Cor, & pulmones & arteriarum truncos, & majores ramos traductæ ad capillares arterias iterum cumulentur, rurſuſque in venas trajiciantur atque ita plures, & plures ex ordine ſibi ſuccedentes circuitus efficiant, donec vel per inſignes excretionum vias penitus abſumantur, vel in ſtatum connaturalem commutentur. Intervalli temporis a febre vacui longitudinem, aut brevitatem a conditione lentoris magis, aut minus fluxilis, ſive ad motum expediti pendere. Quo enim fluxilior fuerit lentor, eo celerius vias ſanguinis percurrere, atque ad capillarium arteriarum anguſtias recolligi: contra vero quo minus fluxilis fuerit ad prædictas anguſtias cumulari: Cum lentor fluxilior citius vias ſanguinis percurrat, & ad capillares arterias colligatur, breviore etiam temporis ſpatio indigebit, ut capillares arterias iterum infarciat, minus fluxilis longiore: Hinc in febre quotidiana paroxyſmum renovari ſpatio viginti quatuor horarum, in tertiana quadraginta octo, in quartana ſeptuaginta duo. Per mutationes inter ſe febrium unius ejuſdemque generis ad variatas conditiones in lentoribus refert, qui ſunt cauſa circuituum, & recurſuum. Variari autem poſſe conditiones vel quantitate, vel qualitate: hac enim aucta augeri craſſitiem, & copiam lentoris cumulati in arteriis capillaribus, unde tardiores fiunt recurſus, adeo ut qui quotidiani erant fiant de tertio in tertium, vel quarto quoque die, vel e contra eadem imminuta, minor habeatur lentoris cumulatio, & adhæſio, ac citius lentor recurrere poſſit, unde febres quæ de tertio in tertium, vel de quarto in quartum redibant, ſingulis diebus incipiant recurrere. Firmas, & ſtabiles ab ordinata progreſſione lentoris, in ſanguine pendere, ita ut vel productus æqualiter, vel æquali tempore, copia, aut qualitate derivatus æquali ratione lentor ad fines arteriarum cumuletur, & recurrat; inſtabiles, inordinatas, & vagas a lentore inæquali quantitate, qualitate, ac tempore in ſanguinem traducto, ac derivato, inæqualique ratione, ac tempore capillarium vaſorum anguſtias pervadente, & agglutinato. Recurſuum anticipationem, cunctationemve a qualitate lentoris non ejuſdem conſtanter tenacitatis, fluen-

fluendique, ac refluendi naturæ, ſed nunc viſcidioris, nunc fluxilioris, ita ut non iiſdem temporibus in ſummis arterjis cumuletur, & ad eaſdem recurrat, ſed nunc tardius, nunc citius, quo magis a fluiditatis, aut viſciditatis gradu recedat. Tertianas duplices ex pluribus circuitibus alterne recurrentibus compoſitas a binis lentoribus ſimilis naturæ, quorum alter moveatur, & cumuletur ad capillares arterias prima die, indeque ſive in totum, ſive ex parte abreptus in venas refluat, ſi hac eadem die alter ſimilis lentor ad capillares arterias cumuletur, hunc in venas refluere eo tempore neceſſe eſt, quo primus lentor ad ſummas arterias refluxurus eſt, tertia videlicet die, ad arteriarum vero fines eo tempore, quo primus lentor ab arterjis denuo abreptus per venas regreditur, nempe quarta. Hac ratione haberi febrem tertianam duplicem ex duobus lentoribus unius conditionis compoſitam, alterum ab arterjis in venas, & viciſſim a venis in arterias refluentibus, & recurrentibus: duplicem quotidianam, quartanam, aliaſque ſimiles ex pluribus lentoribus ſimilium circuituum compoſitas, quotidie, aut quarto quoque die ab arteriolis in venas, ab his in illas refluxum, & recurſum habentibus, eumque aut ordinatum, & vagum, prout cauſæ modo ordinate, modo confuſe lentores produxerint. Bellini ſententiam hactenus propoſui, quam jocis vellicare non ita facile, nodos habet dignos acri vindice, & ab altioribus ſtudiis non ſejuncto. Utcunque tamen mihi hac in re deſitura ſit facultas, ſi reprehendendus non eſt, qui homo candidus ſe tenere non poteſt, quin adverſus aliorum opiniones, quæ in animo habet, ſincere proponat, Bellinum, uno excepto quod initio ſtatim conſtituit, in omni videlicet febre intermittente lentorem ſanguinis adeſſe ad capillares arterias cumulatum, a veritate aberaſſe tam ego intelligo, quam qui maxime. Lentorem nempe in capillarium arteriolarum anguſtiis hærere magnum, clarumque argumentum eſt frigus, quod intermittentium febrium principium, & recurſus comitatur, quodque præclarus vir ad dictum jam lentorem, ſeu viſciditatem ſanguinis ea copia cumulati intra capillares arterias, vel ejus tenacitatis, ut coerceat caloris corpuſcula, ne ab impetu, atque impreſſione ſanguinis circulantis per aliquod temporis intervallum ſenſibiliter exſolvi poſſit, perbelle refert. Hinc quo major fuerit vis cohæſionis, eo longius eſſe frigus, & contra eo brevius, quo minus. Cui etiam opinioni robur addere videtur affectuum comatoſorum obſervatio, qui interdum cum his febribus conjungi ſolent, velut cum febrientes in ſomnum labuntur, dormiuntque toto fere paroxyſmi tempore, lentoris ad capillares arterias Cerebri, & Meningum hærentis inditium manifeſtiſſimum, ſi quod aliud. Quomodo vero calor ab eodem lentore excitetur, aſſequi nulla ratione poſſum: idque duplici de cauſa. Primum enim calor, excitari nullo modo poſſe videtur, niſi ſulphureæ ſalinæ, agilioreſque particulæ irretitæ a cumulati lentoris copia, vel viſciditate vi cordis, & arteriarum liberentur, exſolvanturque. Ecquis vero ſibi perſuadere poterit, ſalinas, ſulphureas agilioreſque particulas a lentorificarum nexibus divelli poſſe, niſi lentorificæ ipſæ atterantur, exſolvanturque. Deinceps quid eſt quod frigus in intermittentibus febribus externas primum occupet partes, & longe a corde diſſitas, deinde vero internas, & Cordi proximas? Nonne ſi lentor ad capillares arterias cumulatus ita poſt ab iis disjicitur, & tranſit in venas, ut nulla ejus portio ſolvatur, frigori primum in internis, mox in externis partibus ciendo aptior videtur? Cum enim e Corde ad internas partes brevior ſit via ſanguinis, quam ad externas, ad illas prius, quam ad haſce pervenire debere luce clarius apparet. Non me præterit tamen quid hiſce objicere ſoleant ii, qui pro lentore quem integrum manere in ſanguine contendunt, cum Bellino acriter dimicant: nempe a ſanguinis ſucceſſive fluentis per arterias liberatas impetu, atque impreſſione lentorificas particulas abripi a partibus, & viſceribus cordi proximis, nec conſequenter in capillaribus eo-

rum

rum arteriis ſubſidere, ſed in externis tantum, & a corde remotiſſimis, hinc frigus primum in externis partibus. Verum id etiam arbitror nulla non difficultate laborare. Si enim recte meminerint eorum, quæ in generali febrium tractatione docuimus, intelligent facile non eadem ratione promptum, & expeditum eſſe ſanguinis curſum in hepate, liene, omento, utero, ac in Corde, pulmonibus, & renibus. In hepate quidem ob peculiarem vaſis advehentis ſtructuram, quod vena eſt arteriæ munus gerentis, in liene ob cellulosam ipſius ſtructuram, in omento, in utero ob frequentes vaſorum plexus, unde ſtagnationes, infarctus, aliique morbi lenti & chronici hiſce de cauſis facile proficiſcuntur. Qua igitur ratione, aut modo fieri poſſe dicamus, ut lentor non ſolutus a capillaribus arteriis in venas refluens a ſanguine fluidiſſimo, a dictis viſceribus, ac partibus abripiatur, & frigus prius in internis partibus, quam in externis quandoque ſaltem non excitet? Minime autem levior erit contentio, ubi ad peculiares febris cujuſcumque periodos ventum fuerit, quibus explicandis intereſt lentorem diverſæ magnitudinis, & figuræ effingere, ac peculiares typos, ac formas, quibus donentur ejuſdem corpuſcula, nunc quotidianæ, nunc tertianæ, nunc quartanæ febri producendæ idonea, eaque diſſimilia fieri, cum febres unius, ejuſdemque generis in naturam alterius permutantur, quæque tertianam puta febrem faciebant, aut quartanam, eæ magnitudinis, ac figuræ evadant, quæ quotidianæ ciendæ ſit opportuna, aut viciſſim, quarum quidem rerum inveſtigationem irridet Celſus (*d*) *quoniam incomprehenſibilis natura ſit*, altiorique voce damnavit Galenus inquiens: *Satis tibi ſit noviſſe unamquamque humani corporis particulam pro rerum commoditate, atque uſu conſtructam fuiſſe: Si vero præterea conaberis, quo pacto ita facta ſint, inquirere, palam fiet, nec tuam imbecillitatem, nec Opificis illius te ſentire potentiam:* Quid de iis febribus dicas, quæ ſi cum cardialgia, aut vomitu inceſſerint, vel cum hemicrania, cum iiſdem ſymptomatibus conſtanter recurrunt? Putas ne lentorificas particulas ad capillares arterias vel Capitis, vel ventriculi transferri poſſe, internis earum parietibus adhærere nerveas fibrillas mordere, pungere, aut alia ſimili ratione afficere, qua opus eſt ad validiorem tremorem, triſtemque ſenſationem excitandam, niſi prædictæ partes, ac viſcera convitio laborent, quod earumdem ſtagnationi, congeſtionique occaſionem præbeat?

Sed quod majoris æſtimo febrium compoſitarum recurſus eſt, eadem hora, qua ſolent ſimplices componentes, aut iiſdem affectionibus ſtipatus: unde duos lentores ineſſe oportet diverſæ magnitudinis, ac figuræ ita cum ſanguine per arterias, & venas circulantes, ut unus ab altero ſejunctus, non confuſus ſervetur, non mixtus, eique paroxyſmo, quem prius excitavit renovando opportunus, nec non eas partes, ac viſcera, quæ prius affecerat conſtanter appellens, ac morſu, vellicatione, aut alia ſimili ratione dilanians, quod ſine indignatione quaſi quadam binis lentoribus attributa (quod ſolius animi eſt, ut adverſus Helmontium demonſtravit Cl. Leal Leali, & alibi oſtenſum eſt (*e*)), concipi vix ulla ratione poteſt.

Qui ab aucta contractione cordis, & arteriarum reſolvitur &c. Sed video jam Bellinianæ doctrinæ addictos queri me nimias ſubtilitates perſequi. Agemus itaque largius, & ſi libet peculiarem hanc vim cuilibet lentori concedemus: ſed reſpondeant & ipſi neceſſe eſt, quomodo a vi cordis celerius, & vehementius in febribus contracti (nonnullis malignis exceptis) illa tanta, quanta opus eſt ad tot tamque magnas reſiſtentias ſuperandas, quæ ſanguinis curſui obſiſtunt, quæque fere incredibilis eſt, ut alibi tradidimus (*f*) a curvatura aortæ, in quam ſanguis a corde truſus incurrit, ab ipſius ramis elaſticis & varie inflexis, ab incumbentium partium ela-

(*d*) *in præf.* (*e*) *aph. lib. 4. cap. 1. com. 10.*
(*f*) *Ibid. com. 5.*

elaterio, pondere, ac motu cuilibet lentorum particulæ quolibet momento temporis inſignis motus, rotatio, attritio, attenuatio non concilietur, ſumma fluiditas, diviſio in particulas omnibus vaſculis accommodatas, & præſertim capillaribus, eorumque obſtructio minime præcaveatur novo febris paroxyſmo impetum datura. Solvant etiam id alterum oportet, quomodo lentore una cum fluidiſſimo ſanguine per arteriam pulmonarem in pulmones a corde fluente, & ad ſiniſtrum ventriculum per venam pulmonarem regrediente, aeriſque in pulmonares veſiculas irruentis pondus elaſticitatem, preſſionem patiente majorem in modum non attenuetur, non atteratur quemadmodum putat Malpighius, non eam demum fluiditatem nanciſcatur, qua internis capillarium vaſorum parietibus adhærendo impar evadat? Quod ſi eamdem tenacitatem perpetuo ſervare velint, non ſolvi, integrum manere, explicent operæ pretium eſt, qua ratione, aut modo fieri poſſit, ut pulmonum aliorumque viſcerum vaſcula non minus tenuja, ac minuta, quam ſint capillares arteriæ totius corporis tranſeundo, in iis minime conſiſtat, & vel dyſpnæam, vel inflammationem, vel alia ſæviſſima mala a ſanguinis concretione prodeuntia non excitet?

Et certo ſtatoque tempore reficitur, ac renovatur. Ubi hæc explicuerint, & alia plura, ab opinione diſcedam, neque dubitabo, quin cum ea caviſſem, quæ cavenda ſunt, id mihi errandi cauſam præbuiſſe. Si quid deinceps ſcribam, homines ab errore abducam, ac de mutata ſententia certiores faciam. Quis enim putet aliud mihi habere propoſitum præter veritatem? Sed non in ea rationum inopia verſamur, ut non aliunde ad aſſerendum, lentorem ad capillares arterias cumulatum ſolvi, argumenta conquirere valeamus. Percurre quæſo ſingulas affectiones febrium intermittentium generi communes, animo, & cogitatione percurre, nullam in multiplici eorum numero reperies, quam commodiſſime non explices per lentorem ad capillares arterias cumulatum, qui certo ſtatoque tempore reficitur, ac renovatur. Non laſſitudinem jam, quam a retardato ſanguinis curſu in vaſis ſanguiferis, eaque plus æquo diſtendente, ac graviori ſenſu afficiente congrue deduces; non frigus, quod a viſciditate ſanguinis ea copia cumulati intra capillares arterias, vel ejus tenacitatis, ut non ſolum liberum ſanguinis excurſum prohibeat, ſed igneas, ſulphureaſque particulas coerceat, ne ab aucta cordis, & arteriarum contractione ſtatim exſolvi ea ratione poſſint, qua opus eſt ad calorem excitandum aptiſſime repetas, ut fere Bellinus ipſe arbitratus eſt: Non horrorem, rigoremque, ſeu muſculorum totius corporis vibrationem, & concuſſionem cum refrigeratione, & ſenſu quodam doloris, quæ non ad alias cauſas melius referas, quam ad particulas acres mixtas cum lentoris particulis membranas, tendines, nervos quaſi aculeis pungentes, unde inæqualis arterioſi, & nervoſi liquidi in muſculares fibras influxus, atque illarum modo tenſio, modo relaxatio, tremoreſque in muſculis oriuntur cum refrigeratione quidem, & pallore extremorum, quia iſtorum capillares arteriæ longe a corde ſunt diſſitæ, ideoque minima eſt ejus impellens vis, unde internis parietibus adhæſio lentoris tanta, ut nihil fere ejuſdem divelli poſſit, & traijci in venas, unde nulla ſulphurearum agiliorumque particularum exſolutio contingit, venulæ ſic concidunt, ut ſanguine vacuæ videantur, hinc frigus, & pallor extremorum. Si addas arteriolas iſtas a muſcularibus partibus minime circumplecti, quibus earum motus augeatur, aut confirmetur, nec non externi aeris frigidioris injuriis obnoxias eſſe, nihil ſane eſt, cur extremæ partes corporis, & externæ præ internis frigeſcere debeant, atque palleſcere. Irregulares ſpirituum animalium motus, nerveorumque filamentorum tremores, ſi diaphragmati, & partibus reſpirationi inſervientibus, ſi ſtomacho communicentur, ſi vaſis minimis, in quibus lentor ſubſiſtit, eorumque membranas ad inſuetas contractiones excitat, ægros pandiculari facile continget,

ſeu

ſeu toto corpore oſcitantes extendi, reſpiratione anheloſa corripi, nauſea, vomitu torqueri. Quid quod maſſa ſanguinis viſciditate, lentoreque peccante ocyus, quam par eſt per vaſa moveri neceſſe eſt, in capillaribus arteriis conſiſtere, anſam præbere alii parti ſanguinis ad velocius fluendum in majoribus, unde ad illas affluens cum obicem offendat, nec tranſire in venas libere poſſit, eam membranarum diſtenſionem progignat, quæ ſine validiore tremore, atque ea triſti ſenſatione haberi nequit, quæ cordi arteriarum omnium fonti communicata ſpiritus animales facile concitat, unde velocitate majore in arterias influentes pulſus frequentiæ, ac celeritati occaſionem præbent? Veritati etiam ſumme conſonum videtur aſſerere ſanguine ea ratione affecto, quam mox ante indicavimus, non ſolum parum ipſius recipi poſſe a venis, parumque trudi in cor, & arterias, ac pulſum parvum fieri, ſed debita ſanguinis copia per venas his ipſis de cauſis cordis ſemitas non repetente, etiam debilem, depreſſumque. Ab eadem craſſitie, ac tenacitate ſanguinis in principio febrium intermittentium peccante, nec ſulphureæ, ſalinæque partes ab aliarum nexu ſecerni poſſunt, ſed ſeroſæ tantum, hinc urinarum cruditas, ac tenuitas.

Increſcente febre, ſi crebriore cordis contractione ſolvi, ac fundi ſanguinis maſſa poſſit ſolutam jam majore celeritate moveri perſpicuum eſt (ſi dictas jam malignas febres excipias), quam in naturali ipſius cordis contractione contingat: a crebriore cordis contractione celerius moto ſanguine, atque fuſo, igneas etiam ſulphureas, agilioreſque particulas ea ratione exſolvi debere, qua opus eſt ad calorem excitandum manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Ubi hæc diligenter teneas, nihil fere negotii faceſcet aliorum ſymptomatum explicatio, quæ in incremento ſupervenire animadvertimus. Non ruboris, venarumque turgentiæ: ſoluto enim ſanguine, atque ejus curſu accelerato non ſolum major ipſius copia a corde in arterias, ab his in venas traijcitur, ſed etiam rareſit, atque expanditur, hinc venæ ſanguine replentur, hinc cutis, atque univerſi corporis rubedo, venarumque turgentia: non reſpirationis validæ, & magnæ, non pulſus robuſti, quæ non aliunde, quam a fuſo ſanguine, ſolutoque repetenda ſunt, qui celerius movetur, plenioríque gurgite in dextrum cordis ventriculum, in pulmones, mox in ſiniſtrum, atque univerſum corpus truditur, quo totius ſanguinis maſſæ curſum accelerari contingit, ejus rarefactionem, expanſionemque ſubſequi, majorem ſpirituum copiam in corticalibus Cerebri glandulis ſeparari, in partes reſpirationi inſervientes, in cordis villos influere, unde reſpiratio, & pulſus validi, magni, robuſtique. In tanta autem ſanguinis velocitate fieri minus vix poſſe videtur, quin ſalinæ, volatiles, multaque acredine inſtructæ particulæ atterantur, comminuanturque, atque a ſeroſarum nexu extricatæ libere huc illuc volvantur, nerveaſque fibras, quæ intra muſculos artuum, lumborumque inſeruntur ſtimulando, aut earum principia, ac Meninges pungendo, earumdem partium dolorem inducant. Si ſulpureæ iſtæ, ſalinæ ſimileſque particulæ una cum aquoſis per Renes ſecernantur, nonne urinæ, & ipſæ quæ prius pallidæ apparebant, rubentes evadent, craſſioreſque? Ceſſante paulatim dicta ſanguinis attritione, ignearumque, atque ſubtiliorum particularum exſolutione, iiſque vel in amplius venarum ſpatium diſſipatis, vel rarius diſperſis placidus, æquabilis, & ordinatus motus ſanguini conciliatur, atque ea exoptanda tranquillitas, quæ vel una ſatis valere poteſt ad ſecretiones, excretioneſque per inſignes ſudoris, aut urinæ vias promovendas, ad ſomnum concitandum, ad ægri vires recreandas, fovendas, confirmandas, ad eumdem in apyrexiæ ſtatu feliciſſime conſtituendum (*g*).

IX. *Refici autem contingit ob peculiare aliquod ſolidarum partium vitium intermittentium focum ac ſedem &c.* Quod de recurrente dolore capitis alibi diximus, (*h*) aptiſ-

(*g*) *Conſer. aph.* 1. (*h*) *Aph. lib.* 1. *cap.* 9. *com.* 5.

aptiſſime cadit in hunc locum, morbum videlicet nullum, lipothymiam, dolorem aurium, hemicraniam, alioſque, qui certam habent periodum, multo magis febres intermittentes, quas certe recurſiones claras faciunt, ſine vitio ſolidarum partium, quod earumdem focus ſit, atque ſedes explicari nulla ratione poſſe, ac propterea grates habendas Galeno, quem poſtea Fernelius Sennertus, Sylvius De le boe, Borellus, aliique qui de febribus accurate ſpripſerunt ſequuti ſunt, qui primus (*i*) ejuſmodi focum, ac ſedem inveniendo, non ſolum multum laboris hac in parte aliis ſubtraxerit, ſed præclariſſimam theoriæ febrium intermittentium facem prætulerit. Et ſane oportet jam adeo, ut quiſque Medicus, ſive Bellino ſerviat, ſive aliis, id omnino concedat quod volumus, ideſt lentoris quem ſolvi jam docuimus, fermentum remanere in ſanguine non poſſe, quin ductus, emiſſaria, atque organa ejuſdem excretioni dicata obſtruantur, aut alia ſimili ratione afficiantur, qua aptari ipſis non poſſit, atque extra corporis confinia e ſangine dimitti nec ultra vaſa ſanguifera locari, in glandulis conglobatis, in ambitu corporis, & ejus viſceribus, ut Cl. Tortus recte ſuſpicatur ad febres mitioris indolis ſuſcitandas, quæ cum rigore, & frigore ſine ullo alio inteſtino tumultu ſolent invadere, & univerſali demum ſudore ſolvuntur, niſi hæc eadem aut obſtructa ſint, aut nimis laxa, aut plus æquo adſtricta, aut alio vitio peccantia; neque a ventriculo, inteſtinis, glandulis, & ductibus meſentericis, hepate, pancreate, aliiſque imi ventris viſceribus ſanguini affundi, niſi hæc pari modo labefactata ſint: glandulis, inquam, & ductibus meſentericis, hepate, pancreate, aliiſque imi ventris viſceribus. Sunt enim febres nonnullæ, in quibus ferociora ſymptomata in imo ventre maxime ſæviunt, ut nauſeæ, vomitus, rigores, horrores, doloreſque ad dorſum, & lumbos præſertim cruciantes, alvi fluxus, tormina, rugitus, aliaque hujus generis, quæ mineram ſuam in ea regione habere communiter reputantur. Quamvis autem difficile exiſtimaverim determinare, quo præciſe in loco ejus regionis febrile fermentum congeratur, & quæ ſit ejus prima origo, eum tamen non admodum falli putem, qui in ſola ventriculi, & inteſtinorum cavitate minime conſtituendam eſſe exiſtimet. Copioſis enim, ac repetitis vomitionibus, ac dejectionibus, quas natura, & ars moliuntur ſub invaſionum initiis, aut aliquanto ante, tota febrilis materia educeretur, atque novus febris acceſſus prohiberetur. Verum id cum obſervationibus multis, ac conſtantibus minime congruit, ut præcitatus Tortus, aliique teſtantur, quibus compertum eſt, non ſolum a copioſis dejectionibus irrito naturæ conatu ſupervenientibus, aut ab emeticis, ac purgantibus medicamentis excitatis, melius ſe habere, ſed in deterius ruere. Deinceps ſi ſola ventriculi, & inteſtinorum cavitas eſſet accuſanda, China China quatuor, aut quinque horas ante febris recurſum exhibita, fermenti febrilis actio penitus infringeretur, ac febris multo melius ac felicius quam aliis temporibus ab invaſione diſtantibus ſubigeretur. Ecquis vero optato fine potiri unquam potuit, qui viginti quatuor horas ante acceſſionem inhibendam, corticem Peruvianum propinare haud incæperit? Quæ omnia ejuſmodi quidem non ſunt, ut lentoris fermentum a ventriculo, & inteſtinis in ſanguinem ingeri nequaquam poſſe plane oſtendant, ſed talia tamen ſunt, ut illud ſaltem non ab his ſolum, ſed ab altioribus, profundioribuſque locis continenter effluere manifeſtiſſimo evincant. Ea omnia intelligo, quæ a ventriculo uſque ad thoracicum ductum pertingunt, ſalivales glandulas, & peijeranas, & hepar, & pancreas, & vaſa lactea, & lymphatica, & ſi quæ alia ſunt quacumque ratione affecta, in quibus lentorificum fermentum ſtagnare poteſt, & certo ſtatoque tempore confeſtim in ſanguinem influere, ipſumque in febrilem motum adigere. Ingenerari autem, qua ratione, aut modo dicamus, niſi aliqua pars, membrum, aut viſcus atonia peccet, adſtri-

(*i*) *De differ. febr.*

ſtrictione, obſtructione, aut alio ſimili vitio, quo in his ſanguis conſiſtat, & hæreat, unde componentes ejus partes ſenſim, a ſe mutuo ſolvantur, atque ſecedant, ſubtiliores avolent, craſſiores vero remaneant, ac paulatim corrumpantur, totaque hinc ſanguinis maſſa vitium contrahat?

Atque eumdem ea ratione afficiat, qua aut ſingulis diebus, aut alternis, aut quarta quaque die ad capillares arterias &c. Quamvis nonnulli difficillimum putent determinare, quo vitio peccent ſucci, qui præſertim a primis viis ſanguinis maſſam ſubeunt febrem moturi, cum modo enormes vomitus, & alvi dejectiones, & ventriculi morſus, ventris acerbos cruciatus videant, modo ſudores profuſos, hæmorrhagias, modo algorem intenſiſſimum, modo ſoporem profundum, modo ſubitum virium lapſum, aliaque dira ſymptomata, quibus ad credendum vehementer adducuntur aceſcere, fermenteſcere, acrimoniam antimonialem, aut arſenicalem concipere, & modo compagem ſanguinis fundere, ac colliquare, modo ſalinas, ſulphureas, agilioreſque particulas penitus coercere, modo narcotico ſulphure opii ad inſtar ſpiritus devincere, atque profligare, unde atrocia, atque fera ſymptomata, quibus febres malignæ ſtipantur, proficiſcuntur, ſi quid tamen in re ardua, ac difficili ſentio, ſepoſitis quæſtionibus, atque in obſervationes unice incumbendo, quibus deprehenſum eſt, ea omnia quæ ad viſcidam, lentamque materiam in primis viis cumulandam faciunt, febribus intermittentibus producendis opportuniſſima exiſtere, ea conditione peccare, qua opus eſt ad ſanguinem cogendum denſandumque, haud equidem intutum crediderim pronuntiare. Ejuſmodi ſunt craſſi, crudique cibi, vina auſtera, & fęculenta, Stomachi cruditates, vita deſes, & otioſa, aer humidus, & paluſtris, graviores animi curæ, ac meditationes; ſuppreſſæ evacuationes, temera corporis refrigeratio, præſertim Abdominis ab aſſumpto cibo, aliaque his ſimilia, quibus ſanguini viſciditatem, craſſitiem, lentoremque conciliari adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Variari porro lentoris actionem contingit pro annorum tempeſtate, nec non temperamenti, ætatis, & ſexus varietate. Videmus ſiquidem per æſtatem calidam, & humidam aeris conſtitutionem homines calidos præſertim, & ſiccos, bilioſoſque, juniores item, & viros præ fęminis, agiles præ ſenibus ad tertianas febres eſſe procliviores; per autumnum, & melancholicos, & qui conſtituti ſunt in provectiori ætate (interdum etiam infantes ſi fides habenda ſit Sydenhamio, & Sennerto) ad quartanas, eos e contra, qui temperamento ſunt humido, pituitoſo dicto, ſegniores, & fęminas ad quotidianas. In calidis enim bilioſiſque, in junioribus, agilibuſque ea eſt ſolidarum partium tenſio, & cordis, arteriarumque contractio, ut ſulphureæ partes facile exaltentur, & copioſæ, ſpirituſque agiliores ſeparentur, ſubtilioreſque, unde licet fermentum lentorificum, quod finito primo paroxyſmo vel ob nimiam laxitatem, vel adſtrictionem, vel obſtructionem, vel aliquod aliud in viſceribus vitium remanet in ſanguine; vel ultra ſanguinem locatur, vel infertur, vel ingeneratur, ſit nec modicum, nec minus aptum ad ſanguinem cogendum, illud tamen eſt, ut nonniſi poſt quadraginta octo horas, ſeu alternis diebus ea ratione ipſum cogere poſſit, qua opus eſt ad febrilem paroxyſmum renovandum, ac tertianam febrem producendam: in melancolicis e contra atque provectiori in ætate conſtitutis, licet febrile fermentum æquale ſit, cum tamen fibræ duræ, ſiccæ, & elaſticæ ſint, fit, ut ſanguis utcunque lentus non alternis diebus ad capillares arterias hærere cogatur, ſed quarto quoque die, ſeu poſt horas ſeptuaginta duas, unde quartana febris proficiſcitur. Quod cum æque affirmari non poſſit de ætate infantili, quam Sydenhamius, & Sennertus quartanæ febri obnoxiam fecerunt vereri fas eſt, ne Epidemica conſtitutio in fraudem illos induxerit. Sed hæc alii viderint: non enim hiſce de rebus tam parvis ſtatuere quidquam volumus, ſed ea tantum proponere, de quibus phyſici non inepte du-

dubitent. Quid eſt enim docto homine dignius, quam magna animi ad dubitandum proclivitas? Si habitum infantum humidum, laxum, & debilem, ſolidarumque partium conſtitutionem ſpectemus, quemadmodum fere illorum eſt, qui temperamento pituitoſo dicto donantur, ſegnioreſque ſunt quotidianis febribus facilius corripi poſſe videntur, quam aliis; non quod pituita ſit humor adeo lentus, ſegnis, & craſſus, ut valeat quotidie paroxyſmos renovare, ſed quod eorum viſcera ſolidæque partes ita laxæ, debileſque ſunt, ut facile in capillaribus arteriis conſiſtat, & hæreat, unde poſt viginti quatuor horas, ſcilicet ſingulis diebus nova febris revertatur (*k*)

XI. *Eodem quidem puncto temporis, quo prior invaſit, ſi vitium idem remaneat &c.* Qua ratione febres eadem hora recurrant arduum, atque inſolens explicatu eſt. Si vero diligenter teneamus, quod cum Galeno mox ante a nobis demonſtratum eſt, febres videlicet omnes, omneſque morbos, qui certam habent periodum, certos habere focos, & ſedes, ſeu quoddam ſolidarum partium vitium, a quo originem ſuam mutuentur deinceps humanum corpus Automa eſſe a Sapientiſſimo rerum conditore divino artificio conſtructum, & in certa quadam fibrarum, tubulorum, veſicularum, folliculorum, vectium, cribrorum, valvarum, & ſimilium machinularum diſpoſitione, & liquidorum per ſolidorum fibras, ac tubulos excurſu admirabili quadam lege in ſe mutuo agentibus conſiſtens, rem non adeo abſtruſam crediderim, ut explicari dicendo nullatenus poſſit. Quem enim vadem non demus eadem remanente adſtrictione, obſtructione, aut alio ſimili ſolidarum partium vitio, quod intermittentium febrium focus, ac ſedes eſt, eodemque vitio fluidorum, motu ſcilicet, acrimonia, ſegnitie, eo tempore quod intercedit inter unum, & alterum paroxyſmum febris, cordis, & arteriarum contractiones pares eſſe, atque perfectiſſimi horologii ad inſtar eamdem vim, magnitudinem, ac numerum ictuum ſervare, ac propterea eamdem febrem eadem hora circuitus ſuos renovare. (*l*)

XII. *Si vitium ob erratum aliquod in ſex rerum non naturalium uſu augeatur, puta ab aere parum gravi, & elaſtico &c.* Nemo ignorat artem omnem conſervandæ valetudinis circa rerum adminiſtrationem verſari, quæ non naturales dicuntur, quod a recto ipſarum uſu, aut abuſu dependeat naturalis conſtitutionis conſervatio, aut præternaturalis generatio. Sex eſſe præcipue res non naturales, ad quas facile omnes revocantur: aerem, cibum, & potum, motum & quietem, ſomnum, & vigiliam, excreta, & retenta, ac demum animi pathemata manifeſta res eſt. Ubi aer fluiditate ſua, gravitate, vi elaſtica, aliiſque affectionibus, quæ ab admixtis aeri extraneis corpuſculis oriuntur, omnia corpora varie afficit, tum vero magnas in noſtrum corpus alterationes valet inducere. Aere quidem elaſtico, gravi, frigido, aut ſicco fibræ noſtri corporis intenduntur, & roborantur, ſanguinis curſus per univerſum corpus acceleratur, ſecretiones omnes præcipue vero inſenſibilis perſpirationis promoventur, humorum motus attenuatio exſolutio augetur, ita minus elaſtico, ac gravi exiſtente, humido item, & calido, & nubiloſo cœlo, æſtate, & in auſtrinis conſtitutionibus fibræ relaxantur, infirmioreſque fiunt, ſanguinis curſus per minutiores vaſorum ſanguiferorum truncos difficilior redditur, ſecretiones omnes præſertim perſpirationis diminuuntur, humores denſiores evadunt, tardiores ad motum, unde ſtagnationes in vaſis congeſtioneſque facile ſubſequuntur, quibus vitium demum ſolidarum partium, intermittentium ſedem augeri contingit, ac citius eaſdem circuitus ſuos renovare.

A cibo aut nimia copia ingeſto, aut minus ægrotantis conſtitutioni accommodato. Quemadmodum ſumma eſt alimenti ſumendi neceſſitas, ne aſſiduo ſanguinis motu

Q 2

(*k*) *Conf. aph.* 2.
(*l*) *Conf. aph.* 3.

tu ſolidæ partes deterantur, fluidæ aſſumantur, juſta ſanguinis temperies auferatur, ſpiritus diſſipentur, ita diligenter cavendum eſt, ne plus ejuſdem ingeramus, quam natura velit, ideoque ſolummodo, quantum ſatis ad famem ſedandam, non ad ſatietatem, ut egregie præcepit Hippocrates (*l*) inquiens: *Sanitatis ſtudium eſt non ſatiari a cibis, & impigrum eſſe ad labores*. Secus enim ventriculi tonus labefactatur, fermentatio pervertitur, chylus imperfecte elaboratur, corrumpitur, multęque hinc cruditates generantur, quæ viſciditati majori ſanguinis, ac febri materiam præbent convenientiſſimam. Jam de iis loqui expedit, quæ minus ſunt ægrotantis conſtitutioni accommodata. Ad cujus rei ſtatum melius intelligendum ſcire oportet temperata alimenta ea eſſe præ cæteris, quæ principiis ſcatent fere iiſdem, ac ſanguinis, & chyli, aut parum ab ipſis natura, & mixtionis modo diverſa. Cum autem ſanguis ex partibus oleoſis conſtet, & ſubtiliore terra, & ex aquæ portione, quæ mixta inter ſe ac temperata gelatinam quamdam minutiſſimam conſtituunt, vitulinas, agninas, aliaſque hujuſmodi juniorum Animantium carnes, quæ principiis ea ratione inter ſe mixtis, ac temperatis ſunt præditæ in eorum ciborum cenſu recenſendas eſſe, perſpicuum eſt. Ova etiam præſertim recentia ſulphureis partibus, ac mucilaginoſis ſunt concreta, ſemina item cerealia, & quæ conficiendo pani ſunt apta, in quo præter gelatinoſam ſubſtantiam etiam ſpiritus continetur acidus, ac volatilis, qui deſtillatione facile ſeparatur, & Stomachi fermento maxime affinis eſt, eidemque gratiſſimus. Quare ex juſculis dictarum carnium, & pane trito phtiſanæ confici ſolent, vel ſolæ, vel cum vitello ovi ægris propinandæ magno eorum commodo, atque utilitate. Si illorum loco aut pinguia, & oleoſa, aut dulcia, ſaccharina, aut acida, aut carnes vetuſtiorum animantium, aut ſalitas, aut fumo induratas, aut alia ejuſmodi, quæ difficillime diſſolvuntur, aſſumant, celeriori febris recurſui materiam prębent opportuniſſimam. Si enim de pinguibus, & oleoſis ſermo ſit, ecquis neſciat difficile a Stomacho ſubigi, ejus fermentum, fibrarumque tonum infringere, nauſeam, & cruditates progignere optimum febris pabulum: Dulcia, & ſaccharina cum facile in ſtomacho aceſcant, & corrumpantur, cum ejus fermentum perverti, ac multipliciter vitiari contingit, tum Chylum impurum reddi, atque inquinari perſpicuum eſt, ut labes etiam ſanguini communicetur, unde ad capillares arterias citius cumulari cogitur febrili paroxyſmo renovando. Quod cum a craſſitie humorum, tarditateque ſit repetendum, quid ab acidorum uſu erit expectandum, in quibus cogendi, atque ſtimulandi vis maxime elucet? Silentio prætereo maxima detrimenta, quę in ęgros redundant ab uſu ciborum, quibus compactior eſt, & nimis arcta, ac rigida partium textura, cujuſmodi ſunt carnes vetuſtiorum animalium, aliaque id genus, quæ nonniſi difficilius a ſtomacho ſubigi, ac triturari poſſe, ac cruditates, & corruptelas gignere acceſsus febrilis anticipationi promovendę aptiſſimas lippis ęque, ac tonſoribus notum eſt plus, quam ipſorum digiti atque ungues.

A potu vini copioſo. Alimenta ſolida nec facile in ſtomacho ſolvi poſſunt, nec Chylus ad venas lacteas ſubeundas aptus confici, nec fluiditas ſanguini conciliari, niſi ſtomachi fermento humiditas accedat, quæ ſalinas ipſius particulas in ſolidorum alimentorum ſubſtantiam diffundat ad ipſam melius diſſolvendam, hinc commodiſſimus potionum uſus febre præſertim detentis, quibus plerumque infirmior eſt vis Stomachi, ac ſeroſarum partium defectus. Aquę tamen, non vini eſſe debent potus. Cum enim vinum, ut alibi docuimus (*n*) ſpiritu volatili ſulphureo, quo conſtat, & aciditate volatili, cum ſpiritus in validiores motus agat,

(*l*) *In Epid. lib.*
(*n*) *Aph. lib.* I. *cap.* I. *com.* 7.

agat, tum nervoſas partes vellicet, humoreſque, poſtquam exaltati fuerint, figat, ac condenſet faciliorem etiam congeſtionem in capillaribus arteriis promovet, earumque parietibus adheſionem, unde citior febris recurſus.

A ſomno initio prioris acceſſionis permiſſo. Mirum videtur ſomnum a quo ſpiritus & vires reſtaurantur, coctiones perficiuntur, humores contemperantur, ęgritudo obliviofe deletur, aliaque emolumenta in ęgros redundant (*o*) non ſemper eſſe permittendum tamquam noxium, & perniciofum: Hinc apte Hippocrates: *In quo morbo ſomnus laborem fecit*, *lethale*: ac Fuſchius experientia edoctus ei generi febris, quam ſudorem Anglicum nominant, ſomnum nocuiſſe, quamquod maxime, ſalubre conſilium Medentibus reliquit inter initia peſtilentis morbi ſomnum ægris eſſe fugiendum. Fugiendum etiam eſſe in principium acceſſionum facit potiſſimum ea ratio, quod febris difficilius ad ſtatum procedit, caput gravatur, atque cruditates ſic augentur ut cum totæ per inſignes excretionum vias educi non poſſint, & vitium ſanguinis augeant, celeriorem novæ febris reverſum promoveant.

Vel a motu celeri vehementique ſanguinis &c. Cum obſervationibus Paræi, & quæ extant in M. N. C. (*p q*) compertum ſit tertianas, quartanaſque febres contumaciſſimas ira profligatas, irę vero ſit peculiares in Cerebri fibras motiones inducere, quibus ſpiritus determinantur ad influendum celerius, ac vehementius in omnes muſculos, ac partes totius corporis, ac propterea ſanguinis curſum accelerare, ut corporis concuſſio, tremor, cordis palpitatio, pulſus vehementia, ac frequentia oſtendunt, experientia etiam conſtet a metu ingenti, a dolore aliquo inſigni alicujus partis, quibus circulatio ſanguinis augetur, nonnullas febre ſolvi, veritati minus conſonum videtur aſſerere, a motu celeri, vehementique ſanguinis febres citius recurrere. Si tamen diligenter attendas ad ea quæ ſubdimus: *dummodo congeſtio fermenti lentorifici non præpediatur*, nullus dubito, quin mihi concedas, quod volo, aſſertum ſi non veriſſimum id ſaltem eſſe quod ad veritatem propius accedit. Vel enim hoc eodem velociori motu inhibetur congeſtio fermenti febrilis, aut coaleſcens plane ſolvitur, vel contra. Si primum contingat, id jam difficilius congeri perſpicuum eſt, aut paroxyſmum febrilem ocyus redire, aut penitus extingui. Sin alterum cum accelerato ſanguinis curſu fermentum, quod cum reliquo ſanguine cordis ſemitas repetit, facile deferatur ad vaſa, quæ vel laxitate peccant, vel adſtrictione, vel ſimili vitio, febrem citius recurrere manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. (*r*)

XII. *Si his addatur firmum, & ſtabile vitium, aut totius ventriculi, aut ſiniſtri ejus orificii &c.* Animadverſione dignum eſt in iis febribus, quæ cum iiſdem affectionibus conſtanter recurrunt tempore a febre vacuo, ęgros conqueri de dolore, tenſione, obſtructione ventriculi, hepatis, lienis, capitis, aut alterius peculiaris partis, & cum febris paroxyſmus renovatur, eam potiſſimum partem dirius torqueri, quę intermiſſionis tempore plus minus laborat, argumento prope certiſſimo eam vitio aliquo correptam eſſe, quo fit, ut in febris recurſu vaſa ipſius ſanguifera magis, quam alterius aut diſtendantur, aut irritentur, aut alio modo afficiantur, quo opus eſt ad validiorem tremorem, triſtemque ſenſationem excitandam. Qua vero ratione fieri poſſe dicamus, ut hæc potius, quam alia vaſa afficiantur, niſi in hiſce potius, quam in aliis ſanguis ſubſiſtat, aut ſaltem maxime retardetur? Retardari autem, aut ſubſiſtere nullo modo poſſe cenſendum eſt,

(*o*) *Ibid. cap.* 3. *com.* 1.
(*p*) *Lib.* 1. *cap.* 23.
(*q*) *Dec.* 2. *an* 3. *ob.* 93.
(*r*) *Conf. aph.* 3.

eſt, niſi vaſa aut laxitate peccent, aut adſtrictione, aut obſtructione, aut alio ſimili vitio, quo ſanguis plus ęquo craſſus, ac lentus non ea celeritate ac proportione a venis auferri poteſt, qua per arterias advehitur, unde capillaria vaſa diſtendens, eorumque extremitates anguſtans, ita ſibi curſum impedit, ut a novo affluente majorem in modum diſtendi eadem cogantur, in validiores tremores agi, triſtemque ſenſationem pati. Si id igitur vaſis ventriculi accidat fieri minus poteſt, quin nerveæ fibræ, quibus eadem contexta ſunt inordinate, atque inconcinne moveantur. Quod dum fit contrahi inferiores contingit, contractas vero vim adverſus ſuperiores facere, hinc periſtalticum ejuſdem motum inverti, ac febrem cum vomitu ſupervenire. Si vaſis ſiniſtri ejus orificii multis nervis inſtructi, quod cardia dicitur, aut Meningum fibris idem eveniat, febrem dolore comitatam ab affectæ partis læſione denominationem ſumente, cardialgia ſcilicet, aut hemicrania recurrere debere tam notum eſt, quam quod maxime. (*ſ*)

XIII. *Si duplex ſit focus, ac ſedes lenti fomitis, cum accenſa febre &c.* Si compoſitæ febres eæ dicuntur, quę ex duabus ſimplicibus conſtant, quarum ſingula ſuum habet focum, ac ſedem, ſeu capillares quędam arterię, ut mox ante diximus in illis, aut laxitate peccant, aut adſtrictione, aut obſtructione, aut alio ſimili vitio, quo ſanguis craſſus, & lentus non ea celeritate, ac proportione a venis auferri poteſt, qua per arterias advehitur, unde capillaria vaſa diſtendens, eorumque extremitates anguſtans ita ſibi curſum impedit, ut a novo affluente ſanguine diſtendi majores rami cogantur, ac ſanguine turgere, his aut illis pluribuſque arteriolis accidere poſſe, ac propterea plures ſtatui focos, ac ſedes intermittentium febrium luce clarius apparet. Accenſa vero febre, ſolutoque ſanguinis lentore, has ipſas arterias validius, ac frequentius contrahi debere facit potiſſimum ea ratio, quod in his magis, quam in aliis ſanguis conſiſtit, ac retardatur, unde major earumdem diſtenſio contingit, nerveorumque filamentorum, quibus eorum tunicæ contextæ ſunt diſtractio validior, propterea velocior ſpirituum ad illas influxus, atque in vigore febris celerior, ac vehementior arteriarum contractio. Atque hanc philoſophandi rationem multæ confirmant obſervationes præclariſſimorum Medicorum Galeni (*t*) præſertim, & Avicennæ (*u*) qui inſeparabile quotidianæ, tertianæ, quartanæ aliarumque putridarum febrium ſignum velocitatem eſſe contractionis pulſus majorem, quam in Ephemeris, hecticis, aliiſque non putridis tradiderunt, quod non ad aliam cauſam, quam ad majorem ſtimulum, ac vellicationem arteriarum in febribus putridis, quam in aliis aptius retuleris. Et hunc quidem ſtimulum, ac vellicationem majorem eſſe debere in illis arteriis, quæ ſunt earumdem febrium foci, ac ſedes haud inficias ire auſis, ſi poſito tantiſper ſupercilio perpendas in his plus, quam in aliis ſanguinem retardari, ac ſubſiſtere, ideoque multo magis diſtendi, morderi, ac triſti ſenſatione affici. Quod magni momenti eſt ad aſſequendum illud alterum, quod eſt per ſe ſatis clarum, pulſum in febribus intermittentibus multo poſt finitum paroxyſmum ad naturalem rythmum redigi, quod animadvertiſſe viſus eſt jam Galenus (*x*) inquiens, in pulſu febrium intermittentium intermiſſionis tempore remanere receſſum aliquem a ſtatu naturali. Si enim præ majore ſtimulo affectæ arteriæ in vigore febris celerius, ac vehementius contrahuntur, cur finito paroxyſmo ad naturalem rythmum ſerius eædem non redigentur, quam aliæ, quæ nec diſtenduntur, nec irritantur, nec triſti ſenſatione afficiuntur?

(*ſ*) *Conſ. aph.* 4.

(*t*) 1. *de differ. feb. cap.* 2.

(*u*) *pr. ſen.* 4. *can. tract.* 1. *cap.* 2.

(*x*) 1. *de art. curat. ad Glaucon. cap.* 5.

Et in capillaribus unius arteriis ſanguis prius conſiſtat ea ratione , qua opus eſt &c. Ad hujuſce rei ſtatum melius intelligendum concipere oportet capillares arterias utriuſque foci , ac ſedis non eodem tempore adſtringi , obſtrui , aut alio ſimili vitio corripi , quo ſangis craſſus , ac lentus ea celeritate , ac proportione a venis auferri non poſſit , qua per ipſas arterias advehitur , ſed diverſo. Hac ratione contingit , ut arteriæ , quæ prius affectæ ſunt validius præ ſtimulo , ac celerius contractæ , & difficilius ad naturalem rythmum redeuntes impedimento ſint , quominus ipſis ſanguis denuo adhæreat , cum vero adhærere ipſis non poſſit , neceſſe eſt , ut in illis conſiſtat ; quæ poſterius adſtrictæ , obſtructæ , aut aliter vitiatæ ſunt , quæque alteram ſedem conſtituunt , ac focum febris ; & hæ rurſus pari modo in majorem ac celeriorem contractionem adactæ , eamdemque longius tempus ſervantes efficiant , ut idem plane eveniat primum affectis , & hæ rurſus , ut aliis , donec vitia ſolidarum partium , quæ febrium foci ſunt, ac ſedes auferantur , & pravis , corruptiſque humoribus per inſignes excretionum vias extra corporis confinia eductis , febris penitus extinguatur. (z)

XIV. *Si augeatur ſolidorum , fluidorumque vitium compoſitæ febris paroxyſmi omnes celerius recurrent &c.* Ad ſolidorum vitia ſpectat ductuum , emiſſariorum , atque organorum excernentium adſtrictio , obſtructio , aut alia ſimilis affectio , qua lentorificum fermentum aptari ipſis non poſſit , atque extra corporis confinia e ſanguine dimitti , vel glandularum conglobatarum , & viſcerum , qua in ambitu corporis , & ejus viſceribus locetur , vel ventriculi inteſtinorum , glandularum , & ductuum meſentericorum , hepatis, pancreatis , aliorumque ventris imi viſcerum, qua in ſanguinem inferatur, vel alicujus partis , viſceris, & membri , qua ſanguini ingeneretur. Ad fluidorum vitia craſſities pertinet , viſciditas, & lentor , auctus motus ſanguinis , vel contra nimis ſegnis , vel ejuſdem acrimonia. Cum igitur augeri ſolidorum vitium dicimus , augeri potiſſimum intelligimus ductuum , emiſſariorum , atque organorum , quæ excretionibus dicata ſunt, obſtructionem , adſtrictionemque, aut aliam ſimilem affectionem, qua major lentorifici fermenti copia in ſanguine retineatur , vel conglobatarum glandularum , & viſcerum , qua in ambitu corporis idem uberius locetur , vel ventriculi , aliorumque imi ventris viſcerum , qua eodem diſcuſſo copioſius ingeratur, vel vaſorum ſanguiferorum , qua uberius ſanguini ingeneretur , unde ſanguis ita alteretur , ut citius ad capillares arterias hærere cogatur ad febrem excitandam. Augeri vitia fluidorum tunc contingit , cum ſanguis magis craſſus , & lentus evadit , unde facilius capillarium parietibus adhæret, vel augetur ejus motus , unde febrile fermentum citius ad minima vaſa defertur , dummodo ejus concretio non præpediatur , aut coaleſcens jam plane ſolvatur , vel augetur ejus acrimonia , unde ſolidæ partes demorſę , atque irritatæ concitatam ſpirituum animalium , crebrioremque cordis contractionem excitent , ac febrem. (*a*)

XVI. *Si eodem remanente vitio fluidorum , unius foci vitium magis , quam alterius augeatur &c.* Obſervatio unius paroxyſmi citius redeuntis , alterius vero tardius apprime facit , ad confutandam illorum opinionem , qui intermittentium cauſam in ſolo vitio ſanguinis , humorumque conſtituerunt. Ut enim ſatis eſſet momenti in eorum argumentis , oporteret , tunc cum augetur ſanguinis vitium a cauſa aliqua externa , vel augetur ejus motus , vel nimis retardatur , vel augetur ejuſdem acrimonia , ut omnes ſimul paroxyſmi celerius recurrerent : tardius e contra , ſi vitium ſanguinis minueretur , vel moderatus eſſet ejus motus, vel temperata ejus acrimonia. Atqui unum celerius redire videmus , ſerius alterum ; reliquum eſt igitur, ut etiamſi remaneat idem ſanguinis vitium , nonnullæ

(z) *Conſ. aph.* 5.
(*a*) *Conſ. aph.* 6.

læ tamen partes, quæ intermittentium febrium foci ſunt, ac ſedes magis adſtringantur, obſtruantur, aut eo modo vitientur, quo ſanguis in capillaribus arteriis hærere citius cogatur, nonnullæ minus, unde difficilius ſanguis etiam ſubſiſtat, ideoque in priore caſu celerius paroxyſmus contingat, in alio tardius (*b*).

XVI. *Si primus paroxyſmus cum cardialgia invadat, ſecundus cum hemicrania ventriculi vaſis prima die affectis &c.* Si recte memineris eorum, quæ paulo ante diximus in præclaro phænomeno explicando, cur videlicet tertianæ duplicis inſultus primæ diei reſpondeat inſultibus tertiæ, inſultus ſecundæ recurſibus quartæ, nihil fere negotii faceſcet explicatio alterius æque nobilis, cur ſcilicet ſi tertiana duplex prima die apprehendat cum cardialgia, ſecunda cum hemicrania, tertia iterum cum cardialgia, quarta cum hemicrania revertatur. Quemadmodum enim capillares arteriæ unius foci, ac ſedis prius adſtrictæ, obſtructæ, aut alio vitio correptæ, quo ſanguis craſſus, ac lentus ea celeritate ac proportione a venis auferri non poſſit, qua per arterias advehitur, validius, & celerius contrahuntur, ac difficilius ad naturalem rythmum rediguntur, & hæc ipſa contractio longius tempus protracta impedimento eſt, ne ſanguis ipſis denuo adhæreat, ſed arteriis alterius foci poſterius adſtrictis, obſtructis, aut aliter vitiatis, ita ventriculi vaſa, quæ a lentore ſanguinis ipſis adhærente plus æquo diſtenſa, ac triſti ſenſatione affecta cardialgiæ occaſionem dederunt, præ ſtimulo validius, ac celerius contracta, ac difficilius ad naturalem contractionem redeuntia, quam cætera efficient, ut primo paroxyſmo non ipſis denuo adhæreat lentus ſanguis, ſed in capillaribus arteriis Cerebri, aut Meningum, uſque plus æquo diſtendens, graviorique ſenſu afficiens dolorem capitis, atque hemicraniam inducat. Finito ſecundo paroxyſmo cum ob eamdem rationem contrahantur Cerebri, & Meningum vaſa, & in ſuſcepta contractione diutius perſiſtant, ſanguinem in ventriculi vaſis primum affectis hærere oportere, finito tertio in vaſis item cerebri, & Meningum, ac propterea alternum Cardialgiæ, & hemicraniæ recurſum ſubſequi adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. (*c*)

XVII. *Mirum eſt alterantia, quæ temperando agunt febribus ſolum acutis, bilioſis, & ardentibus &c.* Cum febris motus in eum finem a natura inſtitutus videatur, ut pravi corruptique ſucci, ſanguinis maſſam conſpurcantes ſecernantur, atque per inſignes excretionum vias extra corporis confinia educantur, univerſa febris curatio in hoc potiſſimum ſita videtur, ut eorumdem conditiones ita corrigantur, ut ad ſecretionem e reliqua humorum maſſa, & excretionem e corpore diſponantur. Quod licet obtineri poſſit ipſa febrili commotione, ſi intra mediocritatis fines coerceantur, quod enixe curandum eſſe non paucis docuit Boerhaavius, ad fluidorum tamen craſim mutandam medicamenta conducunt, quam quæ maxime, quæ quidem ejus indolis in febribus ſunt eligenda, ut cauſæ pravam in fluidis conſtitutionem inducenti, & conſtitutioni ipſi jam indicatæ ſint oppoſita. Inter hæc principem obtinent locum alterantia. Correctio enim, & præparatio humorum alteratio communiter ſolet appellari, nihilque aliud eſſe videtur, quam mutatio in humores inducta, per quam ejus magnitudinis, figuræ, nexus, ac mobilitatis fiunt, ut vel in ſtatum connaturalem ſanguini commutentur, vel ab univerſali maſſa ſecreti qua data porta extra corpus eliminentur. Hæc porro in plures claſſes dividuntur, ac primo in temperantia, quæ febrilem æſtum, & calidas, bilioſas, tenues, ſulphureas, agilioreſque particulas in febribus acutis, bilioſis, & ardentibus compeſcunt, diluunt, refrigerant, & moderate adſtringunt. In horum cenſu veniunt decoctiones herbarum refrigerantium, aquæ ex iiſdem ſtil-

(*b*) *Conf. aph. ibid.*
(*c*) *Conf. aph.* 7.

ſtillatæ, ſyrupi ribium, berberum, aciditatis citri, emulſiones ſemin. frigidor. in regno vegetabili: in minerali vero nitrum, idque non ratione tantum acidi cujuſdam principii, quo blande refrigerat, ſed ſulphurei, aut ſalino volatilis, quocum Sanguis diſpergitur, & rareſit, unde ſulphureæ agilioreſque particulæ calorem facientes ab inertium vinculo ſolutæ facillime avolant, atque inde conſequens fervorem egregrie compeſcunt.

XVIII. *Quæ attenuando, & incidendo tardi, & lenti motus febribus opitulari &c.* Secunda alterantium claſſis eſt eorum, quæ ſpiſſitudinem humorum, tenacitatem, ac viſciditatem tollunt, idque acutis ſuis particulis ſanguinis penetrantibus, ac ſcindentibus, vel ſolidas partes ſtimulantibus, unde humorum circuitum augeri contingit, eoſque hac ratione fluxiliores reddi. In primis blande attenuant, ac blande incidunt decoctiones Scabioſæ, Eryngii, cichorei lupul. capillorum vener. & aliæ id genus, præſertim ſi calidiſſimæ, & copioſæ aſſumantur fluidiores partes in ſanguinem invehendo, quibus humorum maſſa nimis arcta, & compacta reſolvitur. Arabes olim frequenter utebantur ſyrupis multis, acetoſo ſimplici, de duabus, & de quinque radicibus & ſimilibus. Cum tamen ſaccharum ſal quidem dulcis ſit acidis figentibuſque particulis fætus, quæ volatiliore parte per ignem ſyrupos excoquentem amiſſa conſpicuæ fiunt, juſtus ſubrepit timor, ne dum humores attenuare velis, eoſdem magis infarcias, & glutines. Quæ detrimenta pervidentes Veteres Medici Galenus, Oribaſius, aliique a ſaccharatis medicamentis prorſus abſtinuerunt, oxymelite utentes, ſeu illo medicamenti genere dulci quidem, ſed quod ab aceti mixtione contemperatur, nullius tamen uſus, ſi cum juſculis, & decoctionibus herbarum aperientium conferas cum per ſe ſatis proficuis, tum ſtomacho amicis, & gratis.

II. *Sales fixi & lixiviales, & medii, qui tamen minus diligenter, aut dolo elaborati &c.* Attenuandi etiam & incidendi facultas ineſt ſalinis omnibus tum fixis, ut ſal tartari, & reliqui plantarum ſales lixiviales cujuſmodi ſunt abſynt. centaur. min. tamariſc. geniſt. agrimon. &c. tum mediis, ut ſal pol polychreſt. arcan. duplicat. tartar. vitriol. tartar. ſolub. terra foliata tartar. aliaque id genus a Chymicis æſtimata. Et ſane inficiari non poteſt bonas, ac laudabiles edi operationes, dummodo diligenter & quemadmodum oportet elaborati ſint. Secus enim ſi res habeat, dolores facile concitant, tormina Cardialgias, aliaque moleſtiſſima ſymptomata, quæ aut a ſpiritu vitrioli, qui in nonnullorum compoſitionem ſumitur turbido, & impuro dependent, aut a pſeudo Chymicorum fraudibus plus aluminis, quam tartari in aliorum compoſitione recipientium, unde contraria facultas ei, quæ aperiendi eſt, reſultat, vel ab æneis, cupreiſque vaſis, quæ minus caute adhibentur, quæque peſſimas æris, & cupri vires colore cæruleo, & viridi æris ſe ſatis prodentes, eiſdem communicant.

III. *Sales volatiles alchalici dubiæ virtutis in multiplici cauſarum numero, &c.* Inter ſales volatiles ſal volatilis cor cer. viper. urin. armoniac. liquor. corc. cer. ſuccinat. ſpirit. fuligin. eminent, iique ſpiſſos humores non ſolum acutis ſuis ſpiculis incidunt, ſed in ſolidas etiam partes agunt eas ſtimulando, humorumque curſum accelerando. Cujuſce rei conſideratio ſumma eſt habenda, ne dum humores attenuare velis, aut plus æquo commoveas, aut infarctus, concretiones, ſtagnationes, vaſorum rupturas; aliaque ſimilia mala excites. Quid enim ſi non in inerti, & mucoſa conſtitutione, ſed in coagulo inflammatorii indolem ſapiente quid ſi intempeſtive, & celerius quam par eſt, & minime præmiſſis iis, quæ humores ad fluendum diſpoſuerint, adhibeas? An viſcidi humores ad hærendum faciles hac ratione magis, magiſque infigi, ac remorari non debeant, viderint alii.

XIX. *Altera eſt abſorbentium claſſis, quæ in magna crudorum, viſcidorumque in*

primis viis hærentium copia &c. Quæ terreſtres partes in ſanguinem vehunt ad motum minus aptas, ideoque etiam ipſius motum, ac ſubſequentem diſſolutionem retardant abſorbentia communiter dici conſueverunt. Ejuſmodi ſunt alchalia præſertim fixa, uti ex marinis concharum omnia genera, matr. perlar. oſtrearum: ex animalibus lapis cancror. percar. teſtæ ovorum, mandibulæ lucii piſcis, oſſa animal. uſta cor. cer. uſt. corralla: ex mineralibus & ſubterraneis criſtal. montana, creta, oſteocolla, terræ omnes bolares, ut ter. ſigillat. bol. armen. & ſimiles. Quorum virtus agendi proxime in ſanguinem non adeo manifeſta eſt, ut in dubium revocari non poſſit. Potius credenda ſunt acorem, quo ſucci præſertim primarum viarum imbibuntur corrigere, a quo ſanguinis vitia proficiſcuntur. Quapropter verendum eſt, ne ſi in prima corporis regione maxima crudorum, viſcidorumque humorum copia reperiatur intra Stomachum concreſcentia oneri ſint, atque functionibus impedimento.

XX. *Ultima demum laxantium & emollientium, quæ ſæpius repetita ventriculi tonum laxant &c.* Solent plerunque in acutis, & malignis febribus ſpaſmodicæ muſculorum, & viſcerum contractiones, nervorumque tonici, & convulſivi motus ægros dire exercere. Eas porro tollunt, ac moderantur emollientia cum intus aſſumpta, tum extrinſecus applicata. Ejuſmodi ſunt mucilaginoſa omnia, ut radix altheæ, lilior. albor. malv. folia item malv. alth. parietar. flor. chamomil. qui diſcutiendi etiam vim habent, ac nervis amici ſunt: ſemina lini, fænugræci, cytonior. pſylii, & mucilagines: oleum amygd. dulc. recentiſſimum, lini, commune infuſione ſimplici alteratum, adipes, axungiæ, aliaque innumera: in quorum tamen uſu cavendum eſt, ne ventriculum, aut alias partes relaxemus ſic, ut earum tonus labefactetur, quod ubi contigerit difficillimum eſt eos ad priſtinum eutoniæ ſtatum redigere, ac perverſos humorum motus, ac depurationes reſtaurare.

XXI. *Venæ ſectio in febre cum inſigni effervеſcentia, æſtuque ſanguinis comitata &c.* Indicantia venæ ſectionis plurima ſunt: primarium eſt arterioſi venoſique copia, quæ vel abſoluta eſt, & vera, vel comparativa, & apparens. Si materia ſanguinis arterioſi, & venoſi augeatur, abſoluta erit, & vera: ſi materia non aucta augeatur ejus moles, hoc eſt ſanguis vel orgaſmo nimium rareſcat, vel conſuetam menſuram excedens ratione conſuetudinis moleſtiam in delicatioribus faciat, apparens. Alterum eſt ſanguinis ſpiſſitudo, quæ nimiam pariter diſtenſionem vaſorum parit, qua eorum fibræ infirmantur, tum congeſtio humorum in certis quibuſdam partibus, & inflammationis in aliquo viſcere periculum, denique hemorrhagiæ urgentes. Si adſit plethora vera, aut apparens nullum præſtantius remedium venæ ſectione. Cito enim imminuitur ejus copia, quæ viribus eumdem moventibus reſiſtebat, quaque vaſorum tunicæ nimium diſtractæ ad ſeſe reſtituendum erant ineptæ, quo fit ut ſanguinis curſus acceleretur, ſecretionesſque omnes, atque excretiones promoveantur, unde fluidiorem ſanguinem fieri neceſſe eſt, hærentem dimoveri, ejuſque partibus ob ampliorem locum, non ita ſe mutuo prementibus, elidentibuſque calorem, fervoremque compeſci. Quæ emolumenta in aliis auxiliis quærere ſtultum eſt. Non in inedia certe. Tardiſſima enim eſt ipſius operatio, ſi experimentis Cl. Sanctorii fides habenda, qui duodecim horarum ſpatio duas ſanguinis libras decedere teſtatus eſt, cum venæ ſectione inſtituta momento fere temporis evacuentur, ut ſilentio prætercam volatilibus, ac tenujoribus partibus per tranſpirationem exhalantibus, ſalinas, craſſas, ac terreſtres relinqui, quibus ſanguinis craſis, ac temperamentum facile labefactatur. Non in motibus, & exercitationibus; acceleratur enim ſanguinis curſus, ejuſque rareſcentia, & orgaſmus concitatur, atque exalantibus ſeroſis tenuioribuſque partibus, facile in coagulum abit inflammatorium. Non in emeticis,

cis, catharticis, diaphoreticis, diureticis, quibus ſolidæ partes extimulari ſolent, ſanguinis maſſa exagitari, ſpirituoſum, ac roſcidum ſerum abſumi, unde rupturæ vaſorum, aut majores ſanguinis orgaſmi, aut virium proſtratio inſignis. Si ſanguinis ſpiſſitudo peccet, imminuta ſanguinis mole, imminuitur etiam reſiſtentia, quam viribus illam moventibus illud ipſum vitium afferebat, unde cordis, arteriarum, & partium, intra quas ſanguifera vaſa excurrunt fibris validius, & promptius ſe contrahentibus reliquam ſanguinis maſſam celerius, ac validius moveri contingit, cohærenteſque particulas a ſe invicem ſegregari, a vaſorum anguſtjis excuti, dividi, attenuari, ac naturalem ad fluendum promptitudinem nanciſci. Si hæmorrhagiæ urgentes, præterquamquod plenitudo tollitur, a qua vaſa diſrumpuntur, illud etiam accedit, ut ſanguis, qui a corde quaquaverſum æqualiter propellitur minorem inveniendo reſiſtentiam ad eam partem, in qua ſecta eſt vena, ad eam etiam, quam ad reliquas omnes velocius fluat, atque inde conſequens ejus motus a parte, unde immodice fluit, avertatur. Nil vero frequentius accidit, quam ut febre detentis propter ingentem commotionem, & efferveſcentiam maſſæ ſanguineæ ebullientis, & æſtuantis, aut propter inflammationis periculum ſit vena ſecanda: quarum rerum inditia ſumi unuſquique facile intelligit ab æſtuante corpore, a lingua exuſta, cuti ſicca, calore acri, & mordaci, pulſu magno, & frequenti, urina parca, & coloris intenſe rubri a pectoris anxietate, difficili reſpiratione, cephalalgia, & dolore gravi lumborum, delirio in ægro juvene, & robuſto, temperamenti ſanguineis habitus pleni. Quibus quidem apparentibus providi conſilii eſt ad phrenitidem, aut inflammationem aliquam cum maximo patientis periculo præcavendam, venæ ſectionem inſtituere. Si contra aut nimii lentoris ſanguinis, aut diſſolutionis inditia ſe prodant in ægro debili, puero, vel ſene, ecquis ſe tuto venæ ſectionem, niſi ab urgentiſſimo aliquo ſymptomate indicetur, inſtituere poſſe confidat? Autumno certe ob ſanguinem volatilioribus particulis æſtate copioſius abſumptis magis orbatum, aut parce admodum, etiamſi æger juvenis fuerit, & robuſtus, aut non mittendum, ſi puer fuerit, aut ſenex æger, monitum reliquit Sydenhamius.

XXII. *Emetica quando pravos corruptoſque ſuccos ventriculi cito, & breviore via educere expedit.* Per vomitum non ſolum res ventriculo ingeſtæ, humoreſque in eo progeniti, ſed etiam bilis, & ſuccus pancreaticus, aliique ſucci ex tenujum inteſtinorum glandulis emuncti, atque in ventriculum rejecti per ſuperiora educuntur. Sic univerſalem quamdam expurgationem fieri veterum humorum credendum eſt, atque novis purioribus, mitioribuſque ad expurgatos loculos viam ſterni. Simul ac oris amaritiem, fętiditatem, pravumque aliquem ſaporem, præcipue matutino tempore, cibi faſtidium, nauſeam, aliaque inde ſubſequentia incommoda, ructus, morſus ſtomachi, vertigines, dolores capitis deprehendunt nonnulli, non ad ſuſpicandum, ſed ad credendum vehementer adducuntur, ventriculum, & adiacentes partes pravis corruptiſque ſuccis onuſtas eſſe, eoſque cito, & breviore via educendos, ne ſanguinis maſſam per vias lacteas ſubeuntes, eamdem contaminent, lentiſque febribus quotidianæ, quartanæ, malignæque indolis materiam præbeant convenientiſſimam, quam jam exturbari repetitis vomitionibus teſtatur Etmullerus, aut Chylum inficientes contumaces, & periculoſas diarrheæas circa fines, & declinationes febrium promoveant. Clariſſimi fere Sydenhamii conſilium eſt, qui non ſolum circa febrium initia, ſed quovis tempore, ſi quando tardius ad ægrotantem properet Medicus, vomitum imperare non dubitavit, dummodo ejus vires ferendo emetico pares noverit. Quod poſtremum diligenter eſt animadvertendum, ne quod ait Celſus: *vomitum ægris non ſemper prodeſſe, ſemper ſanis nocere* ab opinione deſiſtere faciat: multo minus quod a Valeſio opponitur, offici Stomacho, & patientis vires frangi.

gi. Quid enim ſi ægro ad vomitum bene comparato exhibeantur emetica, ad vomendum proclivi, viſcera ſatis robuſta habenti, vaſa libera, thoracem amplum, & collum mediocre, caput firmum, eaque non valentiora ſint, quæ acribus cauſticiſque particulis in Stomachi fibras violentos ſpaſmos inducunt, liberalius vero adhibita in viſcera, & glandulas hepatis, pancreatis inteſtinorum meſenterii ſæviunt, unde bilioſos, & lymphaticos ſuccos violenter proliciunt, atque in univerſum nervorum ſyſtema debacchantur; ſed mitiora tantum, quæque blandius vomitum provocant, nec ventriculi fines prætergrediuntur, cujuſmodi ſunt Oxymel ſcilliticum eximii etiam uſus in aſthmate, & epilepſia, radix aſſari adverſus viſcerum obſtructiones ab Helmontio commendata, & Ipecuacannæ adverſus Dyſenteriam, ut alibi demonſtratum eſt. (*d*)

XXIII. *Purgantia in meſentericis febribus, iiſque quæ ab apparatu crudorum humorum in primis viis &c.* Purgantia non promiſcue, nec ſine delectu uſurpanda eſſe alibi oſtendimus: fortiora vero ob ſalem cauſticum inflammatorium indolis virulentæ penitus proſcribenda: non lenientia tamen, quæ in febribus meſentericis, & ſyncopalibus, ut ajunt, humoroſis, & in iis, quæ ab apparatu crudorum humorum, & putri cachochylia in primis viis, & meſenterio originem ducunt, dummodo vires conſtent, tantum abeſt, ut noceant, ut ad eaſdem tuto feliciterque debellandas ſint efficaciſſima, ſi quæ alia. Et ſane cum excrementitii humores primis viis adhæreant, qui coctiones, excretioneſque impediunt, cum hepatis, pancreatis, & meſenterii infarctus adſunt, quænam commodior via ad eoſdem expurgandos, quam inteſtinorum canalis, cum quibus communicant? Dummodo, inquam, vires conſtent, quarum ſtatum noſſe magni refert, cum in multis ſi deficiant, & exſolvantur, alii in mortem, alii in vitæ periculum facile conjiciantur. Quapropter ſalubre practicorum conſilium in ſyncopali febre, quam vocant humoroſam, ad ſyncopis frequentiam diligenter attendendum, & ubi perpetuo fere præſens fuerit, a purgante medicamento utcunque leni abſtinendum, ne in mortis diſcrimine imbecilliorem ægrum conjiciamus. Cujuſce rei ſolliciti Veteres Medici Hippocrates, Galenus, quem poſtea Capivacius, Mercatus aliique ſequuti ſunt, non prius medicamento purgante utebantur, quam tenacem humorem Syncopem facientem incidentibus, & ſubtiliorum partium remediis nonnihil devincerent, aut ventriculi os ante præſidiis confortantibus corroborarent.

XXIV. *Diuretica ſolum diluentia, & ſalina in febribus viſa ſunt convenire: ſalino acida, & fixa in ardentibus.* Quæcunque ſeroſi laticis copioſum proventum efficere valent, cujuſmodi ſunt copioſæ potiones, præſertim ſalinis ſulphureiſque partibus imbutæ diuretica facultate donantur. In diureticorum cenſu referenda ſunt etiam, quæ ſanguinem attenuant, ejuſque craſſiores partes incidunt, atque reſolvunt, quod ſales potiſſimum præſtant: Hi enim ſanguinis partes incidendo ſeri copiam augent, ſerum ipſum ſibi ajunt, atque a reliquis partibus ſecernunt, ac renalibus glandulis aptant. Salina vero alia ſunt acida, ut ſucci limon, citri oxalydis, ſpiritus ſalis, nitri, ſulphuris: alia alchalica, ut oculi, & chelæ cancrorum, lapides perlarum, aliique ſales, qui ex cineribus quarumdam plantarum eliciuntur, aliaque ſimilia: alia ex acido, & alchali fixo, & volatili componuntur, ut nitrum, cujus ſupra meminimus; quodque blandiſſime quidem attenuando, ſed ſimul ſanguinis motum compeſcendo, fervoremque temperando agit, unde ſeroſi laticis a reliquarum partium vinculo ſeceſſus, atque renalibus glandulis, tubuliſque applicatio, atque propterea urinæ ſecretio promovetur: alia ſulphurea. Quamquam hæc ſanguinem agitando, & inde ejus partes comminuendo ſeri quidem majorem copiam faciunt, ſed niſi motus iſte ſedetur, & niſi ſubtiliorum partium exhalatio per poros cutis prohibeatur, cum ſeroſæ partes cum aliis

(*d*) *Cap.* 3. *lib.* 3.

aliis arcte commixtæ, tenujoreſque factæ ad cutis glandulas deferantur, ſudori promovendo ſunt opportuna. Alia acria ſunt in antiſcorbuticis præſertim plantis, & hiſce affinibus conſpicua, quæque non ſolum ſanguinis moleculas ad eam magnitudinem, ac figuram redigunt, attenuando, ſolvendo, ut renalium glandularum poris apte reſpondere poſſint, ſed etiam ſolidas partes in crebriores, vehementioreſque contractiones ſollicitant: alia mixta ſunt, & in quibus ſulphureæ partes cum ſalinis arcte commixtæ ſunt, & propterea ſanguinem commovent, exagitant, unde calida etiam dici conſueverunt: inter quæ mitiora eminent, veronica, hedera terreſtris, hypericon; magis vero calefacientia radix petroſelini, apii, fœniculi, gummata reſinoſa, therebintina, balſamum de Copaiba, & ſimilia. Ob hanc varietatem non tam febribus quam aliis morbis medentur, ſcorbuto, affectioni hypochondriacæ, menſium ſuppreſſioni, ictero, cachexiæ, hydropi, aliiſque morbis. In febribus vero ſolum ſalina convenire facit potiſſimum ea ratio, quod ſulphurea, quæque exagitando, ac nimis commovendo operantur calorem inſignem facile excitant, ſpirituſque animales in eas turbas adigunt, quibus placida exoptanda tranquillitas conciliari poſtea difficillime poteſt. Cum vero aliis ſal acidus, aliis alchalicus, aliis volatilis, vel utroque principio compoſitus baſim præbeat, ad conditionem ſanguinis diligenter attendendum eſt, ut rectus diureticorum uſus in febribus inſtituatur. Cum in ardentibus febribus bilioſa peccet intemperies, ſeu ſulphureæ, agilioreſque particulæ ſint majorem in modum exaltatæ, nemo eſt qui non videat, ubi urinæ ciendæ ſint, ad blandiora acida nitroſa, atque alchalica confugiendum eſſe, quæ nimium motum, ac volatilium acriumque particularum libertatem compeſcunt, perque renum tubulos ſecretionem cum ſeroſo latice promovent. Cum in lentis, e contra, & a craſſo viſcidoque oriundis, iis opus ſit, quæ ſanguinis principia ſolvunt, & quod lentum eſt abſtergunt, hinc ea omnia, quæ volatili, & lixivioſo ſale gaudent optimam edunt operationem.

XXV. *Sudorifica mitiora ſolum coctionis ſignis apparentibus, nec repugnante natura &c.* Diaphoretica a ſudoriferis diſcrepant, quod ea ſanguinis motum accelerando, tenuitatem, fluiditatemque eidem conciliando, ejus curſum, per exiliſſimos quoſque corporis meatus promovent, & forma inconſpicui halitus ſanguinis excrementa diſcutiunt, hæc vero per tubulos cutis conſpicuo madore extrudunt. Utriſque vero ſanguine in tota ſua craſi depurato, ac volatilibus, actuoſiſque partibus ejus maſſam ſubeuntibus non ſolum proximam ſpirituum materiam, ſed ipſos revera augeri contingit, hinc languentes corporis vires mirifice recreari, unde eximius iſtorum uſus in febribus. Multiplex autem eſt eorum genus, & varia operandi ratio. Sunt in primis nonnulla, quæ alchali copioſo abundant, uti Card. S. Scabioſa, radix angelicæ, imperatoriæ, petaſcitidis, dictami, valerianæ, contrayervæ: eiſque ſanguinis maſſa exagitatur, ac rareſit: Sunt etiam ſales omnes volatiles, uti cor. cer. urinæ, ſanguin. humani, viperæ, & ſimiles: hiſque ſanguinis partes attenuari, eorum compagem ſolvi, univerſam maſſam rareſcere, ejus curſum accelerari perhibetur. Sequuntur olea omnia deſtillata, & concreta ſulphura, uti camphora: demum multa ligna ſudorifera, quæ qua exagitando, qua penetrando, qua reſolvendo, qua fixiorem omnem acorem corrigendo operari communiter reputantur. Valentiora tamen hæc ſudorifica præterquamquod in quibuſdam morbis, nec ſine ſumma prudentia adhibentur, in acutis vero cane pejus & angue ſunt proſcribenda. Suapte enim natura calida, ſeu acribus, ac ſtimulantibus particulis prædita humorum orgaſmum, atque æſtum, ſolidorum vero irritationes augendo, aut eoſdem ſæviores reddunt, aut ægrum in vitæ periculum conjiciunt, ut Rolfincius præ cæteris teſtatus eſt. Mitiora igitur ſolum diaphoretica in febribus ſunt eligenda, ſeu quæ ſanguinem ad diaphoreſim diſponunt

ſen-

ſenſim acorem, quo ſucci præſertim primarum viarum imbibuntur corrigendo, a quo ſanguinis denſitas, & arctior compages oriebatur. Ejuſmodi ſunt in primis, quæ hortus, & ager afferunt, uti Card. bened. ſcabioſa, fumaria, bellis minor, flor. ſambuc. bugloſ. borragin., & ſimilia: deinde Animalium oſſa cor. cer. uſt. ac philoſ. p. p. dentes apri, aliaque omnia cruſtacea dicta, ut ea mittam, quæ licet diaphoreticorum titulo inſignita, aut magni nominis, quæque grandi pecunia vendi ſolent, uti ſunt antimon. diaphoreticum, lapis bezoar, hyſtricis, ad ſolam tamen dyſcraſiam ſeroſam, & acidam humorum in primis viis corrigendam calcis ad inſtar ſalibus orbatæ ſunt opportuna. (*f*) Verum non ſolum ad febris conditionem attendendum in diaphoreticorum uſu, ſed illud ſedulo, & accurate inquirendum, num peccans materia fuerit ad excretionem per poros cutis diſpoſita, quod plerunque coctionis ſignis apparentibus contingit, numque natura ad illam inclinet. Secus enim incongrue humores exagitantur, aut ſudor nullius efficaciæ, & ſummo cum incommodo elicitur.

XXVI. *Solius Chi. Chinæ pulcherrima laus eſt intermittentes omnes, etiam quæ continuæ &c.* Inter febrifuga celebratur, & eminet Cortex Peruvianus, qui vulgo appellatur China Chinæ, ſeu Quinquina. Eſt autem cortex arboris cujuſdam a nullo adhuc accurate deſcriptæ, licet plurimi de ea ſcripſerint, ut refert Cl. Geoffroii, (*g*) ſi illam deſctiptionem excipias, quam in ſolemnibus Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis comitiis anni 1738 ex Regno Peruviano a D. del a Condamine ejuſdem Academiæ Socio ſibi miſſam legit D. Dufaii ejuſdem Academiæ, quamque ne repetendo longiorem faciam, aut obſcuriorem libens prætermitto. Sponte autem naſcitur in Amæricæ meridionalis regione Peruvia dicta, præſertim prope Loxam, ſeu Lojam in montibus, qui hanc Urbem cingunt ſexaginta leucas ab Urbe Quito diſſita, ſingulari D. O. M. providentia, ut quo in loco intermittentium febrium Epidemia eſſe ſolet, ibi latius Medicina pateret. Vis febrifuga hujus corticis multos ante annos Indis nota centum & quinquaginta ferme annis poſtquam maxime illuſtris Chriſtophorus Columbus hanc Mundi plagam primum detexerat, nempe uſque ad annum Salutis 1640, aut ex odio Indorum erga Hiſpanos concepto de induſtria celantium, aut Hiſpanorum culpa feraciſſimas ſolum divitias deliciaſque conſectantium, nobis abſcondita, donec quidam Hiſpanus Loxæ Præfectus, ut refert citatus D. Geoffroii, & Badus (*h*), & de quodam Amæricano bene meritus, ab eo gratitudinis cauſa hocce remedium accepit: Paulo poſt cum in Urbe Limenſi Regni Peruviani metropoli uxor Pro-Regis, qui tum temporis erat Comes Del Cinchon febre tertiana ſæviſſima laboraret, ac rumor per Urbem ad Loxam uſque per finitima loca perveniſſet, Præfectus corticem arboris miſit, ſpondens per litteras ejus ope illico convalituram. Cum cortice præparato ſumpto Pro-Regina feliciſſime convaluiſſet, magnam ſibi copiam tranſmitti juſſit, cumque arcani titulo pulveris Comitiſſæ inſignito febre laborantibus felici cum ſucceſſu exhiberet, per Civitatem Limenſem totamque Amæricam Hiſpanicæ ditioni ſubjectam inclaruit, quam quod maxime. Functo Pro-Regis munere diſcedente ex India Comite del Cinchon circa annum 1632, ubi in Hiſpaniam reverſus eſt, magnam ejus copiam ſecum attulit, & cum ægrotantium, quibus propinabatur votis ſemper fama reſponderet, magnam in omnibus, & ubique admirationem commovit. Circa annum ſalutis 1649 cum Pater Provincialis Societ. Jeſus ex Amæricanis regionibus in Italiam redux ad generalem totius Ordinis conventum magnam corticis copiam invexiſſet, & plurimis ejus Ordinis fratribus ex diverſis Mundi regionibus Romæ congregatis dono dediſſet,

(*f*) *Conf. cap. 3. com. 16.*
(*g*) *Mat. med. p. 2.*
(*h*) *Anaſt. cort. Peruvian.*

ſet, nec non etiam Cardinalis de Lugo propriis ſumptibus illud procuraſſet, ut Religioſis, & pauperibus Romæ gratis diſtribueretur, pulvis Patrum, pulvis Cardinalis de Lugo nuncupabatur: ex quo factum eſt, ut cum unuſquiſque hoc ſpecifico medicamento intermittentium febrium curationes feliciſſime inſtitueret, ejus fama totam Europam pervaſerit, multoque citius pervaſiſſet, niſi partim inſcitia, partim invidia, & avaritia Medicorum obſtitiſſet. Nam præterquamquod nonnulli veteri humorum ſenſibilium, & qualitatum hypotheſi obcæcati pervidentes nimis cito, & abſque ulla uberrima evacuatione ſæviſſimas febres cito profligatas, & moleſtum aliquod ſymptoma, aut recidivam ſubſequi, id omne novo, atque exotico objiciebant; multi etiam in Anglia præſertim ejus famam, ut refert Mortonus dolo malo obruere, & quantum illis fas fuit e medio tollere conati ſunt, verentes, ne hoc facili remedio brevi extincta febre, cum ipſis ægrorum crumenas exhauriendi occaſio deeſſet, poſſeſſionem ſuam omnem amitterent. Quamquam non defuerunt docti etiam probique Medici, qui animadvertentes ægrotos uſu corticis curatos in eamdem febrem paulo poſt relabi ad ſuſpicandum vehementer adducti ſunt, non illud eſſe remedii genus, quod tutiſſimum æque, atque efficaſſimum dici jure merito poſſit, ejuſque propterea uſus accedentes non modico pretio, quo vendebatur paulatim obſolevit, donec anno *1679* Robertus Talbot eques Anglus nova introducta corticis exhibendi ratione audacique doſi, quæ ad libras aſcendebat, ea ratione imminuta, quam minus abhorrerent ægri, aut formidarent, neque minus feliciter curari poſſent, magnam famam ſibi, & remedio, quod Anglici nomine circumferebatur in Gallia conciliavit: eaque poſteaquam Ludovici Magni Galliarum Regis diligentia, ac providentia factum eſt, ut quam præparandi rationem Eques ſibi arcanum ſervabat, omnibus perſpectius, clariuſque innoteſceret, ſic increbuit apud Europæos omnes, ut quæ ante in pretio, & uſu fere aſſiduo habebantur febrifuga, propemodum viluerint. Etſi gentianæ radix, centaurea minor, abſyntium, chamædris, fraxinus, & aurantiorum cortices, & aliæ amari ſaporis plantæ pro ſpecificis febrium remediis venditentur, tarda nihilominus, lenta, impar, & ſæpe iners, & nulla eorum actio deprehenditur. Promptas, & citas, & quod pluris eſt, ſi legitime uſurpetur tutas curationes efficit Peruvianus Cortex, qui propterea in debellandis febribus ſpecificum omnium præſtantiſſimum jure habetur, ſi modo in certis febrium differentiis exhibeatur, & convenienti methodo adminiſtretur. Si enim in qua febre minus proficitur, aut aliquod moleſtum ſymptoma ſubſequitur, non ad corticis uſum eſt referendum, niſi forte a nonnullorum fraudibus adulteretur, aut effœtus ſit, ſed ad male utentium vitium, & levitatem. Ad Febres quod attinet, falluntur ſummopere, qui ad omnes generatim febres ejus uſum extendunt. Continuæ certe continentes dictæ ei non obediunt, niſi a principio intermittentes progreſſu temporis continuæ factæ ſint, ſeu continuæ per ſubingreſſum paroxyſmorum, & ad continuas acutas & malignas tendunt. Cum autem eædem febres aut inflammatoriæ ſunt, & ſimpliciter acutæ, & continuæ eſſentiales, licet periodice recurrentes, in quibus aliquid ineſt, quod ſanguinem ſubiens, aut eidem ingenitum ipſum corrumpit, & vitiat, ſymptomaticæ etiam a viſcerum labe, infarctu, ulcere prodeuntes a corticis uſu ſæpenumero magis efferantur. Quamquam in morbillis, & variolis tempore declinationis, cum febris, ut ait Mortonus, poſt veneni morbidi eruptionem adhuc perſeverat, & continuæ remittentis typum jam obſervare incipit, felici cum ſucceſſu exhiberi, ipſe præclarus vir teſtatus eſt. Æque feliciter curare febrem putridam remittentem, vel intermittentem, quæ peripneumoniæ, aut pleuritidi ſuccedit, aut quæ empyema, aut pulmonum exulcerationem comitatur, & in quam febris inflammatoria ſæpe tranſmutatur ipſe D. Geoffroii affirmare non dubitavit, immo ſi cum pectorali-

bus,

bus, balſamicis, & abſtergentibus medicamentis conſocietur, febrem prorſus extingui, pus excerni, atque ſanari, atque Mortonus ipſe phtiſicos jám deſperatos frequenti corticis uſu ſe eo facile duxiſſe, ut non in perfecta valetudine, ad plures tamen annos vixerint a febre immunes, & conſuetis muneribus obeundis idonei, haud dubie aſſeruit. Quicquid tamen præclariſſimi viri prædicent de eximia hac corticis facultate, niſi eorum benevolentiam amittere periculum ſubeſſet, qui Scriptoribus magnis, & doctis ſerviunt ſimultateſque graviſſimas ſubire, cum remedium ſimilibus fere in caſibus inutilem prorſus, atque interdum noxium deprehenderim, aut bona corticis opinione adductos ei plus tribuiſſe traderem, quam par eſt, aut obſervationibus deceptos. Ecquis enim eſt, qui aliquid operæ in medicis ſtudiis poſuerit, quin plane intelligat, quam difficile ſit febrem in Empyematicis, phthyſicisque confirmatis prorſus extingui, pus verum per os penitus abſumi, pulmonum ulcus perfecte coaleſcere, ac ferruminari? Deinceps ecquis neſciat juniores phthyſicos in mortis diſcrimine prope certiſſimo verſantes neſcio quo facto ab Orci faucibus ereptos, etiamſi corticem profligandæ febris cauſa non adhibuerint, ad extremam uſque ſenectutem perveniſſe? Quod monere volui, non ut ex illorum exiſtimationis detrimento, mea creſceret, ſed quod intelligo pro officio, & amore veritatis longe aliter mihi eſſe loquendum. Intermittentium enim eſſentialium ſphæram prætergredi non videtur Peruvianus cortex, quarum nomine deveniunt, quæ non occaſione alterius præexiſtentis morbi, ſed a propriis eſſentialibus cauſis proficiſcuntur, cum horrore frigore, atque rigore, & intervalla inter Febriles recurſus a febre vacua, aut cum manifeſta febris remiſſione ſortiuntur, atque ex eis quidem aliæ benignæ ſunt, utpote a quovis gravi, & pernicioſo adjuncto disjunctæ, alias vero truculentum aliquod, & interdum lethale ſymptoma comitatur, a quo pernicioſæ peracutæ, malignæ, & lethales fiunt. Plurimi etiam intereſt ad capiendam corticis adminiſtrandi occaſionem probe internoſcere, ac notare ſimplices febres, ſive unius circuitus, & ex pluribus circuitibus compoſitas, intermittentium genus, & naturam ſervare, dum veſtigia retinent horroris, aut frigoris cum ſenſibili aliqua intermiſſionis, aut remiſſionis nota, ſed etiam cum per mutuum periodorum ſubingreſſum ſublata intermiſſione in ſubcontinuas migrant. Quo in caſu adhuc intermittentibus adſcribuntur, & ſubcontinuæ de genere intermittentium ratione originis dicuntur. Sed de his etiam infra dicemus in particulari febrium intermittentium tractatione, in qua convenientem etiam corticis exhibendi methodum perſequemur.

Nunc urinas ciendo, nunc ſudorem, nunc ventris ſolutionem, nunc ſputum, nunc tranſudationem. Febrifuga, antifebrilia græcis antepyretica proprie dicta ea communiter antiquitus credebantur, quæ ſemel aut bis propinata ſola alteratione citra ſenſibilem evacuationem certo agendi modo febrium tum continuarum remittentium, tum intermittentium acceſſiones, ac paroxyſmos arcent, eorumque viſus eſt meminiſſe Hippocrates (*i*) inquiens: *Ubi in febre tertiana impurgatum ſit corpus, quarto purgandum, & ſi cathartico non egeat, in ſtatu ea medicamenta exhibenda ſunt, quibus febris, aut tranſmutatur, aut deſinit, ut in medicamentis deſcriptum eſt*: hæc autem medicamenta hanc habent facultatem juxta ipſum Hippocratem (*k*) ut corpora in conſueta caliditate, & frigiditate ſuo loco conſiſtant, neque præter naturam incaleſcant, neque refrigerentur. Hac ratione recepta febrifuga a venæ ſectione diſtingui, ab emeticis, a purgantibus, quibus aliquando bis, aut ſemel inſtitutis, ſed cum ſenſibili evacuatione febris jugulatur, atque extinguitur. Hanc quidem imbibiſſe ſententiam Veteres humorum ſenſibilium, & qualitatum hypoteſi obcæcatos, quibus febrifugorum facile princeps cortex Peruvianus ignotus fuit, mirandum

(*i*) *Lib. de affect. tex.* 18.
(*k*) *Ibid. tex.* 2.

dum non eſt. Mirandum magis eſt ab eo tempore, quo primum uſurpari idem cœpit ad hanc uſque diem eamdem noſtrates retinuiſſe; atque ejus ope intermittentes febres pelli abſque ulla excretione, & criſi pugnaciſſime ſuſtinere. In his tamen ſive refellendis, ſive accuſandis multorum expertiſſimorum Medicorum voluntas non defuit, atque Hyppoliti Franciſci Albertini ſolertia plurimum enituit (*l*). Nullam enim prorſus extinctam febrem per corticem Peruvianum vidiſſe ſe affirmat ſine excretione aliqua, & criſi diverſa in diverſis hominibus, firma tamen, & conſtanti, hinc interdum urinam, alias ſudorem, quandoque ventris ſolutionem, interdum ſputum, ſæpe tranſudationem. Et quamvis nonnulli perfecte ſanati videantur abſque ulla inſigni ſenſibili evacuatione, conjicere licet eamdem tardiſſime ſuperveniſſe, & poſtquam æger plane convaluiſſe viſus eſt. Qua de re factum eſt ut plerique Medicorum obſervandi diligentiam eo uſque adhibentes, dum morbi ægros exercent, non amplius, nullam ſæpe a cortice ſequutam criſim judicent. Quid quod in nonnullis inſenſibilis perſpiratio augeatur, ſuppleatque ſenſibili, ut Cl. Geoffroii ſuſpicatus eſt? Si id forte contingat, febrem revera extingui: Si e contra res habeat, potius ſopiri haud dubie affirmat: hinc imbecillam eſſe ægrotantis valetudinem, vires languentes, appetitum proſtratum, donec febris regrediatur, aut hydrops, aliuſve affectus cachecticus ægrotantem invadat, aut abſceſſus in aliqua parte corporis producatur, ut cum Friderico Hoffmanno, & Jacobo Chifletio adverſus Mortonum, alioſque alibi a nobis demonſtratum eſt (*m*). Quod plane congruere videtut cum gravibus quibuſdam halitibus, cum odore tam fœdo, ut nares non ſolum feriant, verum etiam ſtomachum quandoque moveant, quos loco criſis haberi laudatus Albertinus teſtatus eſt. Quænam enim febres, inquit ipſe; quæ ſine excretione aliqua ſolvantur, & criſi? Adeo verum eſt febres omnes cum excretione aliqua ſolvi, ut ne febres quidem, quæ a veneno naſcuntur, aut a myaſmate, & halitu peſtifero, & maligno, & ſerpentum morſu (neque deſunt, qui ſucci corruptionem, unde febres oriuntur cum veneno conferant) nec illæ, quæ per coctionem diſcuti dicuntur, aut quæ magno, & ſubito pavore ſolvuntur, excipiantur. Radicem gentianæ, centauream minorem, flores Chamomillæ romanæ, Chamædrim, cortices aurantiorum febrifuga olim Medicis clara, ac remediorum genus omne febrem pellere per evacuationem adeo perbelle oſtendit, ut nullus ſuperſit dubitandi locus. Quid Munginottum commemorem, quid Blegyum, Reſtaurandum, & Jonem, & Sydenhamium a præclariſſimo viro citatos, qui omnes ejus ſententiam confirmarunt. Ex his omnibus haberi poſſe monet præceptiones ad medicinam faciendam, & ad praxim aptiſſimas. Primum ſi data Quinquina criſes aptæ, & quales morbi ratio poſtulat, ſecutæ ſint, ſive quibus, ut ait Hippocrates *talia purgentur, qualia purgari oportet*, poſſe medicum a cortice propinando ſuperſedere. Secundum ſi aptæ criſes poſt eumdem ſecutæ ſunt, ſic ægrum convaleſcere, ut & liberiorem vitæ rationem inire poſſit, & frigidiorem aerem excipere, & purgante uti medicamento, ſi indigeat, quin febris recidivam, aut moleſtum aliquod ſymptoma amplius vereatur. Tertium in febrifugi uſu tandiu inſiſtendum, quandiu criſes plus minus aptæ ſequantur. Tandem Quinquinam iis febricitantibus exhibere, quibus conſuetæ excretiones ſuppreſſæ ſunt, ſcabies ſcilicet, ſalivatio, podagra, ichores a fiſtula, vel quibus veteres tumores reſederunt, perinde eſſe ac eoſdem in ſummum diſcrimen adducere. Quamvis enim nihil mali verendum ſit, ſi ſtatim a ſumpto febrifugo ſequatur criſis, in longius tamen protracta, ac retardata, etiamſi febris ex toto quieſcere videatur per aliquot dies, aliquid tamen truculentum ſubſequi, nempe aut inflammatio-

(*l*) *Com. Bon. ſc. & art. inſtic. p.* 405.
(*m*) *Aph. lib.* 3, *cap.* 10, *com.* 4.

nem, aut acutas febres, aut apoplexiam, aliaſque capitis affectiones nulla fere medicina ſanabiles. Quamobrem ſalubre monitum Medentibus reliquit, ut ſi quando ii ægri pertractandi ſunt, in quibus cum febre intermittente ſuppreſſio aliqua conjuncta eſt, vel a Quinquina prorſus abſtineant, vel ea remedia ad illam adjungant, quæ ad criſſim ciendam ſunt idonea, inter quæ diuretica, diaphoretica, præ cæteris vero purgantia eminent ad depravatos Abdominis ſuccos, qui plerunque febribus intermittentibus occaſionem præbent, educendos per primas vias opportuniſſima, ſi quæ alia. Si tamen malignæ ſint, & peccans humor ad cutis poros appellat, per diaphoreſim, aut ſudorem ejiciendum eſſe non immerito putat Cl. Geoffroii. Quamquam cum febris intermittentis genius ſit protheiformis, ut cum Mortono idem affirmat, & ſæpius pleroſque alios morbos acutiſſimos ſimulare ſoleat, cum cortice Peruviano alia remedia conſociari commode poſſe a peculiari ſymptomate, quibus febris ſtipatur, vel etiam ſæpe abſconditur, & opprimitur, indicata, exiſtimat. Quibus ſic conſtitutis licet colligere quanti facienda ſit illorum opinio, qui putant ſine mixtura aliorum medicamentorum eſſe exhibendum. Sed hac de re infra dicemus.

Idque complexu variarum qualitatum, quæ ejus tantum propriæ ſunt, & per quas ab omnibus aliis differt rebus &c. Quæſtio nunc alia urget perdifficilis, quæque Medicorum ingenia plurimum torſit, qua videlicet vi cortex Peruvianus intermittentes febres extinguat. Alii enim cum Gaudentio, Brunaccio, & Paravicino id potiſſimum putant efficere per manifeſtas qualitates, calorem ſcilicet, & ſiccitatatem, quibus frigidum & humidum, unde febres intermittentes exoriuntur, deſtruitur: alii cum Mortono, quod peſtiferum ac deleterium myaſma ſpiritibus infeſtum profligat: Alii cum acidi, & alchali propugnatoribus, quod acidum, aut ſalſo acidum febrile fermentum invertit, & obtundit: alii cum Tellino, Solario, quod bilem unde febres intermittentes ortum habent vi ſua adſtrictoria figit, & ſiſtit: alii cum Sturmio Munginototo, quod lentos, ac difficiles humores, unde eædem proficiſcunrur ſolvit, & incidit. Varias haſce atque inter ſe diſcrepantes ſententias in medium attuli, quia omnes tollere malui, quam nova ponere. Quid enim impedit quo minus, me unum aliquem ex iis eſſe exiſtimetis, qui aſſenſum omnem cohibentes, omnia in dubium revocant? Dolendum eſt paucos nunc eſſe, quod olim floruit, qui ſe nihil ſcire profiteantur. Qua in re ii potiſſimum enituerunt, qui cum Sebaſtiano Bado, ut alibi diximus (*n*) ſpecifica, & occulta vi, & proprietate id efficere exiſtimarunt. Et ſane qui a Peruviano cortice curari febres intermittentes volunt manifeſtis ejus qualitatibus, calore ſcilicet, & ſiccitate, a veritate prorſus abhorrere facile intelliges, ſi in alia multa oculos conijcias æque calida, & ſicca, immo eodem præſtantiora, a quibus febris minime profligatur. Qui febrem diſcuti volunt Quinquina, quod invertit, & obtundit acidum, ii ſane plus dicunt, quam par eſt. Ut enim ſatis eſſet momenti in eorum argumentis, oporteret Quinquinam alchalino ſale turgere, quo acidum ſalem febris fomitem abſorberet, ejuſque effectus deſtrueret. Sed experientia contrarium evincit. Si enim ab acido orıretur alchalica omnia multo manifeſtiora, & efficaciora, cujuſmodi ſunt ſal tartari, ſal volatile cor. cer., & alia ſimilia acidum febrile abſorbendo febrem felicius profligarent, quod adhuc a nemine viſum eſt. Hiſce addas velim experimenta a Chymicis inſtituta Quinquinam ſalis alchalici, tum fixi, tum volatilis portionem admodum exiguam continere, plurimum vero acidi ſalis, & olei. Quibus potiſſimum rite perpenſis ad credendum vehementer adductus eſt Cl. Geoffroii virtutem hanc aliquot ſalis alchali granis acidis, terreiſque particulis involutis, & obrutis perperam tribui. Illorum opinionem, qui corticem Peruvianum febrem ſubigere putant, quod venenatas, ac deleterias particulas ſpiritibus

(*n*) *Aph. lib.* 3. *com.* 4. *cap.* 10.

ritibus animalibus infeſtas delet, atque extinguit, præterquamquod paucis confutari poteſt, eis opponendo alexipharmaca, & antidota valentiora, quæ tamen fugandi febres virtutem ſortita non ſunt, accedit præterea ea obſcuritate laborare, ut a vero tam aliena videatur, quam quæ alieniſſima. Qua enim ratione in ſpiritus agat, ne ipſe quidem Mortonus pronuntiare auſus eſt. Si de iis loqui velimus, qui ab adſtrictoria vi corticis cogi volunt, condenſarique humores, a quibus febres originem ducunt, caveant diligenter oportet, ne iis officiat adſtringendi vis maxima, quæ aliis ineſt corporibus, quæ tamen nihil non ſolum valent adverſus febres, ſed eaſdem potius intendere ſolent, atque augere. Quæ minus validis premitur difficultatibus illa illorum videtur, qui putant a cortice Peruviano extingui febres, quod particulis amaris, leviter aromaticis, auſteriſque, quibus donatur cortex Peruvianus viſcidi, lentique humores inciduntur, ſolidæque partes ventriculi, inteſtinorum, pancreatis, hepatis meſenterii, aliorumque viſcerum, quæ iſtarum febrium ſedes, ac foci ſunt, leniter adſtringuntur, ſeu mavis roborantur, firmanturque. Et quamvis in ſanguinem non multum agere videatur, atque ipſius temperiem immutare, ſi illos audimus, qui cum Franciſco Torti, Joannem Freind tincturam Quinquinæ ſanguini, ejuſque ſero miſcentem, ac fluiditatem utrique conciliari affirmantem, experimento deceptum eſſe exiſtimant, ac propterea ſolum occurrere lenti fomitis fermento, in idem invehendo eique obſiſtere, ne vel omnino in ſanguinem ingeratur, vel ingeratur ita correctum, ut febrem amplius non ſuſcitet, unde non incæptum jam paroxyſmum cohiberi contingit, febrium ſymptomata ab iiſdem pronata ceſſante febre profligari, ſymptomaticas evacuationes ſiſti, criticas vero jam inchoatas, aliaſque naturales nihil moveri, ac propterea gravidis, & quibus menſtrua fluunt innoxie exhiberi, quid eſt tamen, quod non ſolum ſi quid impuri in primis viis latitat, benigna ſuperveniente diarrhæa foras eliminetur, ſed etiam alia interdum ab aſſumpto cortice evacuatio ſubſequatur (quod eſt certum perfectæ curationis inditium) per ſudorem, per urinam; per pravos, fędoſque halitus inſenſibiliter per poros cutis exeuntes? Qua ratione, aut modo fieri eas poſſe dicamus, niſi craſis ſanguinis ita mutetur, ut nexus, quem habet Serum cum reliquis partibus ſolvatur, aut ipſius moleculæ in eam magnitudinem, & figuram redigantur, quæ aut renalium glandularum, aut cutis poris apte reſpondeat, ſolidis vero partibus debitus tonus, atque elaterium concilietur, unde aut inſignis urinarum proventus, aut magna halituum copia per inſenſibilem tranſpirationem, aut feroſi liquoris per ſudorem emanet? Quid quod gangrænas, & ſphacelos a quacumque cauſa obortos; aliis remediis fruſtra tentatis vi corticis Peruviani feliciſſime ſanatos legimus in Actis Medicis Edimb. (*o*)? An vero acres, corrodenteſque particulæ infringi, craſſiores, fixioreſque ejus ſales attenuari queant a cortice, quin ſanguinem ſubeat, craſim immutet, viderint alii. Dolendum eſt amara, leviter aromatica, & auſtera reperiri quamplurima, quæ febrifuga non ſunt, & quæ ſunt ejuſmodi adeo infirma ſunt, & imbecilla, vix ut ulla ratione cum corticis Peruviani virtute comparari queant. Quod ſane magnam vim facit ad aſſerendum non ſolam amaritudinem, aromaticam vim, auſteritatem, aliamque qualitatem, ſed aggregatum plurium actionum ab ipſius corticis peculiari textura emanantium, quæ in aliis febrifugis cum ſimplicibus, tum compoſitis non reperitur, ſeu ut melius dicam complexum plurium qualitatum ſenſibilium, quæ ſunt plurium actionum principia, & cauſæ, & quarum nulla ſeparatim accepta febrifuga eſt, ſeu totam ejus ſubſtantiam ad operationem requiri; hinc caliditate ſua, & ſiccitate ſi qua donatur, ut Brunaccius, Paravicinus, aliique voluerunt lentum fomitem intermittentium febrium cauſam rarefieri, atque ad permeandos poros, aut glandulas ido-

S 2 neum

(*o*) *Tom.* 2. 3 & 4.

neum reddi: alexipharmaca virtute, quam Mortonus prætendit, langueſcentes cordis motus alacriores fieri, atque ad lenti fomitis congeſtionem in capillaribus arteriis inhibendam aptiores: acrimonia alchalina, ut acidi, & alchali propugnatores putant, acida, ſi quæ in febrili fermento continentur, in blandum ſalſum immutare, coactumque ſanguinem in ipſo paroxyſmo fundere, ac coliquare: auſteritate, ut Solarius, Tellinus, aliique exiſtimarunt, laxatas ventriculi, inteſtinorum, pancreatis, hepatis, aliorumque imi ventris viſcerum membranas roborari firmarique, unde fermenti febrilis ingreſſus in ſanguinem præcavetur, & ejuſdem effuſio in ſtomachi, & inteſtinorum cavitates compeſcitur: amaritudine aromatica, ut Sturmius, Munginottus, aliique lentos, ac difficiles humores attenuari, ac reſolvi. Hinc factum eſt, ut ob defectum aliquem harum actionum cętera febrifuga cum cortice Peruviano comparari nulla ratione poſſint. Hinc calida & ſicca, nec non alcalina fundunt quidem, & eliquant febrile fermentum, coactumque ſanguinem exſolvunt, ſed eorumdem influxum in regium ipſius flumen non inhibent, aut retardant: alexipharmaca langueſcentes quidem cordis motus augent, ſed febrile fermentum non invertunt, ejuſque ingreſſum in ſanguinem non morantur: auſtera, ſtiptica ſolidas quidem partes corroborant, ac febrilem orgaſmum compeſcunt, & fermenti penetrationem in ſanguinem ſiſtunt, ſed ipſum non temperant, nec immutant: amara craſſos quidem humores nonnihil incidunt, ſed in ventriculi, & inteſtinorum fibras agendo, eaſque plus æquo irritando cathartica fiunt, ac Stomachum movent. Solius Chinæ Chinæ ſubſtantia has omnes qualitates complectitur, aliaſque Medicis fortaſſe ignotas. Quoniam vero ejus ſubſtantiam conſtituunt complexus harum omnium qualitatum, ſeu magnitudo, figura, contextus, & proportio elementorum, a quibus eædem proficiſcuntur, primæ vero compoſitiones, ſicut ipſarum figura, ac magnitudo, & figura, ac magnitudo primorum componentium, ſeu inſenſibilium corpuſculorum, ac molecularum efficta magis eſt a Philoſophis, quam demonſtrata, propterea ad veritatem proxime acceſſiſſe videntur, qui cum Sebaſtiano Bado vim corticis Peruviani a ſpecifica, & occulta ejus proprietate commenti ſunt. (*p*)

C A P U T VI.

De febribus intermittentibus in ſpecie, quotidianis, tertianis, quartanis.

I. PRæter differentias a periodorum intervallis deſumptas, magni facienda eſt diſtinctio febrium intermittentium in ſalutares, in corruptivas benignas, in corruptivas pernicioſas, & malignas,

II. Quotidiana quidem a tertiana duplici diſtinguitur, quod illa paroxyſmos ſingulis diebus invaſionis, & durationis modo ſimiles exhibeat, tertiana vero alternis diebus ſibi reſpondentes, quod & de quartanis duplicibus dicendum.

III. Deinceps frigus in quotidiana ſine rigore plerunque invadit, calor ſegniter accenditur, & inæqualiter, pulſus debilior a principio, in ſtatu vero nonnihil validior, urina alba, & tenuis, ſudor raro apparens, quema-

(*p*) *Conf aph. lib.* 3. *caput.* 10. *com.* 31.

madmodum, & alvi fluxus, paroxyſmi duratio ad octodecim horas, quandoque ad viginti quatuor. Idque debetur fermento lymphatico, glutinoſo, ſanguini crudiori, ac phlegmatico communicato.

IV. In tertiana vero rigor primum in Muſculis inſignis cum dolore per ſpinam dorſi ſeſe extendens ad omnes partes corporis, mox accedens calor intenſus, acris, & mordax cum ſiti intolerabili, & oris amaritie, dolore quoque capitis intenſo, & quandoque deliriis, pulſu frequenti, celeri, vehementique, urina colorata, & rubicunda, paroxyſmi duratione ad duodecim horas, niſi forte notha ſit, quæ & longius protenditur, atque enarrata ſymptomata longe mitiora habet conjuncta, & diuturniora. Idque ad fermentum chyloſum, lymphaticum, bilioſum, plus minus acre in ſanguinem tenujorem irrepens, eſt referendum.

V. In quartana oſcitatio, pandiculatio, & gravitas totius corporis ſtatim invadit, quam ſequitur frigus, poſtmodum horror & rigor, quo oſſa conſtringi videntur, cui calor ſuccedit mitior, neque cum magna ſiti conjunctus, pulſus non valde celer, & validus, paroxyſmi duratio tertianæ fere æqualis, niſi forte ſpuria ſit, in qua paroxyſmi tum invaſionis tempore, tum diuturnitate incerti ſunt, aliaque ſymptomata graviora. Idque a fermento febrili acido, auſtero, pontico in ſanguinem craſſum, terreſtrem, ſiccum, melancholicum ingeſto repetendum.

VI. Salutarem dices, quæ verno plerunque tempore juvenes boni habitus aggreditur, quæ ſimplex eſt, quæ paroxyſmos habet breves, atque inter illos perfecta adeſt apyrexia, in cujus declinatione, vel intermiſſione ſudor mitis, & blandus apparet, cutis mollis, & vel in urina, vel egeſtione concoctionis inditia apparent, aut circa labia puſtulæ naſcuntur præſentis, vel futuræ criſeos inditia.

VII. Benignam, in qua licet allata ſigna omnia minime apparent, nullum tamen habet oneroſum ſymptoma, aut eo præſente pulſus conſueſcit reſiſtere, oppreſſuſque ſtatim reſurgere, cum in malignis ſit ipſius totalis abolitio, quæ per æſtatem, aut autumnum invadit cachochymos, nulla tamen præſente conſtitutione ſebrium pernicioſarum.

VIII. Pernicioſas portendunt præſens epidemica conſtitutio, extraordinarium aliquod, graveque ſymptoma ceſſans quidem cum paroxyſmo, remanente tamen intermiſſionis die linguæ ſiccitate, ſcabritie, inſolita infebricitantis ęgri, nec de quopiam dolentis jactatione, inquietudine, ſuſpiriis ſine cauſa manifeſta, inani, nec ulla occaſione concitata vomituritione, vel alvi dejectione, vel intempeſtiva in ſomnum propenſione.

IX. Declarant aperte ſubſequens in novo febris recurſu, aut inſignis bilioſæ materiæ, aliorumque humorum qualitate peccantium per ſuperiora ſimul, & inferiora excretio cum ſingultu, voce clangoſa, occulorum excavatione, angore ſtomachi, ſudatiuncula circa frontem pulſu exili, extremorum perfrigeratione, livoreque.

X.

X. Aut cruenta tantum dejectio cum torminibus, aut ſeroſi humoris loturæ carnium ſimilis ſumma cum virium imbecillitate, pulſu minuto, exilique, atque inſigni extremorum perfrigeratione, voce diminuta, ſiti parum moleſta, proclivitate in animi defectiones, interdum ſanguinis atri, concreti, ſolutique excretione ultimo vitæ termino.

XI. Aut acerrimus oris ventriculi morſus cum invicto vomendi conatu, aut vomitu, pulſu parvo, exili, frequenti, deliquio, facie hippocratica, crebris ſuſpiriis ab imo pectore, vocis clangore, & ululatu pro expiratione reddita.

XII. Aut conſueto frigori rigorique calor ſuccedens, & ſudor mitis a principio, mox vero intenſior factus, & paulatim ſic frigeſcens, ut ęger ſudans ſimul, & algens liquetur, & deficiat cum pulſu celeri, minuto, & debili, reſpiratione anheloſa, & frequenti, languore tanto, ut brevi ſe moriturum ſentiat, ut revera tertia acceſſione plerunque contingit.

XIII. Aut nulla cardialgia, nulloque dolore præcedente ſine manifeſta cauſa ad levem quemcumque motum frequens, & gravis animi defectio cum alterna pulſus defectione, parvitate, & celeritate, ſudoribus minutis, oculorum intruſione, atque caligine, placida ſuccedente intermiſſione, quam proxima acceſſio excipit plerunque lethalis.

XIV. Aut algor, qui paroxyſmo incipienti junctus ad maximam ipſius partem protrahitur, pulſu, & calore nihil aſſurgente, cum ſiti, anxietate, ſuſpiriis, lacrymis, facie hippocratica, quem interdum ſubſequitur multas poſt horas minima, ac fere inſenſibilis incaleſcentia cum pulſu paulo elatiore, voce adhuc clangoſa, & linguæ ſcabritie, inditio ægrum toto intermiſſionis tempore ita duraturum, proxima tamen acceſſione moriturum.

XV. Aut gravis & profundus ſomnus in principio acceſſionis invadens, quique augeri, & diſcuti ſolet cum augmento, & declinatione febris, remanente intermiſſionis tempore aliqua in ſomnum propenſione.

XVI. Aut paucus, vel nullus rigor initio febris ægris moleſtus, calor non valde intenſus, ſed qui diu protenditur, remanetque etiam intermiſſionis tempore cum acredine conjunctus, & aliqua pulſus perturbatione, ſiti, ac linguæ ſiccitate, urina parciſſima, & ſimul rubra, vel crocea, quibus ſucceſſu temporis faucium, & gutturis inflammatio quædam ulceroſa ſuccedit, aphthę, ac deglutitionis difficultas cum pulſus parvitate, inęqualitate, vocis clangore, ſingultu, delirio, convulſione, averſione a cibo, & potu, parotidibus.

XVII. Quotidiana febris diuturnior eſſe folet, quam tertiana, non ita tamen, ut quartana, quæ ad menſes, & annos protrahitur, & nonniſi Veris tempore judicatur.

XVIII. Si exquiſitę, & benignæ fuerint nunquam lethales eſſe conſueverunt. Vernales quidem breviores, quam autumnales, quæ in hominibus

bus cachochymia laborantibus, aut obſtuctionibus viſcerum in chronicos morbos, cachexiam, hydropem, icterum, ſcorbutum deſinunt.

XIX. Si quartana correptis dyſenteria ſuperveniat brevis, & mitis, bonum, ſecus hydropem facile concitat, aut in lienteriam, & cæliacam paſſionem degenerat.

XX. Quartana convulſionibus ſuperveniens ſalutaris: ægrum enim liberat.

XXI. Hęmorrhagia quartanæ ſuperveniens mala.

XXII. Cęterum urinæ cruditas, concoctio, confuſio, febris vehementia, aut lenitas, longitudo, aut brevitas paroxyſmorum, anticipatio, poſtpoſitio, inconſtantia erunt ſatis prudenti Medico, quo de longitudine, aut brevitate morbi præſagiat.

XXIII. Si ſalutaris, ac depurativa ſit febris nullo plerumque eget auxilio præter vitę regimen.

XXIV. Si corruptiva benigna vernali tempeſtate hominem adoriatur pletoricum, conſiſtentis ętatis, venę ſectio utiliter adminiſtratur. E contra ęſtivo tempore & autumnali, niſi forte capitis, aut alterius viſceris mala affectio poſtulet.

XXV. Purgantia poſtea mitiſſima locum habent in febribus quidem exquiſitis tertiani motus ſerum lactis tamarindatum, aut cremor tartari ad ℥ .s. ex juſculo calido, aut ſi craſſiores ſint humores, ut in nothis conſe. flor. perſicor. ℨ vi. tartar. ſolub. ℨ i. rhabarb. el. pul. ℈ i. ad ʒ .s. ſuaviſſime purgabit, & opportuniſſime.

XXVI. Si inanis adſit, & ſicca vomituritio ol. amygd. dulc. s. j. r. e. ex jure tenui, aut aqua tepida copioſius hauſta egregie conferet.

XXVII. Antequam vero alter paroxyſmus invadat, bolus ex Laudan. nepent. gr. ii. confect. hyacint. ℈ i. ſuperbibendo aquam Card. S. Meliſ. tot citr. a ℥ i. hora altera ante paroxyſmum, inſignem mordicationem compeſcere quandoque viſa eſt.

XXVIII. Alterantia ex matr. perlar. pp. oculor. cancror. pp. cor. cer. uſt. ac phil. pp. ad ʒ .s. ex juſculo alterato fol. cichor. endiv. borragin. gramin. mane, & veſpere horis a febre vacuis propinata eximię virtutis.

XXIX. In quotidiana & quartana febre ſal armoniac. arcan. duplicat. tartar. vitriolat. ſal abſynt. a ℈ i. ad ʒ .s. ex decoct. fol. Card. S. agrimon. ſummitat. centaur. min. rad. gentian. cortic. aurantior. adhibenda.

XXX. Ingruente paroxyſmo, atque urgente ſiti potus calidiuſculus parce propinetur, cardiaca calefacientia omnis generis evitentur.

XXXI. Æſtus ſubſequens repetitis hauſtibus temperetur in tertianis pręſertim, potionibus ſubacidis, quę ex aquis deſtillatis malvar. cichor. acido citri, limonum, berberum, ribeſiorum alteratis.

XXXII. Elapſis aliquot circuitibus, etiamſi benignę ſint febres tertiani motus,

motus, vel quotidianę ad uſum Quinquinę deveniendum, ejuſque uncia una in partes vi. diviſa exhibenda in declinatione febris, aut remiſſione.

XXXIII. Curandumque, ut finita acceſſione, ſi quotidiana, aut tertiana duplex ſit febris, tres dentur prima die, ſic tamen ut ultima ex tribus detur quam longiſſime poſſit ab hora novę acceſſionis: tres eadem methodo poſtridie.

XXXIV. Si febris ſit tertiana ſimplex detur una finito paroxyſmo prima die, reliquę omni quadrihorio poſtridie.

XXXV. Si ſit quartana ſimplex detur una pars intermiſſionis die matutinis horis, altera ante prandium, tertia ante cęnam, & ſic poſtridie.

XXXVI. Si ſit duplex, eadem methodus ſervanda, ac in tertiana.

XXXVII. Si ęger cachochymus ſit, cachecticus rhabarbarum commodiſſime cum China miſcetur a ℈ i. ad ℈ ij., & ſi obſtructionibus viſcerum laboret etiam digeſtivi ſales: hinc in intermittentibus recidivis ſequens electuarium præſtantiſſimum. ℞ Sal. abſijnt. ſal. armoniac. arcan. duplicat. extract. rhabarbar. a ʒ ii. Chi. Chi. .s. pul. ℥ i. M. cum ſyrup. de Cichor. cum rhabarbar. q. s. f. electuar. detur ad ʒ ii. aut in bol. redactum, aut ex vino alb. generoſo bis in die mane, & veſpere.

XXXVIII. In febribus intermittentibus pernicioſis nil expectandum: uncia una cum ſemiſſa in partes vi. dividenda, & ſi febris ſit tertiana ſimplex, & brevis, finita acceſſione dentur partes duæ, una ex reliquis omni quadrihorio intermiſſionis die.

XXXIX. Si ſit tertiana duplex aut quotidiana, ʒ vi. corticis ſunt ſtatim exhibendæ, ʒ ij. quadrihorio poſt, reliquæ in ſequentem diem ſervandæ.

XL. Si ſit quartana, cum longa ſit acceſſio, tota uncia una cum ſemiſſa exhiberi commodius poteſt.

XLI. In febribus ſubintrantibus dentur in remiſſione acceſſionis ʒ ii. altera circiter hora ante cibum, totidem in quavis alia hora minus gravi, & moleſta, & ſic per alios duos ſequentes dies.

XLII. Eadem fere methodo tractandę ſubcontinuæ.

XLIII. Extincta febre detur quatuor proximis diebus ʒ i. quotidie: per alios octo dies ʒ i. alternis diebus: per alios ſexdecim dies ʒ i. quarto quoque die, imperando, ut convaleſcens parce ac ſevere vivat, a fructibus præſertim acidis abſtineat, vehementique animi, & corporis motu, ac nullum errorem in ſex rebus non naturalibus faciat, rhabarbarum ſi ſolvenda ſit alvus, quandoque cum China Chinæ miſcendo.

XLIV. Infuſio etiam in vino albo generoſo iis, qui quartana diuturna premuntur commoda. Cęterum infuſio ſubtiliſſimi pulveris in aq. Card. S. Scorzoner., Cichor., aut etiam communis, in aliis præferenda, addendo in præſentia diarrhęæ, vomituſque ſymptomatici gut. aliquot laudan.

liquid.

liquid. cytoniati. Pulvis in bolos confect. cum ſyrup. cort. citr., iis qui ab infuſione abhorrent exhiberi poteſt. Si benigna ſit febris tinctura ſimplici aqua parata ad ℥ iij. vel iiij. ſyrupo cariophyllor. edulcurata pueris, & delicatis: julepizata vero in hunc modum iis qui ventre tument. ℞ Chi. Chi. s. pul. ℥ ii. Rhabarb. el. pul. pul. ℥ .s. Croc. mart. cęleſt. ʒ ii. aq. font. lib. i. .s. f. decoctio uſque ad conſumption. tertię partis: coletur forti expreſſione, & cum ſufficienti quantitate ſacchari f. julapium ad ℥ .s. circiter propinandum bis in die.

CAPUT VI.

De febribus intermittentibus in ſpecie quotidianis, tertianis, quartanis.

I. P*Ræter differentias a periodorum intervallis deſumptas magni facienda eſt diſtinctio ſebrium intermittentium in ſalutares &c.* Si recte memineris eorum, quæ ſupra allata ſunt, diximus intervalla potiſſimum febrium intermittentium earum diſtinctionem facere: ſi quotidie paroxyſmus invadat quotidianam, ſi alternis diebus, tertianam, ſi quarto quoque die, quartanam conſtitui: febrium etiam quæ longioribus intervallis diſtinctæ ſunt exempla quidem ſuppeti, rariores tamen eſſe, & natura ad alias accedere, quemadmodum illæ quę ſimplices, & regulares ſunt, nec non duplices, & erraticę, ſeu anomalæ. Pręter haſce differentias inſolitam temporum, ac tempeſtatum conſtitutionem, æſtatem in primis epidemicas gignere tradunt fere Scriptores: hęque potiſſimum typum, atque ordinem non ſervant, & continuę ſunt, ut poſt intenſam atmoſphęrę per multos menſes ſiccitatem, & caliditatem vidiſſe refert Frid. Hoffmannus (*a*) univerſam fere Germaniam an. 1727 infeſtantes. Certa etiam quędam loca depreſſiora, uliginoſa, & aquarum ſtagnantium copia infecta Endemias, quę incolas plerunque quovis anno corripiunt, crebriuſque advenas, atque ſęvius. Tempeſtatem etiam vernalem, aut autumnalem febrem ejuſdem nominis facere: illas a Februario ad Auguſtum, haſce ab Auguſto ad Februarium dominari, ſe ſe invicem excipere, uniuſque generis adventu, alterum fugari. Quę quidem differentię licet varia ſymptomata, variumque exitum, ac durationem progignant, vileſcunt tamen, ſi cum iis comparentur, quę a more potiſſimum atque indole febrium deſumuntur, quibus velut manu ducimur ad eaſdem, aut alacri animo ferendas, aut leniter pertractandas, aut quanta maxima fieri poteſt celeritate ejiciendas, ac profligandas. Illas intelligo, quibus in ſalutares, in corruptivas benignas ac perniciofas, & malignas diſpeſcuntur. Illę enim ſanguinem a febrili ſucco, & qualibet acceſſione expurgant nullis ejus reliquiis remanentibus, & corpus purius ac ſalubrius reddunt, aliæ vero eumdem non integre ſubigunt, atque expellunt, ſed potius alias addunt impuritates, aut ejus conditionem ea ratione mutant, quæ vel una ſatis valere poteſt ad corpus infirmius, & in alios morbos proclivius conſtituendum, ſi immaturo conſilio in longius tempus protrahatur earum curatio, a quovis tamen gravi, & pernicioſo ſymptomate disjunctæ ſunt, quod aut gravitatem morbi portendat, aut decubitum materiæ febrilis in aliquod viſcus, unde corruptivæ quidem, ſed benignæ dici conſueverunt ſecus res habet in pernicioſis, & malignis, quæ prima facie pro benignis imponunt, cum periodice recurrant, & deſinant intermittentium more, ac malignitatem prodant in primis recurſibus, aut ſi eamdem præſeferant, terrere tamen non ſoleant ob inter-

(*a*) *de feb. cap.* 1. *ſect.* 6.

terpoſitam apyrexiam , quæ ex Hippocrate ſecuritatem ſpondet ; larvam tamen detrahit periculique magnitudinem confeſtim aperit immane aliquod , ac truculentum ſymptoma , quod vel circa initium , vel augmentum , vel ſtatum invadit, ſicque fractis oppreſſiſque viribus brevi periclitatur æger, & moritur. Grates habendæ ſunt Ludovico Mercato (*b*) qui primus omnium harum febrium ſpecies, cauſas , ſigna , & remedia diligentiſſime perpendens multum laboris in hac parte aliis detraxerit Scriptoribus magnis, & doctis, præ cæteris Richardo Mortono , qui exercitatione prima de febribus (*c*) eaſdem complexus eſt , & Vverlhof de his febribus agenti nomine febrium ſoporoſarum , & apoplecticarum, Franciſco demum Torti , qui in therapeutica ſpeciali ad febres periodicas pernicioſas (*d*) pro variis Symptomatis, cum quibus conjunguntur , in varias ſpecies eaſdem diviſit, præcipue in cholericas, dyſentericas, ſubcruentas atrabilares, cardiacas, diaphoreticas , ſyncopales, algidas , lethargicas, & in eas quæ ab initio intermittentes ad ſubcontinuas eſſentialiter acutas , & malignas tendunt . Eximium huncce virum teſtor me in præſens ſequi, illorum ſuadente exemplo, qui ſuam operam ad ſcribendum conferunt magis , ut legentium ſerviant commodo, quam quod gloriam ſtudeant. Sed hanc rem infra perſequemur.

II. *Quotidiana quidem a tertiana duplici diſtinguitur , quod illa paroxyſmos ſingulis diebus &c.* Quotidiana febris adeo rara eſt, ut Riverius affirmet, ſe ſexcentis ægrotis febriles acceſſiones ſingulis diebus patientibus , vix unum quotidiana laborantem vidiſſe. In illas forte temporum calamitates incidit præclarus Auctor & in diagnoſi morborum accuratiſſimus ſi quis alius , in quibus aut tertianæ , aut quartanæ duplices tripliceſque ſolum ſæviebant, nulla aderat irregularis , ac inordinata diuturna temporum conſtitutio, cujus meminit Hoffmannus (*e*), qua per duos fere annos florente tam diarrhæas, & dyſenterias obortas vidit, quam varii generis intermittentes febres, inter has potiſſimum quotidianas. Hæc porro cur a tertiana duplici diſtinguatur paroxyſmos ſingulis diebus invaſionis, & durationis modo ſimiles exhibens ſatis apparere poſſe videtur ex iis, quæ in generali febrium intermittentium tractatione diximus de ſolidarum partium vitio, quod earumdem focus, & ſedes cum Galeno cenſendum eſt, quod duas pluresque partes corporis, vel duo, pluraque viſcera occupare diximus, & unum poſt alterum paroxyſmo febrili occaſionem præbere. Cum enim diverſæ partes afficiantur, etiamſi ſingulis diebus recurrat febris, varia tamen hora incipere, aut deſinere debere, aut cum diverſis ſymptomatis recurrere perſpicuum eſt; iiſque fere, quibus ſimplices componentes ſtipantur . E contra cum in quotidiana unus ſit focus , ac ſedes , paroxyſmos etiam ſingulis diebus invaſionis , & durationis modo ſimiles exhibere adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla.

III. *Deinceps frigus in quotidiana ſine rigore &c.* Cum Veteres Medici in ea eſſent opinione , ut crederent intermittentes febres a putredine humorum in prima corporis regione exoriri a putredine quidem pituitæ quotidianam , a putredine bilis tertianam , a melancholiæ demum quartanam , varia quoque ſymptomata pro humoris putreſcentis varietate in his, aut illis febribus comparere exiſtimarunt : hinc cum pituita penes ipſos ſit humor frigidus , frigus in quotidiana ſine rigore invadere ſolet, deficiente ſolidarum partium morſu, atque vellicatione , qua Muſculorum totius corporis vibratio , ac concuſſio ſequatur cum refrigeratione , & ſenſu quodam doloris , hinc calorem ſegniter accendi , & inæqualiter , pulſum debiliorem eſſe , ac cætera omnia ſymptomata mitiora . Quæ ſen-

(*b*) *Lib.* 1. *de febr.*
(*c*) *Cap.* 9. *tit. de protheiſor. feb. intermit. genio.*
(*d*) *Lib.* 3. *cap.* 1.
(*e*) *De febr. cap.* 3. 5. 4.

ſententia licet jamdudum a Medicis profligata ſit , nihilominus tamen multorum phænomenorum explicationi commode ſervit , ſi eam ſano modo interpretemur. Quid enim eſt quod pituitæ loco humorem aqueum lentum, craſſumque non accuſemus, qui accedente ſolidarum partium, ac viſcerum laxitate ſingulis diebus in capillaribus arteriis conſiſtens, & hærens quotidianam excitet? cum frigore quidem invadentem, ſed deficientibus in ſanguine tenuibus, volatilibus, ſtimulantibuſque particulis, atque in ſolidis partibus debito elatere, atque ad inordinatas, vehementioreſque contractiones ſuſcipiendas promptitudine, ſine rigore, miti cum calore, pulſus debilitate inſigni, præſertim in principio, aliiſque id genus levioribus ſymptomatis. Hiſce fere de cauſis cum lentor difficilius ſolvatur, ſanguinis curſus non acceleretur, ſimulque ejus partes non attenuentur, univerſa maſſa minime rareſcat, nec igneæ, ſulphureæ, volatilioreſque particulæ a reliquarum nexu ſecedant, & una cum ſeroſo lactice ad Renes labantur, fit ut urina tenuis albaque appareat, nullus ſudor ſequatur, nulla per emunctoria inteſtinorum evacuatio, ac paroxyſmus ad diem quandoque protrahatur.

In tertiana vero rigor primum in muſculis inſignis cum dolore &c. Id æque affirmari non poteſt de humoribus nimis calidis acribus, raris, fuſis, ſolutiſque quos bilioſos appellare non dubitarim, de ea ſolidarum partium tenſione, & cordis arteriarumque contractione, qua ſulphureæ partes facile exaltantur, & copioſæ, ſpirituſque agiliores, ſubtilioreſque, quaque fit, ut fermentum febrile nonniſi alternis diebus ſanguinem cogere poſſit ea ratione, qua opus eſt ad febrilem paroxyſmum excitandum. In eo enim caſu non frigus primum excitatur, ſed ſpiritibus animalibus præ ſtimulo ſolidis partibus impacto, in muſculares fibras inconcinno, ac perturbato motu influentibus, inæqualis muſculorum tenſio, & relaxatio contingit, totius corporis vibratio, concuſſio cum dolore per ſpinam dorſi, a qua nervi per corpus diffunduntur, ad omnes ejus partes ſeſe extendente. Hiſce fere de cauſis cum ſulphureæ, volatiles, agilioreſque particulæ facile exſolvantur, atque in univerſam ſanguinis maſſam diffuſæ ejus agitationem, furoremque inducant, vehemens acris, & mordax percipitur, ſitis, dolor capitis, delirium ſubſequitur, pulſus celer, frequens, & vehemens, urina colorata, lentore autem citius ſoluto duodecim horarum ſpatio apyrexia, ut Hippocrates teſtatus eſt.

Niſi forte notha ſit, quæ & longius protenditur &c. Diviſionem febrium intermittentium in exquiſitas, ſeu legitimas, ac ſpurias, ſeu nothas tradiderunt Veteres fere Medici, earumque cauſas ſuis falſis hypotheſibus aſſignarunt, atque tertianam quidem exquiſitam a bile naturali, & ſola putreſcente, notham vero a præternaturali, vel aliis humoribus, pituitæ præſertim permixta repetebant. Quæ ſi poſito tantiſper ſupercilio ad trutinam ut ajunt revocentur, plane congruere facile inveniemus cum humore illo noſtro calido, acri, raro, fuſo, ſolutoque, qui ſolus peccat, aut frigidis, aqueis, lentiſque particulis coercitus eſt, & irretitus. Et ſane exquiſita adoriri ſolet homines bilioſi temperamenti, & ſenſu exquiſito pollentes, vigente præfervida æſtatis conſtitutione, in quibus acres, ſulphureæ, volatileſque particulæ a reliquarum nexu ſejunctæ, atque in univerſam maſſam diffuſæ inſignem ejus orgaſmum, fervoremque concitant. Cum e contra notha ſegniores homines, & fœminas, quique ſpongioſioris ſunt habitus autumnali maxime tempeſtate magis aggrediatur, in quibus lentæ potius, craſſæ, inerteſque particulæ prædominantur. Hinc nil mirum difficilius ſoluto lentore paroxyſmum non ſolum longius protendi, ſed etiam reliqua omnia ſymptomata mitiora eſſe debere, atque diuturniora. Apte cadit in hunc locum, quod adnotavit Hoffmannus (*e*) in Septemtrionalibus regionibus tam exacte perio-

(*e*) *De feb. cap.* 15. 6.

riodi febres, quas memorat Hippocrates raro inveniri, confirmans, quod in eamdem rem tradit Mercurialis (*f*): *Rariſſime tertiana exquiſita Hippocratis invenitur, neque ego vix vidi, & jam quadraginta anni ſunt quod praxim exercui.* Quænam enim volatilium, ſulphurearum, agiliorumque particularum exſolutio in iis locis, quæ aeris humidi, frigidique afflatus clara facit?

V. *In quartana oſcitatio, pandiculatio, & gravitas totius corporis ſtatim invadit &c.* Quod veteres Medici Melancholiæ in prima regione putreſcenti tribuerunt, nos ad fermentum febrile acidum, auſterum, ponticum ſanguini plus minus craſſo, terreſtri, ac ſicco referre ſatius cenſemus. Qui enim tali ſanguinis conſtitutione donantur, ac fibris duris, ſiccis, & elaſticis ſunt præditi, Melancholici fere dicuntur, in quibus ſanguis utcumque lentus non quotidie, aut alternis diebus, ſed quarto quoque die ad capillares arterias hærere cogitur paroxyſmo febrili anſam daturus. Cum vero craſſitiei fluidorum ſit difficillime penetrare per anguſtos meatus, ac poros corporum ob nimiam partium magnitudinem, acidi vero auſterique, ſeu aſperi, quod Avicennas ſtipticum vocavit, & acerbum, ſeu ponticum ſit ſolidas partes alte penetrare, & cum conſtrictione aliqua pungere citra ſenſum caloris, ut Plato, & Galenus demonſtrarunt, apparet manifeſtiſſime, cur in quartana febre craſſo, terreſtri, & ſicco, ſimulque acido, auſtero, & pontico fermento in ſanguinem irrepente, & difficilius viæ ſanguinis percurrantur, & vaſa præſertim minima ejus circuitioni deſtinata non ſolum plus æquo diſtendantur, ſed cum conſtrictione pungantur, atque hinc oſcitatio, pandiculatio, & gravitas totius corporis, mox frigus, horror, & rigor, quo oſſa conſtringi videntur, proficiſcantur. Igneæ, ſulphureæque particulę craſſiorum, atque inertium copia irretitę non ea ratione aucta cordis, & arteriarum contractione exſolvi poſſunt, qua opus eſt ad ſanguinis maſſam exagitandam, caloremque inſignem, atque ęſtum promovendum, ad humidas lęves, oleoſaſque particulas abſumendas, ad ſanguinis curſum vehementer accelerandum, ad ſpirituum animalium motum in muſculares cordis fibras concitandum, hinc & calor mitis, & cum levi ſiti conjunctus, hinc pulſus nec valde celer, nec vehemens percipitur, licet ob illam ipſam fibrarum duritiem, ſiccitatem, & elaſticitatem, qua ſanguis ad capillares arterias ſolum quarto quoque die hęrere cogitur, illud plane conſequatur, ut lentus fomes brevi ſolvatur, & facile febris, ut in tertianis contingit, terminetur. Atque hęc potiſſimum de quartana legitima ſunt intelligenda. Si vero de ſpuria loqui velimus, quę humore craſſo, terreſtri, & ſicco, fervidiori, calidiorique permixto ortum traducit, a Melancholia, & bile ſimul putreſcente proficiſcitur, pro varia humoris conditione, febris quoque invaſionem, diuturnitatem, aliaque ſymptomata variare neceſſe eſt. Quem enim vadem non demus citius, quam par eſt ſolidis partibus, quę febrium foci ſunt ac ſedes convulſis, adſtrictis, aut alia ſimili ratione affectis, citius quoque febrile fermentum, aut in ſanguinem traduci, aut eidem ingenerari, ac febrem arceſcere? Quid quod a tenuioribus, acrioribus particulis demorſę, ac vellicatę exquiſitiori ſenſu pollentes cordis, & arteriarum fibrę majores non ſolum ſanguinis, humorumque turbas excitent, ſed vehementiorem contractionem prę majore ſtimulo jam ſuſceptam diutius retinentes, aut paroxyſmi diuturnitati occaſionem prębeant, aut facilius ſoluto lentore ejuſdem brevitati commodiſſime ſerviant?

VI. *Salutarem dices, quæ verno plerunque tempore juvenes boni habitus aggreditur &c.* Febrili motu univerſo corpore concuſſo, crudos lentoſque humores attenuari, concoqui, repurgari, & qua data porta extra corporis confinia educi alibi oſten-

(*f*) *Præl. Bonon.*

oſtendimus. (*g*) Hinc epilepſias, convulſiones, apoplexias, paralyſes, arthritides, alioſque morbos chronicos, & lentam ipſam febrem curari. Hiſce fere rationibus permoti Hippocrates, & Galenus depuratorias appellarunt febres, atque interdum arte excitandas tradiderunt. Quę cum dico video neminem illorum eſſe; qui aliquid operæ in Medicis ſtudiis poſuerit, quin plane intelligat, quam difficile ſit, ex tanta febrium infinitate eas ſubſequi, a quibus certa ſalutis ſpes, nullum noxæ periculum ſit expectandum. Quot enim ſunt febres, quibus homo in prima fere acceſſione jugulatur, ac miſerrime extinguitur? Prudentis itaque eſſe duxerim, antequam de febris ſalubritate aliquid ſtatuatur omnia ejus ſymptomata adnotare quam diligenter. Dolendum eſt non omnia ſymptomata adnotari poſſe, nec quæ adnotantur eadem ſemper eſſe (ne autem ſint eadem faciunt variæ cauſæ, varia ægri conſtitutio, ætas, regio, tempeſtas) unde oportet Medicinam infinitis ſcatere difficultatibus, iique de Medicina benemereri cenſendi ſunt, qui ex difficultatum infinitate ſuo ſtudio, ac diligentia aliquid detrahunt. Atque ut ad propoſitum redeamus, optime ſe geret, qui ad febre intermittente laborantem vocatus, quo tute veniat in cognitionem ejus naturæ, atque indolis ad tempeſtatem attendat, percontetur ab ægrotante num quotidie, num alternis diebus febris invadat, quot ſibi horas trahant paroxyſmi, quomodo ſe habeat in declinatione, in quo patientem ægrotantem audiet ſcrutando tacite ejus faciem, oculos, colorem vultus, corporiſque habitudinem, tum admotis digitis per vices ad utrumque carpum exploret pulſum, caloremque, & diſpoſitionem cutis ex tactu æſtimet, urinas ſimul inſpiciat; nec tamen ubi hæc omnia ſimul præſtiterit, quidpiam de natura febris, vel generatim, vel ſpeciatim proferat, ſed prudens expectet, & iterum, & tertio ad ægrum accedat, ut cum ea quæ accidunt variis temporibus, & in progreſſu rimatus fuerit aliquoties, tunc ſibi ideam febris comparet. Si enim hiſce rebus diligenter perpenſis detexerit, vernalem eſſe febrem, juvenem eſſe ægrotum, optimæ corporis habitudinis, ſimplicem febrem, eamque cum levi frigore incipere, cum calore miti, & æquabiliter fuſo progredi, cum pulſu parum celeri, ac frequenti, ſine ulla inæqualitate cum habitu corporis molli, & blando, ſudore humeſcente, indeque febrem plane conſumi, nec duodecim horarum ſpatium excedere, urinas vel egeſtionem integras coctionis notas habere, aut puſtulas circa labia, quæ criſis vel præſentis, vel futuræ inditia eſſe conſueverunt, ut Haly præ cæteris ſcribit, & vulgatiſſima docet experientia, rectiſſime tum demum ſentiet, & dicet ad ſalutares ſpectare eam febrem cujus cauſa ad ægrum vocatus fuerit.

VII. *Benignam, in qua licet allata ſigna omnia minime apparent, nullum tamen habet oneroſum ſymptoma &c.* Hac eadem methodo certas, & proprias cujuſvis febris notas in aliis febrium ſpeciebus aſſequetur. Corruptivas benignas ſequentia ſigna patefaciunt. Solent hæ plerumque æſtiva calida tempeſtate, aut autumnali adoriri, cujuſcumque ætatis homines, & habitudinis, cachochymos, obſtructionibus laborantes majore cum frigore, horrore, rigoreque, quem poſt ſequitur acrior, & mordacior calor, quam in ſalutaribus febribus, inæqualiter fuſus cum pulſu, qui initio ſentitur parvus, & quaſi abditus, ſeu contractus, in progreſſu celerior, atque frequentior cum aliqua inæqualitate, quam ſyſtematicam vocant, in qua nimirum una pulſatio major eſt altera, quæque a lentore non integre ſoluto enaſcitur, quove fit, ut ſanguis cordis ſemitas haud æquabiliter repetat, unde etiam dictus jam calor inæqualiter funditur cum habitu corporis nonnihil aſpero, nulloque ſudore humeſcente, indeque febris diutius protracta, nec interdum planiſſime conſumpta, antequam alter paroxyſmus invadat, urinæ in principiis crudæ, vel cum obſcuris coctionis ſignis, quæ ita atten-

(*g*) *Lib.* 4. *cap.* 1. *com. in aph.* 1.

attendit Sennertus, ut abſque urinis vel crudis initio, vel parum coctis nullam corruptivam febrem, ſeu putridam haberi velit, adeoque corruptivam non eſſe ſi integras coctionis notas initio urinæ præſeferant. Paulo difficilius eſt quidquam de earum benigna, aut pernicioſa natura conſtituere. Obſervatio tamen ſymptomatum, quæ cum eadem conjungi ſolent accuratioribus practicis facem continuo prætulerunt. Niſi enim dolor, aut gravitas capitis totiuſque corporis, niſi vomitus, aut alvi fluxus, aut profundus ſomnus, aliaque inſigne humorum vitium oſtendentia in inſultu febris, vel paulo poſt præ oculis habeantur, ecquis ſubdolæ febris ideam ſibi comparet? Quamquam nec prudens ſibi comparet, etiamſi ægrotum eadem exercere percipiat, niſi admotis ad carpum digitis pulſum quam diligentiſſime exploret. Illud enim in pleriſque pernicioſis, & malignis perpetuum eſt, ut egregie animadvertit præclariſ. Tortus, ut pulſus eo tempore, quo aliquod oneroſum ſymptoma ægrum affligit, atque illo etiam elapſo notabiliter deprimatur plus minus pro ratione majoris, vel minoris intenſionis pernicioſi ſymptomatis; cum ex adverſo ubi ſymptoma vulgare eſt, etſi alioquin grave pulſus conſueſcat reſiſtere, oppreſſuſque ſtatim reſurgere. Ad vulgare igitur ſymptoma diſtinguendum ab eo, quod pernicioſum eſt, pulſus eſt conſulendus, laudato Auctore docente, cujus omnimoda abolitio ſummum, atque extremum gradum ejus ſymptomatis deſignabit, quem ſequitur univerſalis totius corporis, & præſertim extremorum frigiditas, aut livor, facies hippocratica, indeque mors. Sedulo etiam inquirendum eſt quantum pulſus afficiatur præſente ſymptomate, quantum eo ſuſcepto reſurgat, quantum amittat vigoris, quantoque minus ab extrema illa abolitione diſtabit, tanto pernicioſius erit judicandum ſymptoma, a quo illa dependet. Si his accedat nulla epidemica conſtitutio febrium pernicioſarum, intermittentes benignas gravi aliquo, ſed minime pernicioſo ſymptomate comitatas, a Malignis multo tutius diſtingui manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari.

VIII. *Pernicioſas portendunt præſens epidemica conſtitutio, extraordinarium aliquod, graveque ſymptoma &c.* Pernicioſarum febrium maturam dignotionem inculcat, adeoque docet laudatus Torti, animadvertens præter pulſus abolitionem id etiam obſervatione dignum eſſe, extraordinarium ſcilicet, graveque Symptoma, quod ægrotantem extorquet, initio nonnihil quidem mite apparere, at morbo parumper progrediente gravius fieri, & periculoſius. Quare cum adhuc mitiorem gradum conſervat, nec ultro evectum eſt nervos induſtriæ omnes intendendos eſſe in aliarum affectionum contemplatione, quæ ejus malitiam paulatim aperiant. Si igitur abſoluto primo paroxyſmo ob præſentem epidemicam conſtitutionem, graveque aliquod ſymptoma ſolum ad ſuſpicandum, non ad credendum vehementer adduci velis pernicioſum eſſe, explora linguam intermiſſionis die, ægrotum intuere, ſecretiones excretioneſque perpende, eorum quæ obſervas cauſas diligentius inquire, ſi videas linguæ ſiccitatem, nedum ſcabritiem, ſive inſolitam ægri, nec infebricitantis, nec de quopiam certo dolentis jactationem, inquietudinem, ſuſpiria etiam in morbi levamine, inanem, nullaque occaſione concitatam vomituritionem, aliaque jam indicata ſymptomata, quæ neque ad affectionem hypochondriacam, neque ad aliam evidentem cauſam ſatis apte referri poſſunt, juſtus ſubrepit timor, ne ſubſequente acceſſione truculentum adeo, atque immane ſymptoma invadat, quo fractis, oppreſſiſque viribus brevi æger periclitetur, atque moriatur. Undenam enim tanta pulſus diminutio citra manifeſtam cauſam, undenam lævium, oleoſarum, humidiorumque particularum abſumtio, undenam illi convulſivi motus, ac viſcerum concuſſiones, angores animi, ſoporoſi affectus, quam a myaſmate aliquo deleterio, ac maligno ſanguinis maſſam ſubeunte, eamque corrumpente, ſpiritibus animalibus infeſto,

feſto, in quos proxime ſævit, ac debacchatur, eos in ataxias, inordinatoſque motus adigendo, aut obruendo, profligandoque, unde pernicioſæ febres proficiſcuntur?

IX. *Declarant aperte ſubſequens in novo febris recurſu, aut inſignis bilioſæ materiæ, aliorumque humorum &c.* Malignarum autem, ac pernicioſarum principium duplex eſt ex Torti obſervatione; aut enim pernicioſa febris intermiſſionem ſuam adhuc retinet, ſolumque immane aliquod ſymptoma cum paroxyſmo conjunctum habet, vel intermiſſione paulatim amiſſa continua fit, & acuta, extenſis videlicet gravibus, variiſque ſymptomatis ad tempus ipſum turbulentæ febris. Primi generis febres comitatæ a truculentis, immanibuſque ſymptomatis, cum quibus conjunguntur characterem, & nomen aſſumunt. Hinc cholerica, dyſenterica, ſubcruenta, atrabilaris, cardiaca, diaphoretica, ſyncopalis, algida, lethargica preſto ſunt. Alterius generis febres ſolitarias, & nullo graviori ſymptomate comitatas, & ſub continuas id ſolum clare diſtinguit, quod ad continuam, & acutam tendunt. Quotieſcumque igitur novo ingruente paroxyſmo maximæ tertianæ febres, immoderatam acrium, & difformium humorum per ſuperiora ſimul, & inferiora evacuationem conſpicimus, flavi, viridis, nigri, & ex his mixti coloris, qui longe ſuperant cum digeſtorum quantitatem, tum humorum, qui ab aliis viſceribus naturaliter conſtitutis illuc poſſunt confluere cum ſingultu, voce clangoſa, angore Stomachi, perfrigeratione extremorum, aliiſque id genus truculentis ſymptomatis, quid aliud conjicere liceat, quam febrile fermentum, quod non ſolum acrimonia ſua ventriculum, atque inteſtina acriter irritare valeat, eorumque tum periſtalticum motum ad crebriores violentas, & non ordinatas contractiones, tum glanduloſos folliculos ad humorem ſuum uberius ſecernendum, tum demum biliarium, & pancreaticum ductum ad copioſiorem bilis, & lymphæ pancreaticæ effuſionem diris cum ſpaſmis, ac contractionibus, inſigni continui ſolutione, doloreque ſollicitare, ſed quod colliquandi etiam, ac fundendi facultate præditum eſt ob admixtionem principii alicujus corrumpentis, unde ſanguinis maſſa non ſolum in excrementa illa ſolvitur, quæ copioſe per ſuperiora ſimul, & inferiora ejiciuntur, ſed ſpiritibus animalibus eodem obrutis, ſuffocatiſque, langueſcente cordis, & arteriarum motu pulſus parvi, exileſque, animi deliquia, extremorum perfrigerationes ſubſequuntur? Rectiſſime hinc pernicioſam cholericam febrem ad colliquativas referendam eſſe præclariſs: Torti opinatus eſt.

X. *Aut cruenta tantum dejectio cum torminibus, aut ſeroſi humoris loturæ carnium ſimilis &c.* Si loco violentæ inteſtinorum irritationis, qua ad crebriores, & non ordinatas contractiones ſollicitantur, atque diverſorum humorum per inferiora fluxus promovetur, dictum jam febrile fermentum mucum primum inteſtinorum parietibus adhærentem, tum villos ipſos, ac tunicas abradat, atque exulcerationem progignat, tunc cruenta dejectio cum ventris torminibus ægrum dire exercentibus ſuperveniet, & dyſentericam febrem malignam excitabit. Si ſanguinis maſſam ſubiens eamdem ſic corrumpat, ut ſanguis tenuis, aquoſus & loturæ carnium ſimilis apertis inteſtinorum vaſculis pro ipſa eadem ratione, qua per hæmorrhoidum, narium, & aliarum partium vaſa ex alvo copioſe, & ſine dolore, aut gravioribus cum torminibus excernatur ad inſtar illius fluxus, quem Veteres fluxum hepaticum nominarunt, propterea quod ob hepatis imbecillitatem fieri credebatur, quem tamen vix, ac ne vix quidem ab aliis cruentis fluxibus diſtinguendum eſſe tradunt Recentiores, ſubcruentam promovebit, in qua ſpiritibus animalibus a myaſmate deleterio violenter affectis, ægri ad ſummam virium imbecillitatem brevi deducuntur cum pulſu minuto, exili, & extremorum inſigni perfrigeratione, aliiſque diris ſymptomatis, quæ ceſſant quidem inter-

termiſſionis tempore, recurrentia autem tertio, aut altero paroxyſmo hominem de medio tollunt, præſertim ſi alia excretio ſanguinis atri, concreti, ſolutique, quam atrabilarem dicebant Veteres, & a quo ſuum nomen aſſumit maligna febris, ſubſequatur.

XI. *Aut acerrimus oris ventriculi morſus cum invicto vomendi conatu, aut vomitu &c.* Si in Stomachum, ac præſertim in ſiniſtrum ejus orificium vim ſuam exerceat, cardiacam febrem a dolore Stomachi ſpeciali nomine cardialgia nominato, procreabit. Licet enim Stomachus, non ſecus ac reliquæ nervoſæ partes, dolori ſit obnoxius, ſiniſtrum tamen orificium Cardias dictum multiplici nervorum plexu peculiariter inſtructum, cum ſenſu exquiſitiſſimo ſit præditum in vehementiores contractiones, validioreſque tremores facilius adigitur, ac triſtiſſima ſenſatione, atrocique dolore afficitur, qui cordi, & univerſo corpori per nervorum conſenſum communicatus non ſolum pulſus parvos exiles, ac frequentes, animi deliquia, aliaque ſæva ſymptomata inducit, ſed in quinta acceſſione recurrens hominem jugulat.

XII. *Aut conſueto frigori, rigorique calor ſuccedens, & ſudor mitis a principio &c.* Non in primas vias agere videtur febrile illud fermentum, quod ob profuſiſſimos ſudores, quibuſcum conjungitur pernicioſam diaphoreticam febrem progignit, ſed in ſanguinem potiſſimum, non ejus curſum accelerando, ſimulque ejus partes attenuando, compagem earum ſolvendo, & univerſam ejus maſſam rarefaciendo ea ratione, quæ vel una ſatis valere poteſt ad robur corpori conciliandum, atque expeditiſſimam ad functiones ſuas obeundas alacritatem, atque inde conſequens ad ętherogenea quæque, omneſque impuritates educendas e ſanguine, unde in ſua craſi depuratus optimum partibus nutrimentum, & materiam ſpiritibus prębeat convenientiſſimam, ſed eam fundendo, ſolvendo, colliquando, unde ejus maſſulæ ſeroſę, fibroſę, rubrę a ſe invicem ſegregantur, vel in ſua elementa ſalina, ſulphurea, terrea diluuntur, atque extra corporis confinia per apertos cutis poros diffluunt. Ejuſmodi porro ſudores, quoniam a principio corrumpente, ortum traducunt, quod ſolidas partes inſigniter lędit, ac ſpiritibus animalibus eſt infeſtiſſimum, nil mirum alia ſęva ſymptomata eoſdem comitari, præſertim vero pulſuum, ac virium imbecillitatem tantam, ac languorem, ut animam pro expiratione reddere brevi debere percipiat ęger, planeque intelligat. Solum vegeta mens ejus ſervatur. Rarum eſt tranſacta feliciter tota acceſſione, ſolum circa declinationem minutum, & frigidum ſudorem oboriri, paucum & viſcidum cum facie hippocratica, ægrumque fieri, ut frigidum marmor, morte declinationis loco ſubſequente. Apte cadit in hunc locum, quod tradit Hippocrates ſudores frigidos maxime circa collum peſſimos eſſe, quin etiam cum acuta febre lethales.

XIII. *Aut nulla cardialgia, nulloque dolore præcedente &c. frequens & gravis animi defectio &c.* Ad coagulativas febres referri debere Syncopalem, in qua ſcilicet æger non ex cardialgia, aut alio dolore, ſed nulla manifeſta ex cauſa ad levem quemcumque motum frequenter, graviterque animo deficit cum pulſus alterna pariter defectione, parvitate, & celeritate, aliiſque id genus ſymptomatis tradit laudatus Auctor, quem in hac parte ſequi polliciti ſumus, cum cęteras ſupra enarratas ad colliquativas pertinere docuerit. Parum refert utrum ad has, vel illas referas, dummodo uno remedii genere tuto, feliciterque debellare valeas. Si tamen pręceps virium lapſus, cujus varii ſunt gradus non aliam cauſam agnoſcit, quam ſublatum ſanguinis motum, multa autem ſint, quæ ſanguinis motum intercipere, atque auferre poſſunt, alia in cor ipſum, & ſanguinem immediate agant, alia mediate, ventriculi, inteſtinorum, uteri, aut aliarum partium nervos afficiendo, hinc myaſmata maligna, ac deleteria ſpiritibus infeſta,

vene-

venena, & alia omnia, quæ partes cum corde communicantes vellicare, mordere, aut aliter male afficere valent inter remotas cauſas recenſeantur, ſuſpicari fas eſt febrile fermentum, qua ventriculi, inteſtinorum, aliarumque imi ventris partium nervos vellicando, mordendo, qua in ſanguinem invectum ejus partes cogendo, figendoque, qua earum maſſulas diſſolvendo in ſua elementa, uno verbo univerſam ſanguinis maſſam varie corrumpendo ſpirituum animalium turbas, atque ataxias ciere, ut animadvertit Sydenhamius, obruere, profligare, ut Mortonus, unde in muſculares cordis fibras influere ea ratione non poſſint, qua opus eſt ad liberum ſanguinis curſum promovendum, unde animi defectio. Cui quidem opinioni id unum vel alterum robur addere videtur, quod ad levem quemcumque motum eadem contingit, ſpiritibus videlicet animalibus ad eos muſculos avocatis, qui ad motum voluntarium ſunt comparati, unde partes naturali motui famulantes eorumdem influxu deſtitutæ ſic collabuntur, ut ſanguinis motus penitus intercipiatur. Quid de pulſus defectione dicam, parvitate ac celeritate, quid de ſudoribus minutis, aliiſque id genus ſymptomatis, quę diſſolutionis, & colliquationis humorum maſſę argumento ſunt prope certiſſimo?

XIV. *Aut algor, qui paroxyſmo incipienti junctus ad maximam ipſius partem protrahitur* &c. Secus res habet in perniciosa illa febre, quę ab algore, qui paroxyſmo incipienti junctus non evaneſcit, ut in benignis fieri ſolet, ſed ad maximam ipſius partem protrahitur, denominatur, in qua manifeſta coagulati, condenſatique ſanguinis indicia deprehenduntur. Quam enim ad cauſam continuum, ac diuturnum frigus quod dire ægrotantes exercet aptius referas, quam ad craſſitiem, viſciditatem, lentoremque tantum, ut ab aucta cordis, & arteriarum contractione igneæ, ſulphureæque particulæ exaltari, atque exſolvi non poſſint ea ratione, qua opus eſt ad calorem inducendum? Hęc res potiſſimum effecit, ut Cl. Pitcarnius (*g*) nullam dari febrem algidam ſcriptum reliquerit. Cum enim algorem toto febris decurſu inſignem explicare ſe nulla ratione poſſe plane cognoverit per velocitatem circulationis ſanguinis per æqualia temporis intervalla æqualiter auctam, quam proximam febris cauſam prætendit, eaſdem inficiavit, vel ſi dantur, quod fateri opus illi fuit per obſervationes Hippocratis, Avicennę, Helmontii, Franciſci De le boe Sylvii, Etmulleri aliorumque, ab eodem ipſo aucto ſanguinis motu, aut a morbis febribus adjunctis ingenioſe quidem, perperam tamen repetere conatus eſt (*h*), ea prorſus ratione, qua Galenici frigus febrium rigoremque, quem cum calore præter naturam in corde accenſo, & in univerſum corpus diffuſo conciliare non poterant, non verum febris initium eſſe dixerunt, ſed neſcio quid ante acceſſionem febris, atque hinc nullam dari febrem algidam conſtituerunt (*i*).

XV. *Aut gravis, & profundus ſomnus in principio acceſſionis invadens quique augeri, & diſcuti ſolet &c.* Gravis, & profundus ſopor, qui intermittentium febrium, quæ pernicioſę vocantur, acceſſionibus ſupervenit, & de quibus egit nomine febrium intermittentium ſoporoſarum, & apoplecticarum Cl. Vuerlhof alibi citatus, quod non ſecus ac apoplexia ſubito hominem invadat, atque ipſum ad inſtar profundiſſimi ſomni obruat, Carus (*k*) fere appellatur, a lethargo gradu ſolum graviore diſtinctus, nullamque aliam cauſam agnoſcit, quam lentiſſimum febris fomitem, qui una cum ſanguine circulationem efficiens cum ad vaſa capillaria univerſæ corporis peripheriæ ſubſiſtit, & frigus immodicum excitat, tum in Cerebri vaſis hærens,

(*g*) *Element. ph. math. de feb. ſect.* 23.
(*h*) *Conſ. aph. lib.* 4. *com. in aph.* 2. & 9.
(*i*) *Ibidem.*
(*k*) *Aph. lib.* 1. *cap.* 3. *com.* 7.

atque intextorum nervorum oſtiola premens, ſpirituum ſecretionem, ac derivationem in nervos prohibet, unde carus, ſeu juxta Cl. Tortum lethargus, donec repetitis cordis, & arteriarum ictibus ſolvi tandem ſanguinem contingit, & cerebri vaſa ab infarctu, atque diſtenſione liberari, reſtitui demum liberum a cerebro in partes, ab his ad cerebrum eorumdem excurſum, atque ægrotum a profundo ſomno excitari. Lethargicam dictis de cauſis febrem appellavit Auctor noſter, atque ad coagulativas referendas eſſe rectiſſime cenſuit.

XVI. *Aut paucus, & nullus rigor initio febris ægris moleſtus, calor non valde intenſus &c.* Ultimum genus pernicioſæ febris ea fere eſt, quæ continuitatem adepta ſubcontinua appellatur, & in quam degenerat intermittens vel in ipſo ſtatim initio, vel progreſſu morbi ſenſim ſenſimque, vel nulla interpoſita mora, & quam citiſſime. Quacumque vero ratione id contingat ſolent ejuſmodi febres in continuas acutas, & malignas tranſire ab exordio ſuo cum pauco, aut nullo rigore invadente, caloreque non valde intenſo, ſed qui diu protenditur, quæ protenſo quaſi digito commonſtrant lentorem ſanguinis, ſeu viſciditatem ea copia cumulari intra capillares arterias, vel ejus tenacitatis eſſe, ut coercere minus valeat igneas, ſulphureaſque particulas, quæ ab aucta quidem cordis, & arteriarum contractione, languidiore tamen, quam in cæteris febribus accidat, ob admixtionem ſcilicet principii alicujus ſpiritibus infeſti, non ſenſibiliter ſolvuntur, ſed in ſua ſolutione diutius perſiſtunt, unde fit, ut uno circuitu vix remittente e veſtigio alter invadat, quoniam non prius deferveſcit in ſanguine febrilis caloris æſtus, quam a febrili fermento novus lentor efficiatur, qui ad fines arteriarum cumulatus novi circuitus recurſum inſtituat. Igneis hinc, ſulphureiſque particulis exaltatis obrigeſcere, corrugarique ſolidas partes contingit, nerveas arteriarum tunicas morderi, vellicari, ſerum abſumi, hinc calorem cum acredine conjunctum etiam intermiſſionis tempore remanere, & aliqua pulſus perturbatione, ſiti, & linguæ ſiccitate, urina præſertim parciſſima, & ſimul rubra, vel crocea, quę uti in omnibus febribus ſymptoma eſt animadverſione digniſſimum, ita in intermittentibus non parum faceſſere negotii, periculumque ſaltem continuitatis portendere rectiſſime monuit Tortus, qui longius progrediens in examine eorum, qui ad ſuſcipiendam continuitatem ſunt diſpoſiti, faucium, & gutturis inflammatione quadam ulceroſa corripi oſtendit cum cruſta, quam aphthas vocat, deglutitionis incommodum ferente: quod ſymptoma licet obſervationibus multis deprehenderit critice quandoque apparere circa finem morbi, quemadmodum etiam, & quidem frequentius puſtula circa labia erumpens, nihilominus tamen mali ominis eſſe conſuevit, vel ſaltem difficilis, atque periculi plenæ indicationis indicium, vel pravæ ſuccorum conditionis, qui ab iiſdem glandulis ſeparatur. Apparente igitur ejuſcemodi cruſta, juſtus ſubrepit timor, ne ad continuitatem tendat febris, & ſi parvitas pulſus, vocis clangor, & ſingultus, qui utpote ejus inflammationis ſoboles eſt magis pertimeſcendus, concurrant, etiam hominem jugulet. Quid ſi jam dolores capitis gravativi, deliria, convulſiones, averſiones a cibo, & quocumque potu, parotides, aliaque ſæva ſymptomata ſubſequantur, quæ malignas jam febres primarias comitari ſolent? Hæc ne repetendo longiora faciam, aut obſcuriora legi Torto malo, quam hic referri.

XVII. *Quotidiana febris diuturnior eſſe ſolet, quam tertiana, non ita tamen, ut quartana, quæ &c.* Ad prognoſim febrium intermittentium recte inſtituendam plurimum facit cauſarum conſideratio, quæ a ſolidis, fluidiſque partibus deſumuntur. Cum quotidiana febris, ut ſupra vidimus ſegniores, & otioſos homines invadat, ſenes magis, & pueros, fęminas plus quam viros, in quibus laxior eſt ſolidarum partium textura, ſegniorque humorum motus, ſerum, ac lympha excedunt, ſpiritus torpidi, fit ut difficilius illæ ad naturalem eutoniæ ſtatum redigantur.

tur, hi vero ad naturalem craſim, inde conſequens, ut longior protrahatur, quam aliud febris genus, quæ a ſolidarum partium labe enaſcitur, quæ facilius tollitur, humorumque vitio, quod citius emendatur: labem illam intelligo, quæ in calido, & ſicco temperamento contingit bilioſo dicto, in quibus fibræ teneræ quidem ſunt, tenſæ tamen, atque elaſticæ: lentorem illum, qui ſanguini ſupervenit conſiſtentia ad tenuitatem vergenti, in quo ſulpureæ partes ſunt exaltatæ, & copioſæ, ſpiritus agiliores, ſubtilioreſque, unde ætherogenea quæque, omneſque impuritates eliminantur e ſanguine, atque in tota ſua craſi facilius depuratur. Quod æque affirmari non poteſt de quartana, quæ melancholicis familiaris eſt, iiſque qui ſolidas habent partes duras, craſſas, & denſas, quæ labefactatæ difficilius debitum tonum acquirunt, qui ſanguine donantur, in quo terreſtres, & ſalinæ, fixioreſque particulæ excedunt, quæ non tam facile ad libere fluendum diſponuntur. Hinc non mirum quotidianam febrem diuturniorem eſſe tertiana, non ita tamen ut quartana, quæ ad annos ſæpe protenditur, ut ſcribit Maſſarias, qui vidiſſe ſe Matronam teſtatur jam per annos duos ſupra viginti quartana laborantem. Animadverſione dignum eſt inveteratam quartanam propter dictam humorum difficultatem ad fluendum, monente Celſo, raro præterquam Veris tempore judicari, quo videlicet corporis ſucci turgent, ac ſpirituum copia fœti expanduntur, atque in depurativas fermentationes ſunt proni.

XVIII. *Si exquiſitæ & benignæ fuerint nunquam lethales eſſe conſueverunt. Vernales quidem breviores &c.* Intermittentes febres ſi eas notas habuerint, ut ſalutares dici mereantur, cum ſanguinem a febrili ſucco, & qualibet acceſſione expurgent, nullis ejus reliquiis remanentibus, & corpus purius, & ſalubrius reddant, hominem ad longævitatem diſponunt. Hinc quod ait Hippocrates: *Quæcumque febres non intermittentes tertio die fortiores fiunt, magis periculoſæ ſunt: quocumque modo intermiſerint, periculum abeſſe ſignificant*: ad has potiſſimum eſt referendum. Quid enim ſi intermittant, & perniciosæ ſint, malignæve? Ad tempeſtatem etiam potiſſimum attendendum eſt, atque ad ægrotantis conſtitutionem. Intermittentes enim febres, quæ verno tempore graſſantur, niſi ſalutares ſint, breviores certe, mitioreſque eſſe ſolent iis, quæ aut per æſtatem contingunt, aut autumnum. Verno enim tempore, ut paulo ante diximus cum corporis ſucci turgeant, ac ſpirituum copia fęti expandantur, fermentationes depuratorias facile ſuſcitant invadentes benignæ febres, humoreſque pravi, quibus æger ante febrem infectus erat, concoquuntur, & per emiſſaria corporis facilius excernuntur. Æſtuante aere cum ſubtiliores humorum partes facile diſſipentur, totaque eorum maſſa fundatur, ac colliquetur, igneas, ſulphureas, tenujoreſque particulas facile exaltari contingit, atque inſignes turbas, aut ſæva ſymptomata induci. Autumno diſperſis volatilibus, tenujoribuſque jam dictis particulis, & tota ſanguinis maſſa quaſi vapida reddita, craſſiorum, fixiorumque particularum remanentium copia referta, quæ difficilius ſubigi poſſunt, atque extra corpus excerni, longius protrahuntur, & ſi homines invadant, in quibus ventriculus, hepar, lien pancreas, aliaque viſcera imi ventris ſint labefactata, aut quorum fluida aliqua ſint coinquinata, ut in cachochymis contingit, & qui obſtructionibus viſcerum laborant, cachexiæ, hydropi producendo ſunt opportuniſſimæ, ut Galenus, & Jo. Langius teſtati ſunt. Congeruntur enim viſcidæ, craſſæque, atque inertes particulæ, vel ſales acres exaltantur, quibus fibroſa pars comminuitur; exeriturque unde optima partium miſcella pervertitur, feroſæque partes a reliquarum nexu ſecedentes facile per laxatas tunicas tranſudant, atque in cavitates effunduntur. (*l*) Quid ſi glandulæ, vel vaſa ſanguifera, quæ proximam bilis materiam ad hepar deducunt, vel choledochus, cyſticus, & hepaticus ductus craſſitie, & viſciditate ſuccorum, unde

V 2 au-

(*l*) *Aph. lib. 3. cap. 5. com. 3.*

autumnales longioreſque febres ortum traducunt, obſtruantur, præpediaturque bilis ſecretio in hepate, vel ejuſdem derivatio in duodenum? Icterum supervenire luce clarius apparet. Quid ſi in magna humorum dyſcraſia, ac diuturna, diſſolvatur nexus ille, ac vinculum, quo alligantur mutuo, & firmiter conjunguntur varia illa genera partium, quibus cum fluida noſtri corporis, tum ſolida componuntur, & vel ſalinæ partes a ſulphureis, & terreſtribus ſecernantur, aut ſi temperamentum aduſtum ſit, ac bilioſum ſulphureæ a reliquarum vinculo expeditæ, & diſſolutæ cum ſale primigenio miſceantur, atque unita volatilia fiant, aut tenuibus, & aquoſis ſanguinis partibus reſolutis, ac diſſipatis, fixiores, terreæ, oleoſæ quaſi uſtæ remaneant? Scorbutum varium, pro vario febris genio, ſubſequi notum omnibus eſt planeque perſpectum. (*m*)

XIX. *Si quartana correptis dyſenteria ſuperveniat brevis, & mitis, bonum: ſecus &c.* Hippocratis fere dictum eſt (*n*) *Lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperveniens, bonum*. Lienem enim in quartanis male affici communiter reputatur. Si tamen dyſenteria ſit longior, cum acrimonia illa, quæ nerveas inteſtinorum fibras ſtimulare habet, ac convulſivam contractionem in eaſdem inducere, nec non exulcerationem inteſtinorum progignere, efficere valeat, ut non ſolum excrementitii humores una cum adipoſis corporibus cruore perfuſis excernantur, ſed boni laudabileſque, volatiles ſcilicet, ſubtileſque particulæ una cum villis, ac carunculis extra corpus educantur, ac ſpiritibus diſſipatis ſolidarum partium, ac primum quidem ad chyli elaborationem, perfectionemque concurrentium tonus vel penitus labefactetur, vel plurimum ſaltem langueſcat, juſtus ſubrepit timor, ne chylus primum, tum ſanguis aqueus ſeroſuſque generetur, cordis vero, atque arteriarum elatere, ac robore ceſſante congrue tollatur ſanguinis mixtio, ſeroſæque partes a reliquarum nexu ſecedant, atque per laxatas tunicas tranſudent, & in cavitates effundantur, unde hydrops; vel ſaltem Stomachi fermentum ſic enervetur, ut ad ciborum mutationem ineptum evadat, vel tanta in ipſum fibrarum laxitas inducatur, ut ingeſta non retineat, vel ita irritetur, ut citius ea per pylorum extrudat, quam ſint confecta, & attenuata, vel inteſtina ipſa pari vitio affecta, quæ a ſtomacho digeſta, & attrita ſunt, ſub forma tamen chyloſa excernantur, unde lienteria, aut cęliaca paſſio, ut idem Hippocrates docuit (*o*): *Qui lienoſi a difficultate inteſtinorum corripiuntur, iis ſupervenienientem longam dyſenteriam, aqua inter cutem, aut inteſtinorum levitas excipit, & moriuntur.*

XX. *Quartana convulſionibus ſuperveniens ſalutaris &c.* Quartana intermittens omnium longiſſima, & juvenes beneque conſtitutos invadens non ſolum periculi expers eſt, & tutiſſima ſed id etiam commodi habet, ut a pernicioſioribus morbis præſervet, ut Hippocrates, Aſclepiades, Galenus, & Celſus teſtati ſunt. Et ſane cum ſit febris genus, quod diutius cum rigore ægros exercet, muſculorum ſcilicet totius corporis vibratione, ac concuſſione fibrarumque nervearum alterna tenſione, ac relaxatione lentos, ac difficiles ſuccos alicubi in viſceribus impactos attenuari facile contingit, dimoveri, ex minimis vaſculis, glandulis, & nervoſis partibus, in quibus altius conſiſtunt excuti, concoqui, & aliorſum trudi, atque hinc ſolidas partes ab infarctu, obſtructioneque, aut morſu, ac vellicatione, aut præſervari, aut liberari. Hinc apte Hippocrates (*p*) *A quartana correpti non admodum convulſionibus corripiuntur, aut ſi corripiuntur, ac quartana ſuperveniat, liberantur*. Quoniam ſermo incidit de rigore ad pravos corruptoſque ſuccos ſanguinis maſſam conſpurcantes, aut ſolidis partibus tenaciter adhærentes attenuandos, excu-

(*m*) *Conf. cap. 9. lib. 3. com.* 2.
(*n*) *Aph.* 70. *ſect.* 5.
(*o*) *Sect.* 5. *aph.* 43.
(*p*) 5. *Aph.* 7.

cutiendos, protrudendos idoneo, ſilentio prætereundum non eſt quandoque in progreſſu, & circa declinationem febris ſupervenientem rigorem cum urinæ coctione criticum eſſe, ut Baglivus teſtatur, quique febrem ſolvit, & ſymptomata mitigat, eumque ſudor ſequitur, vomitus, vel alia evacuatio. Etiam ſymptomaticus movet, & diſcutit, ſed cum debilitate, ac fruſtraneo naturę conatu, hinc cum per inſignes excretionum vias pravos humores excernere non veleat, raptum facit ad caput, & diaphragma: Hinc Hippocrates: *Si crebro*, inquit, *nec ulla febris diſceſſio eſt, fractis jam ægri viribus lethale*: & paulo infra idem Baglivus addit: *Rigor ſymptomaticus aut ſuppurationis internæ ſignum eſt, aut tranſlationis materiæ in caput &c.* Sed de rigore plura pęnes Hippocratem, Baglivum, Duretum, Riverium, alioſque ad quos confugiendum.

XXI. *Hæmorrhagia quartanæ ſuperveniens mala*. Hęmorrhagia narium in ſalutarem, & non ſalutarem commodiſſime dividitur. Salutaris illa eſt, qua morbus, aut cauſa morbum efficiens, aut efficere valens aufertur, ut cum a ſuperfluo ſanguine corpus exoneratur, quemadmodum ſępe in juvenibus, iiſque qui fervidiori temperamento ſunt pręditi contingit. Cui fere ſimilis eſt hęmorrhagia critica, & acutos morbos non raro ſolvens. Non ſalutaris vero eſt illa, quę nec morbum tollit, nec morbi cauſam. Quo ſpectat hęmorrhagia ſymptomatica acutorum morborum, & quę obſtructionibus viſcerum imi ventris ſupervenit, quęque quartanis diuturnis, & longis materiem prębent convenientiſſimam. Cum enim ab impedito per ſuos canales libero motu exoriatur, plus quam par eſt protrahitur, unde ſanguis ultra congruentem menſuram effunditur, ſanguis loturę carnium ſimilis generatur, aqueus ſeroſuſque ea ratione, ut accedente labefactato ſolidarum partium tono, Cachexię, atque hydropi via, adituſque aperiatur.

XXII. *Cæterum urinæ cruditas, concoctio, confuſio, febris vehementia, aut lenitas &c.* Inter excreta, urinę pręcęteris ad prognoſim inſtituendam ſunt obſervandę, quę pręter quam in acutis, & malignis raro fallunt. Urinę crudę, nimis tenues, lucidę, & aquoſę ſemper ſuſpectę ſunt: cum ſignis coctionis, ſedimento ſcilicet albo, levi, ęqualique, item cum eneoremate, & nubecula ad colorem candidum vergente, cum colore ſubrufo, vel ſubflavo ipſius urinæ, aliis ſalutaribus ſignis fauſtum eventum prænuntiant. Ex oppoſito nimis craſſæ, rubræ, turbidæ, oleoſæ, & quæ ſubjugales dicuntur, quæ nec reſident, neque clareſcunt, ſed confuſæ remanent quales jumentorum ſimiles, malæ; quod & in acutis affirmavit Galenus docens urinas turbidas non reſidentes longum morbum ſignificare. Si naturam febrium, earumque ſymptomata expendas, videaſque ſubito cum moleſtis, gravibuſque laboribus invadere, eas velocius moveri, breviuſque ad finem pervenire facile deprehendes: Tardioris e contra motus febres longiore tempore ſtatum, & declinationem attingere: Quæ eadem conſtanti hora invadunt plerunque diuturnas fore: Quæ æqualiter anticipant, & poſtponunt cum cruditatis ſignis eſſe fere inter initia. Quæ inæqualiter id faciunt vel ocyus ad augmentum perveniunt, aut æqualitatem ſuſcipiunt ſtatum attigiſſe facile judicaveris: Quæ minui incipiunt ad declinationem vergere: Quo intermiſſionum tempora fiunt longiora, eo propiorem finem habere: Qualitatem aeris, regionem, temperamentum, ægrotantis vires ſilentio prætereo, ad quæ ſi diligenter attendas, nullus dubito, quin in præſagiis, & judiciis febrium non exiguam famæ celebritatem tibi facile compares.

XXIII. *Si ſalutaris, ac depurativa ſit febris, nullo plerumque eget auxilio &c.* Cum in febribus intermittentibus febrile fermentum in prima corporis regione, ut ſæpius dictum eſt, ſedem plerunque habeat, quod una cum chylo, & lympha, aliiſque ſuccis vitio aliquo coinquinatis in ſanguinem influens lentorem illum inducit, qui ad capillares arterias hærens, ac ſubſiſtens paroxyſmum febrilum

lem excitat, præcipuum curationis opus in eo ſiſti videtur, ut peccans materia corrigatur, & eliminetur, ejus vero, quæ in ſanguinem irrepit, expurgatio adjuvetur, ut ſymptomatis, aliiſque quæ cum in paroxyſmi initio, tum toto febris decurſu ſupervenire ſolent maturo, providoque conſilio occurratur. Quoniam vero non una eſt febrium indoles, nec unus materiæ febrilis motus, ita quam diligentiſſime perquirendum eſt, ne aut nimis propenſe propoſitæ indicationes expleantur, aut protrahantur in id tempus, quod jam curationi locum abſtulerit. Et improvida quidem & mala eſt ut plurimum celeritas in ſalutaribus, ac depuratoriis, cujuſmodi ſunt præ reliquis tertianæ ſimplices vernales, quæ ordinate recurrunt cum perfecta apyrexia, nulloque graviore ſymptomate comitatæ. In his enim ſine quadam naturæ providentia ad depurandum ſanguinem præſertim Vere excitatis, materia morbifica ex ſe ipſa, vel ſolis naturæ viribus concoquitur, & ſingulis paroxyſmis diſſlatur. Hinc ejuſmodi febres cum tardioris ſint motus, ac ſæpe ſine ullo remediorum apparatu feliciter, ſalubriterque terminentur, ſi quovis modo pertractentur, vel inter initia, vel in progreſſu verendum eſt, ne cauſa, & fomes febris perturbetur, aut etiam intercipiatur, extinguaturque, fructuſque uberrimus depurationis ſanguinis a natura intentus prohibeatur, unde facile renaſcitur febris, aut eadem extincta pullulant alii morbi, qui non fuiſſent futuri, quorumque remedium in ipſa febre eſt denuo quærendum.

XXIV. *Si corruptiva benigna vernali tempeſtate hominem adoriatur plethoricum &c.* Secus res habet in corruptivis etiamſi benignæ fuerint, in quibus materiæ conditio, aut copia, aut febris ipſa, quam gravius aliquod ſymptoma comitari ſolet, vel ad chronicam naturam vergens poſtulat, ut eidem opportunis remediis occurratur. Inter hæc animadverſionem meretur venæ ſectio, & purgatio, de quibus diſputatur inter Medicos. Antequam quæſtionem aggredior, ad propoſitæ rei ſtatum melius aſſequendum, operæ pretium duco duo febrium tempora diſtinguere, quæ in univerſale, & particulare paſſim dividi ſolent a Medicis. Per univerſale tempus intelligunt totum febris decurſum a principio ipſius, ac duratione uſque ad terminum: per particulare vero, decurſum diei, quo incipit febris, augetur, atque declinat, qui fere paroxyſmus nuncupatur. Indicationes in tempore univerſali introducta jam, & exiſtente febre, viſæ ſunt nonnullis congrue deduci a calore, atque efferveſcentia, quæ excitata quoquo pacto temperanda eſt, deinceps a cauſis quæcumque fuerint, quæ corrigendæ, eliminandæ, ut ipſi nos paulo ante diximus, a febris demum tempore, quod eo uſque protrahendum eſt, donec criſes contingant, quæ pro varia febris indole, atque natura variare ſolent: Experientia enim teſtis eſt morbificam materiam ſpontaneo naturæ motu, ut plurimum moveri ad ſeparationem per quaternarios uſque ad vigeſimum, a vigeſimo autem per ſeptenarios uſque ad quadrageſimum. Obſervationibus etiam multis compertum eſt in acutis morbis, in quibus mutationes, & criſes conſpicuæ ſunt, peccantem materiam vel ſecerni, vel agitari, & confundi, frequentius die tertio, quinto, ſeptimo, nono, undecimo, decimoquarto, vigeſimo ſeptimo, trigeſimo quarto, quadrageſimo. Obſervatio etiam docet ephemeras legitimas viginti quatuor horis deſinere, tertianas ſimplices ſeptenis circuitibus, ſynochos ſimplices quatuor diebus. Cum igitur princeps indicatio in calore compeſcendo conſiſtat, Veteres fere omnes, & plerique Recentiorum in principio temporis univerſalis febris venæ ſectionem miris laudibus extulerunt, ceu illud præſentaneum remedium, quo nullum efficacius ad contemperandam ſanguinis agitationem, eoſque intra limites continendam, qui materiæ febrili ſubigendæ, perque ſudoris, urinæ, aliarumque excretionum vias exterminandæ ſunt comparati. Alii e contra venæ ſectionem non modo utilem, ac neceſſariam in hiſce febribus exiſtimarunt, ſed tamquam noxiam eſſe prorſus omittendam. Opinio-

pinioni anſam dedit Sydenhamius, qui præſertim in conſtitutione epidemica purgatione, & venæ ſectione id potiſſimum ſequi ſcribit, ut morbus in longiſſimum tempus percurrat, atque interim ægri mille ſymptomatibus, iiſque periculoſiſſimis exponantur. Tortus vero certis obſervationibus ſe deprehendiſſe affirmans eadem ipſa phlebotomiæ, aut purgationis die (loquitur enim de hiſce remediis) minus maturo conſilio, & æſtivo tempore adminiſtratis febrem ex ſimplici duplicem fieri, ſic eamdem firmavit, ut etiamſi id ipſum etiam haud raro ſponte contingere ſine ejuſmodi remediorum præſcriptione fateantur, in aliam tamen hac relicta ſe libenter ire non poſſe teſtentur. Verum ſi ſedulo, & accurate perpendant varios phlebotomiæ effectus in variis febrium ſpeciebus, quæ hac vel illa tempeſtate dominantur, nullus dubito, quin totam famæ celebritatem remedio detrahant. Fit enim, ut pro vario annorum, annique temporum conſtitutione, ut varii impetus, & moris oriantur febres, aliæ veris tempore, quæ plerunque benignę eſſe conſueverunt, alię ęſtate, quę acutiores, pernicioſę, epidemicę, aliæ autumno, quę lentę, & diuturnę, & craſſiorum, fixiorumque ſuccorum proventum oſtendentes. De quibus in genere verum eſſe conſtat autumnales periculoſiores conſequenter eſſe, ac pejoribus ſtipari ſymptomatis, quam vernales, & ęſtivas, quas inſignis calor, ac fervor claras facit. Cujuſce rei ratio eſſe poteſt, quod verno tempore ſanguis vegetior eſt, ac ſpiritibus, ut ſupra diximus, uberius ditatus, quam autumnali tempeſtate, quę ob ſanguinem volatilioribus particulis ęſtate primum ſic exaltatis, ut tota humorum maſſa fundatur, unde orgaſmus, atque efferveſcentia proficiſcitur, mox penitus diſſipatis, abſumptiſque, magis orbatum, gravioribus febribus locum facit. Atque hęc potiſſimum eſt cauſa contrariorum effectuum miſſionis ſanguinis, quę Veris tempore ſi plenitudo, vel modica ęgrotantis ętas, aliaque id genus conſentiant, proficue celebratur: ęſtate nonniſi in inſigni ſanguinis fervore, vaſorum diſtenſione, habitus plenitudine, aliiſque ejuſmodi conditionibus minori cum fructu: autumno demum pernicioſe. Quid ſi febris paulo acutior ſit; & ad continuitatem ſit proclivis, quid ſi ęger aut dolore capitis intenſo affligatur, aut lethargus, delirium, aliaque graviora ſymptomata, quę pręcipuum aliquod viſcus dire exerceant, ſuperveniant. Venę ſectionem non ſolum, ſed alia quęcumque revellentia pręſidia a fonte Chirurgico deſumpta in hiſce caſibus locum habere, manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari.

XXV. *Purgantia poſtea mitiſſima locum habent &c.* Purgantia valida jam ob ſalem cauſticum indolis virulentę eſſe proſcribenda in febribus ſupra a nobis eſt demonſtratum. Lenientia in iis quæ ab apparatu crudorum, & putri cachochylia in primis viis, & meſenterio originem ducunt commodiſſime exhiberi, dummodo virium imbecillitas, atque facilis in Syncopem lapſus minime prohibeat. Idque egregie congruit cum pręclariſſimi Sydenhamii, & Torti doctrinis, qui validiorem purgationem abhorruerunt, ceu illud remedii genus, quo non ſolum obſtructiones viſcerum imi ventris non reſerantur, humoreſque in primis viis ſtabulantes exturbantur, ſed majori ſtimulo ſolidis fibris addito, humorumque maſſa, ſoluta, ac colliquata, illas augeri contingit, aut confirmari, hos vero magis corrumpi, ac depravari, ut obſervationibus cum multis, ac frequentibus, tum certis, ac conſtantibus ſe didiciſſe experientiſſimus Tortus teſtatus eſt, qui tamen purgationem circumſpectam, & levem minime rejicit cum Sydenhamio, quem Cl. Van-Suvieten ſequutus eſt, ut colligi poteſt ex iis, quæ tradit (*q*) inquiens: *Tam felix quandoque horum remediorum eventus eſt, ut, non tantum hæc colluvies expellatur, ſed ſimul etiam futurus paroxyſmus caveatur, præcipue autem in vernalibus intermittentibus, in quibus hac methodo ſe uſum fuiſſe teſtatur Syden-*

ius

(*q*) *Com. in aph. Boer. n.* 759.

hamius, dum propinabat emeticum. Quæſtio eſt circa tempus, quo inſtitui debet levis purgatio, num ſcilicet ante, vel poſt venæ ſectionem. Alii enim prius venæ ſectionem celebrandam eſſe exiſtimant, atque ii quidem concinne dicere ſibi videntur, cum ita argumentantur. Morbus qui in ſanguine, ejuſque efferveſcentia fundatur iis remediis eſt pertractandus, quæ nimium fervorem, æſtumque compeſcunt, ac temperant. Venæ ſectionem hæc potiſſimum facultas claram facit: ergo venæ ſectio primum eſt celebranda. Alii e contra qui purgationem prius inſtituendam eſſe contendunt, hoc uno contenti non ſunt, atque rem omnem nullo labore expedire ſe poſſe putant, cum ita arguunt. Febres intermittentes non oriuntur a plenitudine, ac copia ſanguinis, ſed a fermento febrili partim in primis viis hærente, quod certis ſtatiſque temporibus in ſanguinem irrepit, partim ſanguini inſito: Venæ ſectio nec ſubigit, nec expellit febrile fermentum, utique vero purgans medicamentum; ergo non phlebotomia, ſed purgatio primum eſt inſtituenda. Hæ ſunt præcipuæ Medicorum elapſi ſæculi ſententiæ circa purgationis tempus, & venæ ſectionis, quarum altera eſt commodiſſima, quam attulit Galenus, quamque deſumpſit a neceſſitate compeſcendi fervorem, atque æſtum febrilem, humoreſque in primis viis ſtabulantes exturbandi. Si enim utrumque effici oporteat, primum ſanguinis miſſionem celebrandam eſſe, deinceps purgandum docuit. Hanc velut expeditiſſimam ad omnia in ſermonibus quæſtionibuſque propoſitis, in præſens quam libentiſſime amplectimur. Et ſane vix in oppoſitam ire poterit, qui illud vel leviter tantum mente volutaverit venæ ſectionem in principio celebrari tuto poſſe, non æquo modo purgationem, niſi diſpoſitus ſit æger ad eamdem ferendam: Ita Hippocrates: *Si quis purgare voluerit oportet corpora prius fluida facere*: Deinceps purgatio reſpicit concoctionem materiæ, quæ in principio adhuc cruda eſt. Haud ignoro ad hæc reſpondere purgationis amatores, adeſſe inter initia febris febrile fermentum vel ſanguini inſitum, vel extrinſecus in ſanguinem irrepens: ſed velint, nolint fateantur, & ipſi neceſſe eſt ad purgationem idoneum non eſſe, quod vel ex eo maxime apparet, quod purgante medicamento inter initia ſtatim exhibito, tota humorum maſſa commovetur, exagitatur, inſigneſque turbæ, ac moleſtiæ ægrotanti procreantur. Quid quod nullum noxæ periculum, certa ſalutis ſpes repoſita ſit in venæ ſectione, etiamſi ſolum febrile fermentum ſpectetur? Nonne enim educto ſanguine, ſi in venis exiſtit ipſius copiam imminui neceſſe eſt? Si extraneus ſit vereri ne forte attrahatur intra venas, ridiculum eſt. Id quod revera prohibere poſſet venæ ſectionem initio febris, non aliud rem ſedulo perpendentibus occurrit, quam grave aliquod, atque oneroſum ſymptoma, ſtomachum, inteſtina, hiſque adjacentes partes extorquens. Ejuſmodi ſunt vomitus; cardialgia, ſyncopes, aliaque id genus, quæ ab acribus, erodentibuſque particulis nerveas ipſarum tunicas in inſignes turbas, ac ſpaſmos proritantibus, ac vires majorem in modum profligantibus ortum traducunt: Rurſus acrioris cujuſdam, ſolventiſque humoris prædominatio, bilis ſcilicet, ut Antiqui apte dicebant ſola putreſcens, ut in febribus tertianis exquiſitis contingit. Adeo autem raræ ſunt, ut Mercurialis teſtetur, ſe in praxi quadraginta annorum, nunquam vidiſſe febres bilioſas legitimas a ſulphure volatili exortas, ſed omnes ſpurias, nothaſque. Sirius etiam ardens, quo humorum maſſa funditur, ac colliquatur. Minori propterea cum fructu celebrari in hiſce caſibus, etiamſi venam ſecari neceſſe ſit, ſupra animadvertimus. Sed ne infinitus ſim, ſi quis curioſius hoc de argumento doceri velit, eum ad libellum mitto italo idiomate nuper editum a Jo. Verardo Zeviani, qui diligenter adeo illud pertractavit, ut nullum reliquerit medentibus hac de re ſuſpicandi locum. (r)

In

(r) *Metodo circa l' uſo della purga, e del ſalaſſo del Dottor Gio: Verardo Zeviani* 1752. *in Verona*.

In febribus quidem exquiſitis tertiani motus ſerum lactis tamarindatum &c. Jam de purgantis delectu dicendum eſt, quod pro varia ſuccorum peccantium, tempeſtatis, & ſubjectorum conditione variare debet. In febribus exquiſitis tertiani motus, ſi quæ ſunt, cum acres, ſolventes, bilioſæque particulæ dominentur, quæ iiſdem evacuandis, & ex maſſa ſanguinea præcipitandis, ac ſanguinis effervefcentiæ compeſcendæ ſunt opportuna, locum habent. Inter hæc eminent Tamarindi, qui ſuavi acore quo ſunt præditi, ſi ſero lactis decoquantur mitiſſimam æque, atque efficaciſſimam purgationem efficiunt, ut toties a nobis dictum eſt. Quoniam vero viſcidæ, mucoſæque quiſquiliæ primas vias infarciunt, undæ ſpuriæ, ac nothæ febres proficiſcuntur, propterea ſalubre practicorum conſilium ad conſervam florum perſicorum, aut ejus ſyrupum confugere, tartar. ſolubil. rhabarbar. aliaque, quæ craſſis, lentiſque humoribus leniter expurgandis efficaciſſima ſunt, ſi quæ alia. Illud etiam commodi ſequitur ex iſtorum lenientium uſu, ut auferatur compreſſio ab excrementis inducta in inteſtinis, qua fit ut ſanguis per vaſa meſaraica, ductuſque hepatis, lienis, aliorumque viſcerum libere fluere non poſſit, & cauſa febris a lentore ſanguinis augeatur.

XXVI. *Si inanis adſit, & ſicca vomituritio ol. amygdalar. dulc. s. i. r. e. &c.* Inanis, & ſicca vomituritio, quantum conjicere licet, non aliam cauſam agnoſcit, quam tenuem, acrem, ac bilioſam materiem nerveas ſtomachi fibras mordentem, ac vellicantem, qua inordinatim, atque inconcinne moveri contingit, convelli, eorumque motum periſtalticum inverti, nulla ipſius evacuatione ſuccedente. Eam igitur temperandam eſſe per ea, quæ involvunt, ac diluunt, irritatas vero, ac convulſas partes demulcendas, atque emolliendas eſſe manifeſtiſſima res eſt. Quid autem oleo amygd. dulc. aut juſculo tepido efficacius, aut pro ægrorum opportunitate valentius? Oleo nimirum acres, atque acuminatas particulas ſic involvi contingit, juſculo vero ſic diſſociari, ſejungi, ut ad mordendum, ac ſtimulandum impares prorſus evadant, utroque vero remedii genere irritatas nimis, ac convulſas partes ſic demulceri, laxarique, ut aut inanis vomendi conatus penitus auferatur, aut mitis, & placida materiæ excretio promoveatur. (*s*)

XXVII. *Antequam vero alter paroxyſmus invadat bolus ex Laudan. Nepent. &c.* Solent nonnulli ad mordicationem præcavendam opiatum aliquod medicamentum hora altera ante acceſſionem febris exhibere. Verum ſi quid ſentio ab opiatis ante univerſalia remedia, quæ morbificam materiam corrigant, & per inſignes excretionum vias extra corporis confinia educant, abſtinendum traderem, ne torpor excitetur in efferatiorem motum abiturus, non placida exoptanda tranquillitas, ut perbelle ait Cyrillus alibi laudatus. (*t*) Si igitur nimiæ irritationes compeſcendæ ſint, ac dolor leniendus, iis maxime uti expedit urgente neceſſitate, quæ demulcere habent, laxare, irretire, diluere ut ol. amyd. dulc., aqua tepida. & ſimilia: hiſce vero eductis ad ea quæ ſedandi virtute donantur confugere, ut præclariſ. Sydenhamius poſt unumquodque eluvionis penſum facere conſuevit.

XXVIII. *Alterantia ex matr. perlar. p.p. oculor. cancror. p.p. &c.* Remedia etiam morbificam materiam corrigentia, & præparantia eximiam operam præſtant, cum præſertim in primis viis paroxyſmo febrili fomitem præbeat. Hæc vero ut plurimum tenuis, acris, & mordax cum ſit in febribus tertiani motus, ea quæ terreſtribus partibus conſtant, & quæ abſorbentia communiter vocantur, ac ſenſim acredinem ſuccorum imbibunt, qui in ſanguinem invecti febrilem paroxyſmum excitant, viſa ſunt convenire: multo magis ſi ex decoctione calida herba-

(*s*) *Conf. lib.* 3. *cap.* 1. *com.* 12.

(*t*) *Lib.* 1. *cap.* 5. *com.* 21.

rum, quæ ſale quodam nitroſo, aut armoniacali ſunt præditæ exhibeantur, quæ nimium ſanguinis motum, ac ſubſequentem diſſolutionem retardant, ſimulque blandam ſolidis partibus laxitatem inducendo ſudorem, aut alias convenientes ſecretiones promovent.

XXIX. *In quotidiana, & quartana febre ſal. armoniac. arcan. duplicat. tartar. vitriol. &c.* Secus res habet in quotidiana, ac quartana febre, in quibus plerunque materia febrilis cum cruda ſit, ac viſcida, viſcerumque, & glandularum imi ventris flacciditas, atque impeditus liber ſanguinis per eumdem progreſſus, ea potiſſimum indicari videntur, quæ in primas vias agunt, craſſas mucoſaſque quiſquilias abſtergendo, incidendo, digerendo, ſolidas partes corroborando. Ejuſmodi ſunt ſales omnes neutri, arcanum duplicatum, ideſt ſal ex capite mortuo aquæ fortis, ex nitro, & vitriolo paratæ extractus, tartarus vitriolatus, qui & ipſe ſal ſalſus eſt ex ſale tartari, & ſpiritus vitrioli portione emergens, ſal armoniaci, & ſimiles. Sales etiam fixi, præſertim vero quæ ex plantis amaris educuntur, ſal abſynt. centaur. minor. card. benedict., aut decoctio earumdem plantarum, nec non radix gentian. cortic. aurantior., quæ ad contumaces febres debellandas tantopere commendantur, & quibus meliora febrifuga Veteribus ignorabantur.

XXX. *Ingruente paroxyſmo, atque urgente ſiti potus calidiuſculus parce propinetur &c.* Sitis ut plurimum ingruente paroxyſmo ægris eſt moleſta, cum ob lentorem ſanguinis, qui a fermento febrili excitatur, inhibeatur blandi humoris fauces, gulam, profundioreſque partes humectantis ſecretio, unde illæ areſcentes, aut vellicatæ moleſta illa contractione afficiuntur, qua Animal ad appetenda liquida determinatur. Salubre tamen accuratiorum practicorum conſilium eo tempore a potu abſtinere, ne caloris eruptio a potione prȩſertim frigida, & copioſa retardetur, unde frigus ȩgris moleſtum in longius protrahatur. Ægrum tamen valde conquerentem ſine ullo auxilii genere relinqui, impium videtur. Quare potus conceditur, qui ſi parce hauriatur, & calidiuſculus non ſolum nullum noxȩ periculum prȩſefert, ſed morbificam materiam diluendo, ac convulſivas viſcerum contractiones relaxando, eamdem ad excretionem egregie diſponit.

Cardiaca calefacientia omnis generis evitentur. Si præter potum calidiuſculum aquæ ſimplicis, aut infuſi Theè, & quod a domeſticis fieri ſolet ſtragulorum moderato tepore, fomentis moderate calidis ad extremas partes applicitis, calorem provocemus acrioribus remediis cardiacis, calefacientibus, frictionibus aſperis, veſicantibus, aliiſque ſtimulantibus remediis verendum eſt, ne fibræ, & vaſa ſanguifera, quæ a frigore proritantur ad ſtagnantes, hærenteſque humores diſcutiendos, reſolvendos caloremque repetitis ſuis contractionibus excitandum, in eos ſpaſmos, ac convulſiones adigantur, ut non ſolum ſubſequenti calori nimium addatur incitamentum, ſed inflammationes graviſſimæ, phrenitides, aliaque graviſſima mala oboriantur.

XXXI. *Æſtus ſubſequens repetitis hauſtibus temperetur in tertianis præſertim, potionibus ſubacidis &c.* Liberalius eſt indulgendum ægrotanti, dum febris augetur, cui potus concedi poteſt magnis, & repetitis hauſtibus aſſumendus. Cum enim humor fauces, & adjacentes partes humectans increſcente febre deficiat, quod ab aucta cordis, & arteriarum contractione ſoluto jam lentore ſanguis nimis citato curſu ad glandulas appellit, a quibus ſecerni debet nec non igneæ, ſulphureæque particulæ exſolvantur, quæ in univerſam maſſam diffuſæ ejus agitationem non ſolum furoremque inducunt, ſed ſolidas ipſas partes exſiccant, atque adurunt, in eorum adminiſtratione nimis parcum eſſe Medicum non decet, quæ nimium ſanguinis motum, fervoremque compeſcunt, tenues, acres, bilioſaſque particulas diluendo, figendo, quæ ſolidas partes areſcentes, atque aduſtas hu

humectant, ac blande relaxant. Etiam me tacente facile omnes intelligunt virtutes haſce maxime elucere in potionibus ſubacidis, cum adhibentur in tertianis præſertim febribus in quibus acres, bilioſæ particulæ prædominantur, quæ egregie coguntur, atque ad mordendum ineptæ partes conſtituuntur, atque inde nimia ſitis, æſtus, atque omnia ſymptomata mitigantur. Illarum etiam pulcherrima laus eſt, eam laxitatem ſolidis partibus conciliare, qua peccantium ſuccorum excretio per renales, aut ſubcutaneas glandulas declinante febre promoveatur, unde cæteris mitiores, levioreſque paroxyſmi ſubſequentes invadunt.

XXXII. *Elapſis aliquot circuitibus etiamſi benignæ ſint febres tertiani motus, vel quotidianæ, ad uſum Quinquinæ.* Quo tempore ſive univerſali, ſive particulari cortex Peruvianus ſit exhibendus in febribus intermittentibus quæſtio eſt apud Medicos tanta, ut nihil ſit illuſtrius. Quæri enim ſolet an aliquot earum acceſſiones ſinendæ prius ſint, quam præbeatur cortex, an in principio earumdem febrium eo ſtatim uti expediat; numque præberi debeat aliquot horas ante acceſſionem, vel in principio acceſſionum, cum frigus, horror, & rigor ægros corripit. Sunt qui putant ſinendas prius eſſe aliquot acceſſiones, quam prębeatur cortex, eamque opinionem ſtrenue ſuſtinet Sydenhamius, *qui curandum eſſe ait ante omnia, ne præmature nimis cortex ingeratur, antequam ſcilicet morbus ſuo ſe marte aliquantiſper protriverit, niſi collabentes, & jam fractæ vires eumdem temporius ſuggerendum eſſe dictaverint:* Cum Sydenhamio fere conſentit Franciſcus Torti ſupra laudatus. Alii e contra exiſtimant poſt primam, aut ſecundam acceſſionem exhibendum eſſe, ad credendum vehementer adducti, quo citius profligatur febris, eo melius ægrotantis cauſam agi, immo ſi fieri poſſit, eumdem præbere, ut venienti febri occurratur, ſaluberrimum conſilium eſſe: atque hi fere ſunt Sebaſtianus Badus, ejuſque fautores ab eodem citati (*u*) Zendrinus (*x*) Mortonus (*z*) Vverlhophius (*a*) aliique permulti. Quæſtio jam ſatis apte, concinneque dirimi poſſe videtur diviſione illa a nobis tradita febrium in ſalutares, in corruptivas benignas, & pernicioſas, ac malignas (*b*). Si enim ſalutaris ſit febris tantum abeſt, ut ad corticem Peruvianum deveniendum ſit, qui febrilem fomitem ſtatim intercipiat, atque extinguat, ut de quocumque alio remedii genere valde ſit ſuſpicandum, quo idem perturbetur (*c*). Si corruptiva benigna ſit, nullum noxæ periculum ſubeſſe crediderim, ſi elapſis aliquot paroxyſmis, & univerſalibus remediis adhibitis exhibeatur, ut fere Sydenhamius, & Tortus exiſtimarunt, dummodo tamen in prima, & ſecunda acceſſione collabentes, fractæque vires, mala ægrotantis conſtitutio, anni tempus, aliaque id genus aliter Medicum ſuadeant. Si febris ſit pernicioſa ad corticem Peruvianum, tamquam ad ſacram anchoram confugiendum eſſe, fateri non dubitarim, ut Badus, Zendrinus, Mortonus, aliique permulti judicarunt. Quæ cum dico, video jam quid objici ſoleat ab iis, qui pervidentes quandoque febres intermittentes miſſione ſanguinis, ac purgatione pertractatas ex ſimplicibus in duplices, indeque in continuas, & pernicioſas mutari, nullo habito diſcrimine febrium, corticem ſtatim propinandum eſſe intelligunt, quam qui maxime, Amæricanorum populorum, a quibus ſingulare remedium accepimus ſuadente exemplo, qui ut notat citatus Badus, cum medicina omni careant, ſimul ac febre corripiuntur, nullo alio adhibito remedio, ſolo naturæ inſtinctu corticem ſumunt, atque convaleſcunt. Cum Albertinum

X 2 au-

(*u*) *Anaſt. cort. Peruvian. cap.* 21. & *in append. ad cap.* 23.
(*x*) *Lib. cui titulus: Trattato della China.*
(*z*) *Exercitat.* 1. *de febr. cap.* 5.
(*a*) *Lib. cui tit. Obſervat. de feb. ſect.* 4.
(*b*) *Com. in aph.* 5. 6. 7. *lib.* 4. *cap.* 6. (*c*) *Ibid. aph.* 22.

audiunt corticem Peruvianum febrem depellere cum excretione aliqua, aut criſi, ſive per alvum, ſive per urinas, ſive per ſudorem, ſive per inſenſibilem perſpirationem, ſive ſtatim ab aſſumpto cortice, ſive multis quandoque diebus a depulſa febre, minus verentur, ne ipſis officiat, quod afferri olim ſolebat a Medicis qui nulla excretione, & criſi ſuccedente figi, & condenſari humorem febrem facientem arbitrabantur, ſi inter initia corticem prębuiſſent. Cum Vvarlhophium legunt, qui in citato opere (*d*) teſtimonio Hippocratis, aliorumque preclariſſimorum Medicorum oſtendit, intermittentes febres quavis methodo tractentur, frequentius recurrere, quam alios morbos, eo facile adducuntur, ut credant non culpa corticis in principio exhibiti, ſed ſuapte natura recidivis obnoxias eſſe, hinc multo melius Peruvianum corticem præbere in primis acceſſionibus febrium intermittentium pugnaciſſime ſuſtinent, quam aliquot earum acceſſiones ſinere. Arduum quidem, atque inſolens videtur ad ea, quæ a Peruviani corticis amatoribus ſubtiliter reponuntur, reſpondere. Si quid tamen in re perdifficili ſentio, quid ni liceat conjectari febres illas intermittentes, quas miſſione ſanguinis, & purgatione pertractatas ex ſimplicibus in duplices, inde in continuas, ac demum in pernicioſas mutatas fuiſſe tradunt, ad illarum genus pertinere, quæ prima facie pro benignis imponunt, cum periodice recurrant, & deſinant intermittentium more, quęque malignitatem produnt in primis recurſibus, atque ſecuritatem ex Hippocrate ſpondent iis, qui ſola apyrexia contenti, nec longius progreſſi, ad ea quę larvam detrahunt, periculique magnitudinem aperiunt vix ac ne vix quidem reſpiciunt. Solo ne circuitu id omne contingit, ut ſimplex febris in duplicem mutetur, in continuam, in pernicioſam? Si vero aliquot acceſſionibus, cur ſimul ac invadentis febris indolem ſpectas, ac ſymptomatum gravitatem, ad corticem ſtatim non properas? Nonne enim quocumque tempore opportune exhibeatur pari prorſus felicitate febres depellere deprehenſum eſt? Apte hinc Tortus: *Prout enim citius vel tardius opus eſt febres ſupprimere, plus etiam, vel minus corticis eſt offerendum, idque crebrius repetendum, vel rarius: quandoquidem in noſtra omnino poteſtate eſt febrem ſiſtere eo præciſe, quo volumus tempore, ſi in cortice exhibendo ſimus verſati*. Amęricanos populos pænes quos nulla eſt Medicina, ſingulari Dei providentia factum eſt, recenti etiam non effęto, non Mercatorum inſcitia, aut dolo collecto, non adulterino uti poſſe, cujus ſubſtantia nihil illius complexus variarum qualitatum deperdidit, in quo ſpecificam ejus virtutem conſiſtere ſupra a nobis adnotatum eſt, quoque fit, ut etiamſi initio ille ſumatur, excretio etiam aliqua, & criſis ſtatim promoveatur, quæ ſerius quandoque noſtratibus contingit, unde illud conſequitur, ut quod impurum, aut crudum in primis viis, aut in ſanguine relinquitur a diuturno corticis uſu ventriculi, inteſtinorum, pancreatis, hepatis, meſenterii, vaſorumque ſanguiferorum febris plus æquo adſtrictis, ſic adhæreat, ac ſubſiſtat, ut obſtructiones, atque Icterus, atque alii graviſſimi morbi excitentur, ut cum Hoffmanno, atque Chifletio alibi a nobis eſt demonſtratum (*e*). Apte cadit in hunc locum, quod ſcriptum reliquit Cl. Van-Suvieten eamdem confirmans ſententiam (*f*): *contra vero toties funeſtis exemplis conſtat, mala arte per corticem Peruvianum ſuppreſſis talibus febribus* (de iis loquitur, quæ rite tractatæ obſtructiones viſcerum reſerant, quæ a ſpiſſiori, & minus meabili ſanguine ortum traducunt) *antequam cauſa materialis, cui ſubigendæ, & expellendæ deſtinabantur, ſublata foret, languiſſe ægros, cachecticos, & cachochymicos ex peſſimis abdominalium viſcerum obſtructionibns, immo & ſæpe inde periiſſe*. Neque unum me ex illis eſſe exiſtimetis, qui injuſtis accuſationibus præ-

(*d*) *Sect*. 4. (*e*) *Aph. lib*. 3. *cap*. 10. *com*. 4.
(*f*) *Com. in aph. Boerh. n*. 758.

præclari hujuſce remedii pretium, ob id plurimum imminui velim, ſed qui pro officio, & pro amore veritatis adſtringendi virtutis, & eorum meminiſſe meæ debitionis eſſe ſentio, quæ quantum afferre poſſint damni in magno humorum apparatu, cumque ſanguis impuritatibus fętus per motus febriles expurgari deberet, etiam me tacente facile omnes intelligunt. Quid quod ab hoc potiſſimum fonte tot tamque moleſtæ recidivæ enaſcuntur, etiamſi cortex non ſolum mature ſumatur, ſed etiam in ea quantitate, & quouſque opus eſt, & nullus error ab ægro in ſex rebus non naturalibus committatur, & tolli neſciæ, niſi vulgari methodo venæ ſectione purgatione, incidentibus, diaphoreticis, aliiſque id genus medicamentis pertractentur, ut ſæpius vidiſſe, & effeciſſe me bona fide teſtor? atque idem Van-Suvieten (*g*) jam aperte docuit, cum etiam repetenda purgantia, atque emetica in hiſce caſibus affirmavit, ubi corruptæ tenacioriſque bilis magna copia congeſtæ ſigna adfuerint, & ad decocta graminis, cichorei, taraxaci, quinque radicum aperientium, & ſimilium, nec non ad incidentia, ac digeſtiva ſalia confugiendum, quibus viſcerum obſtructiones feliciſſime ſolvi datum eſt, & optime ægros curari, paucoſque admodum ex ingenti numero periiſſe (*h*). Præterquamquod quonam alio remedii genere, quo tutius ſanentur Amæricani uti poſſunt, cum omni alio careant? Putamus ne eos nullo unquam tempore recidivas pati, nec male curatos in alias labi longas infirmitates? Id certo aſſerere, haud equidem tutum crediderim. Et quamvis a Vverlhophio ſim febres frequentius recurrere, quam alios morbos, non ei tamen conceſſerim frequentius illas recurrere, quæ cum benignæ indolis ſint, ac naturæ in corporibus præſertim impuris, ac plethoricis non niſi elapſis aliquot circuitibus cortice depelluntur, quam illas, quæ in prima, aut ſecunda acceſione profligantur, quas in erraticas & vagas mutatas fuiſſe, & ad annum quandoque perdurare comperi, etiamſi recurſiones cortice conſtanter cohibere ſtuduerim, ut ipſe laudatus Vvan-Suvieten teſtimonio Sydenhamii, tradidit, quo loco ſubdit (*i*) *Cortex Peruvianus optime monuit Sydenhamius, inducias ſæpius impetrat, quam febrim debellat, quæ per duas treſve ſeptimanas deliteſcens recrudeſcere ſolet. Dum vero alia ſanata fuit febris, minus recidivæ periculum eſt*. Quapropter cum nullum noxæ periculum vereri fas ſit in iis febribus intermittentibus, quæ certas boni moris, atque indolis notas præſeferant, ſi eas aliquantiſper ſinamus, certa perfectæ valetudinis ſpes affulgeat, ſi eductis correctiſque ſuccis primas vias, ac maſſam ſanguinis conſpurcantibus, cortice Peruviano eas arceamus, & quod magis eſt, ſi forte per certa ſigna ſolum in mentem veniat ſuſpicari de ſubdola, ac perniciosa earum natura, poſt tertium, poſt quartum paroxyſmum, ad eaſdem ſupprimendas remedium ſit expeditiſſimum, ſatius eſſe exiſtimaverim cum Sydenhamio, Torto aliiſque (de benignis ſemper loquendo) aliquot earum acceſſiones ſinere, quam eaſdem initio ſtatim ſupprimere, ut Badus aliique permulti voluerunt.

Ejuſque uncia una in partes vi. diviſa exhibenda &c. Tradita methodus curandi febres jam dictas per corticem Peruvianum longius quidem a principio, & tardius exhibitum in intermittentibus benignis, interdum penitus omiſſum in ſalutaribus ſtatim vero vel paulo poſt in intermittentibus comitatis, & ſubcontinuis pernicioſis, reſpicit tempus univerſale earumdem febrium. Non parvi refert ad particulare ſimul reſpicere capiendæ opportunitatis gratia, & curationis felicius perficiendæ. Ex præſcripto Romanæ Schedulæ dari cæpit cortex Peruvianus ingruente paroxyſmo, hoc eſt in principio febrilis frigoris, horroris, rigoriſque. Verum cum longa obſervatione compertum ſit in principio febrium intermittentium Stomachum plerunque affici, ideoque quidquid ingeritur vomitu rejici, tem-

pus

(*g*) *Num.* 759. (*h*) *Num.* 767.
(*i*) *Ibid.*

pus uſui, & actioni corticis opportunum viſum eſt finis, ſeu declinatio particularium paroxyſmorum, & tempus apyrexiæ, ſive quietis, ſi intermittentes ſint febres, in continuis vero quæ remiſſionem duntaxat, & intenſionem habent, tempus minoris afflictionis longe ab acceſſionum recurſibus. In iis enim temporis differentiis non ſolum majus ſpatium conceditur Peruviano cortici viam Chyli, ſanguinis, & lymphæ percurrendi, humorumque particularium vitium ab iis removendi, ſed Stomacho pacatiori vis major ad eumdem retinendum declinante paroxyſmo, quam ineunte ob acriorum humorum morſus ventriculi fibras in paroxyſmorum initiis ad vomitum proritantium, quo ſuccedente nulla ſupereſt curationis ſpes. Operæ autem pretium eſt juſtam corticis exhibendi doſim definire, quæ febri extinguendæ, & ejus recurſibus impediendis ſufficiat. Diuturna autem obſervatione compertum eſt unciam unam in partes vi. diviſam, ſi intervallo temporis, quod inter duos paroxyſmos interjectum eſt ſumatur, novum paroxyſmum fere ſemper cohibere ſi optimæ ſit conditionis cortex. Secus enim non niſi præſcripta uncia una cum ſemiſſa ægrum ab eodem paroxyſmo liberum futurum preſagire Medicus fidenter poteſt: Conſtat præterea ad febrium recurſionem præcavendam unciis circiter duabus in partes diviſis per intervalla propinandis opus eſſe.

XXXIII. *Curandumque ut finita acceſſione, ſi quotidiana, aut tertiana duplex ſit febris, tres dentur prima die &c.* Id clarius elucebit ſi regulæ ſpectentur variæ pro febrium earumdem varietate, quæ neque plane eædem erunt, quas tradiderunt Auctores, neque multum diverſæ (parum enim refert utrum has, vel illas adhibeas, cum omnibus æque feliciter depulſas febres compertum ſit) ſed illæ, quibus ipſe ut res, & occaſio ferre ſolet, utor, quæque ordinatim digeſtæ cum ſint, magis etiam ad praxim commodæ videntur. Cum igitur primum de intermittentibus benignis actum ſit, primum etiam regulas tradendas eſſe perſpicuum eſt, quibus cortex in iiſdem exhiberi proficue poſſet. Inter has eminent quotidiana, ſi modo eſt ulla, ac tertiana duplex: Cum igitur in hac febre ſubſequens paroxyſmus plerunque diſtet ab antecedente horas viginti quatuor, cum tamen hæ horæ comprehendant tempus antecedentis paroxyſmi, atque hic paroxyſmus interdum ſit brevis, interdum longius protrahatur, ita tres partes corticis diſtribuendæ ſunt, ut ultima detur quam longiſſime poſſit ab hora novæ acceſſionis prima die: ultima ex aliis tribus eadem fere methodo poſtridie.

XXXIV. *Si febris ſit tertiana ſimplex detur una finito paroxyſmo &c.* Quoniam ſubſequens paroxyſmus diſtat ab antecedente octo, & quadraginta circiter horas ſi finito paroxyſmo detur una ex his partibus, reliquæ vero interjecto ſpatio quatuor horarum circiter, etiam die a febre vacuo, illud facile conſequitur, ut ante tempus novi paroxyſmi, totæ jam partes conſumptæ ſint, atque propterea idem arceatur:

XXXV. *Si ſit quartana ſimplex &c.* Quoniam ſubſequens paroxyſmus diſtat ab antecedente duas ſupra ſeptuaginta circiter horas, quod temporis ſpatium comprehendit antecedentem paroxyſmum, ſi primo die infebricitationis detur una pars matutinis horis, altera ante prandium, tertia ante cænam, & ſic poſtridie, optato plerunque fine potiemur.

XXXVI. *Si ſit duplex eadem methodus ſervanda, ac in tertiana.* Secus res habet in duplici quartana, in qua cum novus paroxyſmus contingat proximo die, quo prior invaſit, unus integer maneat, (niſi forte febrem ob perincioſum aliquod, atque oneroſum ſymptoma ſtatim ſupprimere expediat, quo caſu pertractanda erit, ut duplex tertiana) cum ſubſequens paroxyſmus diſtet ab antecedente octo, & quadraginta circiter horas eadem methodus erit ſervanda, ac in tertiana ſimplici.

XXXVII. *Si æger cachochymus ſit, cachecticus rhabarbarum commodiſſime cum China miſcetur &c.* Num cortex Peruvianus ſine mixtura aliorum medicamentorum exhibendus ſit, an eidem promiſcenda, quæ viſcidos tenaceſque ſuccos primas vias infarcientes, aut ſanguinis maſſam quovis modo coinquinantes, aut ſolidarum partium tonum pervertentes quæſtio eſt inter Medicos. Hanc alibi attigimus. (*k*) cum de Ictero febribus tertianis, quartaniſque longis, ac diuturnis ſuperveniente ageremus, cumque corticis Peruviani virtutem febrifugam a certa magnitudine, figura, contextu, & proportione elementorum ejus eſſentiam, ac ſubſtantiam conſtituentium commenti ſimus, a quibus variæ, ac diverſæ qualitates, quæ ejus tantum propriæ ſunt, & per quas ab omnibus aliis differt rebus proficiſcuntur, ut etiam antecedente capite demonſtratum eſt (*l*), ſalubre Medentium conſilium quantum quidem nobis licuit juſtis efferre laudibus conati ſumus, qui nullius corporis admixtione Quinquinam præbere ſolent. Cum enim tota ejus virtus pendeat potiſſimum a corticis Peruviani ſubſtantia, aliorum corporum admixtione eamdem plurimum infirmari animadvertimus, ut Sydenhamius præ cæteris, quos inter Badus, Mortonus, Torti eminent, præclare demonſtravit, ſcriptum relinquens: *Qui aliquid cortici adjiciunt præter vehiculum eidem in ventriculum tranſmittendo neceſſarium, aut ex ignorantia peccant, ut mihi videtur, aut dolo malo, a quo vir probus ex animo abhorrebit*. Noſtræ tamen debitionis eſſe duximus eos caſus excipere, in quibus rhabarbarum miſcere cortici Peruviano non modo utile, ſed apprime neceſſarium eſt, ceu illud remedii genus, quod non ſolum purgante, eaque mitiſſima, ſimulque diuretica virtute donatur, ſed ſimul adſtringente, ac corroborante (*m*), quodque ſingularis amicitia cum cortice clarum facit. Ejuſmodi ſunt præter obſtructiones viſcerum imi ventris cachochymia, cachexia, in quibus non ſolum pravæ, atque incongruæ ſordes peccant, tenaceſque ſucci glandulas, ac ductus eorumdem infarcientes, ſed plerunque ſolidarum partium tonus labefactatus eſt: ea propterea ſui parte, quæ adſtringendi, ſeu mavis corroborandi vim habet laxas Stomachi, inteſtinorum, pancreatis, hepatis, aliorumque viſcerum glandulas, ac ductus ad ſuum tonum reſtitui contingit, ea vero quæ purgandi, ac diureſim movendi craſſas, mucoſaſque ſordes attenuari, dimoveri, diſcuti, atque qua data porta extra corporis confinia educi. Qua in re ſane jucundum mihi ſummopere eſt, in quæ ſolertiſſimi alii Medici inciderunt, in eadem me incidiſſe. Eximium teſtem profero Palum Valcharengum, qui ubi purgandum ſit in hiſce febribus rhabarbarum præ cæteris ſeligendum eſſe animadvertit (*n*), *quod in modica quantitate febrifugo adjunctum, tum mitiore ſolvente vi ſua, tum ſtiptica, qua ſimul pollet, potentia, omnem in hoc caſu adimplere paginam videtur, cum ſimul febriles æſtus ſopire paulatim poſſit, atque febrilem bilioſum humorem affectis partibus tenaciter adhærentem diſſolvere ſimulque extra corpus omnimode propellere melius valeat pro totali, tutaque febris victoria partes ſimul & roborando, & firmando;* (*o*) ut Hoffmannum (*p*) prætereiam, Lanciſium, (*q*) Cogroſſum, (*r*) alioſque eximios Scriptores. Non ſolum autem rhabarbarum proficue miſceri cum cortice Peruviano, ſed etiam digeſtivos ſales, cujuſmodi ſunt Sal abſynt. centaur. min. arcan. duplicat. tartar. vitriolat.

(*k*) *Aph. lib.* 3. *cap.* 10. *com.* 31.
(*l*) *Com. in aph.* 26.
(*m*) *aph. lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 12.
(*n*) *Med. rat. n.* 407.
(*o*) *Medic. rat. n.* 137.
(*p*) *Opuſcul. med. dec.* 2. *diſ.* 4.
(*q*) *Taver. in op. Lanciſ. de nox. pal. effl. lib.* 2. *epiſ.* 4.
(*r*) *Della natura, effetto, ed uſo della cortecia del Perù.*

lat. aliique ſimiles, facit potiſſimum ea ratio, quod eſſentiales corticis particulæ, qua leniter incidendo, qua detergendo, alvum quidem interdum laxant, alias diureſim movent, in ea tamen minutiſſima vaſcula ſeſe adeo feliciter inſinuare nequeunt, altiuſque penetrare glandulas, ductus, atque emiſſaria, quæ pravis atque incongruis ſordibus referta ſunt, atque interdum obſtructa, niſi via iiſdem, adituſque aperiatur per ea, quæ ſalinis partibus acutioribus, atque a reliquarum partium vinculo magis expeditis ſunt prædita, ut a citato Cogroſſo oſtenſum eſt (*s*). Si qui velint cum Hoffmanno purgantia multo validiora rhabarbaro cum ſalibus digeſtivis conſociare, inter quæ eminent helleborus niger, mercurius dulcis, regulum antimonii, polipodium quercinum, ſcammonium, jalappam, aliaque id genus, quorum uſu ſe quartanas contumaciſſimas profligaſſe teſtatur præclarus Auctor (*t*), meminiſſe non pigeat, quædam acribus, ac fere cauſticis particulis inteſtina irritare, eorumque tum motum periſtalticum ad crebriores corrugationes, tum etiam glanduloſos folliculos, biliarium, ac pancreaticum ductum ad ſuos humores copioſius effundendos ſollicitare, quædam vero non ſolum inteſtina vellicare vehementiſſime, ac fere corrodere, ſed in venas lacteas, & inde in ſanguinem invecta ejus texturam ſolvere, atque colliquare, furoremque tantum ciere, ut non ſolum humores fuſi uberius ad inteſtina confluant, & qui cum eorum glandulis congruunt ab iiſdem jam irritatis copioſe in canalem inteſtinorum effundantur, ſed cuncti etiam boni, ac laudabiles, corrupta jam ſanguinis maſſa, & in excrementorum forma colliqueſcente per ſuperiora ſimul, & inferiora educantur (*u*). Quæ quantum emolumenti afferre poſſit in iis morbis, in quibus ſolidæ partes corroborandæ ſunt, fluidorum corruptio cohibenda non ſolum, ſed præcavenda, viderint alii. (*x*)

XXXVIII. *In febribus intermittentibus pernicioſis nil expectandum: uncia una cum ſemiſſa &c.* Si alicubi urget neceſſitas impediendorum recurſuum ob metum imminentis periculi, maxime eſt, in intermittentibus pernicioſis. Tunc igitur danda eſt opera, ut liberaliore corticis doſi compenſetur inopia temporis, eum quidem uberius porrigendo longe ab acceſſione, quo citius ejus virtus in actum deduci queat, parcius vero prope acceſſionem, in quam ſatis commode vim ſuam exercere non valet. Ut id obtineatur maturo conſilio opus eſt, ac practico judicio, quo congrua Peruviani corticis doſis definiatur, & tempus ea proportione, quæ caſuum diverſitati, magnitudini febris, ſymptomatum gravitati reſpondeat. Totum autem negotium in hoc ſitum eſt, ut tanta corticis quantitas exhibeatur, quanta acceſſioni, qua in vitæ confinio conſtitui poteſt ægrotus, cohibendæ ſufficiat. Quare ſi uncia una in partes ſex diviſa ad benignas febres tollendas opus eſt, in pernicioſis, ac malignis uncia una cum ſemiſſa ita erit dividenda, ut fere tota ante funeſtam acceſſionem abſumatur, ea tamen conditione ut prima corticis doſis reliquas ſuperet, hæ vero congrua portione minuantur, ſi brevi temporis ſpatio totæ abſumendæ ſint. Secus enim primam doſim nimis debiliter in febrilem cauſam agere contingit, poſtremas vero nimis ſero, hinc plerunque Medentes optato fine potiri non poſſe. Sed rem ſi placet exemplis illuſtremus.

Et ſi febris ſit tertiana ſimplex, & brevis finita acceſione dentur partes duæ &c. Quoniam ſubſequens paroxyſmus diſtat ab antecedente quadraginta octo horas, ut ſupra de benignis oſtendimus, quod ſpatium temporis comprehendit antecedentem paroxyſmum, ſi dentur dracmæ quatuor eodem finito, dracmę duę omni quadrihorio, ſic ut ultima doſis, ſi fieri poteſt, diſtet ab hora novi paroxyſmi ſex, aut ſaltem quatuor horas, optime ęgrorum ſaluti ſtudebimus.

XXXIX.

(*s*) *Ibid.* (*t*) *Tom.* 4. *p.* 1. *cap.* 2.
(*u*) *Aph. lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 4.
(*x*) *Lib.* 4. *cap.* 5. *com.* 22. 23.

XXXIX. *Si ſit tertiana duplex, aut quotidiana ℨ vi. corticis ſunt ſtatim exhibendæ, &c.* Quoniam ſubſequens paroxyſmus in hac febre ita diſtat ab antecedente, ut breviſſimum temporis ſpatium integrum relinquat, ℨ vi. ſtatim exhibendas eſſe, ℨ ij. quadrihorio poſt, reliquas in ſequentem diem ſervandas, facit potiſſimum, ne in tempus incidat corticis uſus ingruentis paroxyſmi, propter quem, aut vomitu ejicitur, aut nauſeam ęgrotanti moveat, qua eumdem haurire poſtea nulla ratione poſſit, quod ſi forte contingat fractis, & oppreſſis viribus brevi periclitari ęgrum, & mori certo certius habendum.

XL. *Si ſit quartana, licet longa ſit acceſſio tota uncia una cum ſemiſſa &c.* Cum ſubſequens paroxyſmus diſtet ab antecedente duas ſupra ſeptuaginta circiter horas, cum eędem comprehendant tempus antecedentis utcumque longus ſit paroxyſmus, eo tamen finito, ſi vel ℨ ſex, vel quatuor exhibeantur prima vice, ℨ duę reliquo, quod ſupereſt temporis omni quadrihorio, unciam unam cum ſemiſſa commodius aſſumi poſſe adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla.

XLI. *In febribus ſubintrantibus dentur in remiſſione acceſſionis ℨ ij. &c.* Supereſt tradenda methodus exhibendi corticem in febribus ſubintrantibus, quę minime confundendę ſunt cum ſubcontinuis, quarum ſupra cum Torto meminimus. Intermittentes enim cum ſint origine ſua, per hoc tantum continuæ fiunt, quod paroxyſmi aliquanto diutius protrahuntur ſuapte natura cæteroquin ſolvendi, unde alter paroxyſmus præcedentem ſubſequitur, antequam ille decedat. Id plerunque tertianis duplicibus contingit, quas ſpurias dicunt, ut adnotavit Cl. Valcharengus (z) eaſque diuturniores inde evadere, ac curatu difficiles. Ejuſmodi porro febres etſi continuæ factæ ſint, eaſdem tamen periodos ſervant, cum frigore, horrore, rigoreque invadunt, atque eadem fere ratione decedunt, & ſi paulo majorem virium imbecillitatem excipias, nullum grave, atque oneroſum ſymptoma ægrotum exercet, qui tamen viribus dejectus, & continua febre oppreſſus morbum multo fert difficilius. In his igitur febribus, quarum intenſiſſimus eſt calor, & acceſſiones adeo extenduntur, ut communicent inter ſe, nulla ratione, aut modo fieri poſſe videtur, ut repente extinguantur. Salubre igitur Medentium conſilium imminentis paroxyſmi viribus frangendis ſtudere, non eidem penitus arcendo. Tempus autem intermiſſionis cum ſit nullum; remiſſionis tempus opportunum videtur cortici exhibendo. Si igitur bis in die in remiſſione paroxyſmi, & alia quavis hora minus moleſta, & gravi dracmæ duæ corticis prębeantur, vix tertia acceſſio recurret, quarta certe depelletur.

XLII. *Eadem fere methodo tractandæ ſubcontinuæ.* Si eadem fere methodo futuras ſubcontinuarum acceſſiones minuere ſtudeas, ægrotantium ſanitati optime conſules. Si enim parcus ſis in validiori febre, & cum aliquo vehementi ſymptomate ab ipſa febris cauſa profecto, conjuncta, in qua acuties adhuc major imminet, quamque clare aperiunt artuum tremores, convulſivi motus, ſubdeliria, urinæ ſubjugales, vox tremula, ſingultus, aliaque graviora ſymptomata, non eam facile expugnabis ne uncia quidem, & ſemiſſa modicis ponderibus magnis intervallis exhibita, utpote quæ ex diviſione, cauſam febris debilius attingit in ſingulis dracmis rarius datis, eo prorſus modo, quo ignem tenuiter afficit aqua in guttulas, quæ rarioribus intervallis decidant, diviſa.

XLIII. *Extincta febre detur quatuor proximis diebus ℨ j quotidie &c.* Intereſt Medicum non ſolum febres arcere, ſed earumdem recurſiones præcavere, quibus factum eſt, ut remedii pretium plurimum diminutum ſit, cum id tamen non ejus culpa fiat, ſed male utentium vitio, ac levitate. Diuturna enim experientia compertum eſt, uncias duas circiter in partes diviſas certis intervallis temporis ſumendas eſſe ita ut corticis uſus ad viginti quatuor, & ultra dies extendatur,

(z) *Med. rat. ſect. 1. cap. 2. n. 39.*

quod abhorrentes ægri ſolemnem ejus repetitionem negligunt, conſuetoque vitæ generi ſe facile dedunt, unde vel errores in diæta committendo, vel frigoris injuriis ſeſe intempeſtive exponendo, præſerrim inſtante hyeme, quo febres inconſtante aeris intemperie facillime revocantur, ut notat Cl. Geoffroii, earum recurſionibus occaſionem præbent. Quid quod minus cauti, expertique Medici plus æquo ſolliciti de ventris laxitate, purgans medicamentum ad alvum ſolvendam præſcribendo, febrem fugatam jam facile revocant? Purgantibus uti medicamentis commodum interdum eſſe docuit quidem Cl. Van-Suvieten, (*a*) ſed tunc ſolum, cum ciborum inappetentia, nauſea, anxietas circa præcordia, ventriculi gravitas, inflatio, ventris tormina, icterus, cachexia, aliaque id genus poſt corticis uſum graviter ægrotantem angunt, quo caſu: *minime tutum eſt*, inquit, *febris recidivam præcavere ſimili corticis quantitate ſumpta: verum illico ſolventiſſimis remediis exhibitis, oportet expectare febris reditum, per quam optime poterunt tolli illa mala, quorum ſigna per corticem exhibitum apparuerunt*. Salubre propterea accuratiorum practicorum conſilium a ſolemni evacuatione per aliquot hebdomadas, vel etiam menſes cavere (niſi prædicta ſymptomata aliter ſuadeant,) vel ſi evidens aliqua urgeat indicatio idoneum purgans cum cortice miſcere, ut optato fine potiri valeamus. Quid autem Rhabarbaro præſtantius, aut pro ægrorum opportunitate valentius? Qua de re ſi quis ſubtilius docere velit, adeat neceſſe eſt Cl. Pauli Valcharengi librum (*b*) in quo eamdem ſic accurate, diligenterque pertractavit, ut nullum reliquerit Medentibus ambigendi locum.

XLIV. *Infuſio etiam in vino albo generoſo iis, qui quartana diuturna premuntur, commoda*. Modus exhibendi corticem varius eſt, ac multiplex, tum pro ęgrotantium commodo, tum pro vario ejuſdem corticis effectu. In ſubtiliſſimum pulverem redactus, & in convenienti vehiculo infuſus omnium videtur efficaciſſimus. Hinc apte Mortonus: *affirmare audeo*, inquit, *Chinam Chinam ſimplicem modo in pollinem, ſeu alcohol redactam certius, & compendioſius vires ſuas exercere &c.* Et alibi: *Febres ſane ſubſtantia corticis citius, & certius, quam quacumque ſpecioſiſſima ejus tinctura, extracto, vel elixire fugari, atque fugatas ad recidivationem minus aptas eſſe certo certius conſtat*. Et vero corticem Peruvianum craſſiore ſua ſubſtantia potiſſimum vires ſuas exercere, vel ex eo maxime apparet, quod non modo nullum infuſum quacumque arte paratum ita efficax eſſe, ut totus cortex diuturna experientia conſtat, ſed pulverem ab hujuſmodi infuſionibus, atque extinctionibus reſiduum, qui pro inutili haberi ſolet, egenis datum ad eos ſanandum proficere, quantum ad divites vix tota infuſio. Vinum generoſum pro vehiculo adhibebant primis temporibus, eoque utebatur famoſus Talbot eques Anglus ad conficiendam infuſionem illam ſuam, quam ſub arcani titulo, magnoque pretio venditabat in Gallia, eodem etiam uſus eſt interdum Sydenhamius, ut colligi poteſt ex ſuis epiſtolis, in quibus variata paululum formula, quam in ſuis obſervationibus protulit, ſimplicem, atque fere inartificioſam, aliam tradit ex uncia una corticis, & duabus vini libris infuſa partite ſumenda ad credendum vehementer adductus, ut multi voluerunt, tincturam corticis præſtantius cæteris liquoribus elicere, & ab eodem cortice ejus vim infringi, nocere demum non poſſe, ut aperte declarat inquiens: *Vinum in quo propinabatur cortex mihi nunquam videre contingit febricitanti obfuiſſe: E contra vero calorem, ſitim, cęteraque febris ſymptomata, ut plurimum poſt aſſumptam hujus remedii quantitatem ſufficientem mox evaneſcere vino haud obſtante*. Quid quod pręſtantiſſimus Franciſcus Tortus non ſolum elaboratiorem præſcribat infuſio-

(*a*) *Com. in aph. Boer. n.* 767.

(*b*) *Rifleſſioni Medico-Pratiche ſopra la lettera familiare del Sig. Dottore Ignazio Pedratti &c. fatta in riſpoſta alla Diſſertazione epiſtolare dell' uſo, ed abuſo del rabarbaro unito alla China China. In Cremona* 1749.

fuſionem, ſed ob adjectum ſpiritum vini multo calidiorem, activioremque? Ea fere eſt quam trado. ℞. Chi. Chi. s. pul. ℥ i.: Irroretur ſpiritu vini quouſque tota humeſcat, mox infundatur ℥ xvi. vini albi generoſi: digeratur in B. M. tepido per biduum, & triduum agitando vas pluries in die, dein facta per linteum valde rarum colatura cum forti expreſſione, adde Sacchari albiſ. clariſ. ℥ viii, & in vaſe fictili coquatur lento igne ad conſiſtentiam ſyrupi doſis ab ℥ i ad ℥ ii & ultra ſi lubet. Quidquid tamen ſentiant præclariſſimi viri cum præſto ſint, aquæ ſtillat. Card. S. Scorzoner. Cichor., aut ſi placet aqua communis, in quibus infundi poteſt ſimpliciſſimus pulvis, ſive aliquot horas antequam ſumatur, ſive tum temporis cum ſumendus eſt, ſi quartanam febrem diuturnam excipias in qua ſulphureæ tenujoreſque ſanguinis partes craſſiorum terreſtrium, mucoſarumque copia coercitæ ſunt, atque irretitæ, vix alio vehiculo præterquam dictis aquis utendum traderem, ut fere Cl. Mortonus conſuevit. Quamquam variare remedii formam juxta ægrorum varietatem, & febrium, & modo infuſionem, modo bolos, modo tincturas, modo julapia ad fallendum præſertim puerorum guſtum, aliaſque ſimplices præparationes offerre, æquum eſſe ac conſentaneum facile judicaverim. Ingenue tamen fatendum eſt, tantum corticis conſumi in ejuſmodi tincturis eliciendis utcumque ſimpliciſſimis ad unius ægri curationem, quantum in ſimplici ſubſtantia datum pluribus commode ſanandis ægris ſatis eſſe poſſet. Qua re factum eſt, ut Talbotiana infuſio publici juris facta, tanquam divitum crumænis exhauriendis potius quam febri profligandæ opportuna, olim obſoleverit. Tantum enim corticis in unumquemque exhauriebat, quanto opus eſt non ad unciarum, ſed ad trium librarum pondus conſtituendum. Primum enim libram unam corticis infundebat in ea vini quantitate, qua poſſet per plures dies eamdem ad ℥ vi. qualibet tertia hora extra paroxyſmum exhibere, quouſque ſcilicet fugaretur febris: deinde bis quotidie per ſex dies. Præterea pulveri ab infuſione ſuperſtiti libram ſemis corticis addebat recentis, ut mane per octo dies eamdem doſim exhiberet, & ſic ter quaterque, ut ad menſem, & ultra alternis diebus eamdem ægrotantibus daret. Mirum autem haud obſtante diuturno ipſius uſu, febri tamen profligandæ ineptam quandoque comperiſſe, ut propterea pulverem Peruvianum electuarii forma cum ſyrupo de limon. ſucco concinnatum porrigere cogeretur, uſque ad intermiſſionem febris. Quo magis patet corticis virtutem, quæ adeo ſtrenua eſt, ſi in ſubſtantia exhibeatur, ut quam citiſſime paroxyſmos febriles abigat, eoque felicius, quo ſimplicius adverſus ipſos inſtruitur, ſic in tincturis, julapiis, aliiſque præparationibus obrui, ut languidiſſime ſolum operetur, & duplo, ac triplo tardius, etiamſi augeatur, & duplicetur doſis corticis, iſque bidui, & tridui macerationi ſubjiciatur, ac propterea uti eis licere permittente benigna febris indole, non quando verendum eſt, ne grave aliquod, atque exitiale ſymptoma pernicioſæ febris acceſſioni ſuperveniens ægrum in vitæ diſcrimen conjiciat.

CAPUT VII.

De Febribus periodicis continuis, nempe quotidianis, tertianis, quartanis, emitritæo.

I. MAgni intereſt medentibus febrem ſubintrantem a remittente, ac proportionata diſtinguere. Illa enim natura ſua intermittens eſt, ſed paroxyſmorum diuturnitate continua effecta, remittens eſt ſuapte natura continens, proportionatam demum ex continua, & intermittente coaleſcens.

II. Subintrans a fermento febrili in ſanguinem certo ſtatoque tempore irrepente, eumque lentorem inducente, qui non prius reſolvitur, quam denuo reficiatur eſt repetenda: Remittens a fermento febrili ſanguini inſito, exaltato, ac deliteſcente, idque ſanguinis vitium progignente, quod nonniſi in declinatione univerſali abſumitur, licet certo tempore renovetur: Proportionata demum a fermento partim ſanguini certo ſtatoque tempore communicato, partim eidem inſito.

III. Hinc eſt ſubintrantem febrem manifeſtiora habere exacerbationis, & remiſſionis inditia; remittentem vero incerta, obſcura, atque ab intenſione ſua parum recedentia; proportionatam demum fixam quamdam continuitatem, quam non habet ſubintrans, & manifeſtam quamdam periodi rationem, qua caret remittens.

IV. Si acceſſionem quidem comitetur, in fervidiore præſertim tempeſtate rigor, horror, aut frigus utcunque lene, & livor ad extrema tantum unguium, oſcitatio, pandiculatio, aut frigidæ auræ ſenſus, remiſſionem vero pulſus tranquillior, calor notabiliter diminutus, & aliquis ad cutim mador, ſi initio intermittens fuerit febris, atque paroxyſmorum intervallis obliteratis continua facta, ſubintrantem eſſe, vel proportionatam cenſendum eſt.

V. Si vero paroxyſmus, hyberno præſertim tempore invadat cum aliqua tantum majore incaleſcentia, ſomnolentia, capitis dolore, aut gravitate, & aliqua majore pulſus elevatione, atque turgentia ſenſim obrepente, ejus vero remiſſio obſcurior ſit, pulſus exagitatio parum remittat, calor autem permaneat, ac nullum laudabilis excretionis rudimentum appareat, ſi febris ab ortu fuerit continua ad remittentem erit revocanda.

VI. Recurrere autem eaſdem contingit, aut quotidie, aut alternis diebus, aut quarto quoque die, aut quotidie uno invaſionis modo, alternis diebus, alio: hinc optima earum diviſio in quotidianas, tertianas, quartanas, & emitriteum.

VII. Quotidiana quidem humidiores plerunque corripit, phlegmaticos, pituitoſos, qui otioſam agunt vitam, qui victu crudiori utuntur, cum debi-

biles ſtomacho ſint, fęminas præ viris, atque eas pręſertim, quibus ſuppreſſa ſunt menſtrua, aut viros, quibus ſuppreſſæ ſunt hæmorrhoides, alięque excretiones vel inſenſibiles.

VIII. Hinc in quotidiana exacerbatio ſine rigore, aut frigore, vel levi tantum, pulſu initio compreſſo, & abdito, mox vehementiori, calore primum miti, mox acri, urina alba primum, & tenui, mox rubra, & craſſa, ſiti fere nulla, vel remiſſa, facie ſubtumida, raucedine, aliqua deglutiendi difficultate, tuſſi, excretionibus pituitoſis, languore totius corporis, lentæ craſſiorisque lymphæ, ac fibrarum atoniæ argumento prope certiſſimo.

IX. Tertiana vero continua eos aggreditur, qui temperamento ſunt calido, & ſicco, juvenes viros præ fęminis, æſtate, præſertim fervida, acribuſque, aromaticis, ſalſis; ac facile aceſcentibus alimentis, fructibuſque horæis abutentes, qui vigiliis intenſis premuntur, vehementioribuſque animi commotionibus, acrium volatilium, mobiliorum, ſicciorumque particularum in ſanguine prędominii inditio manifeſtiſſimo.

X. Hinc in tertiana tertio quoque die acceſſiones contingunt ſine horrore, ac frigore cum pulſu compreſſo & parvo, & aliquando inæquali, quem ſequitur calor, & ſitis ardens, vigiliæ, aut ſomni breves, & turbati, oris amaritudo, linguæ ſiccitas, nigredo, ſcabrities, anxietas, urinæ igneæ, acres, rubicundæ, quas interdum excipiunt craſſæ, pingues, oleoſæ, urinæ profluvia, choleræ, aut moleſta, & frequens jactatio cum morſu, & ſtimulo ſuperioris ventriculi orificii, aut ſudores perpetuo emanantes e corpore, unde colliquans febris Aſſodes, & Elodes proficiſcuntur.

XI. Quartanam continuam antecedunt temperamentum frigidum, melancholicum, ætas declinans, autumnalis conſtitutio, curæ, triſtitiæ, alimenta craſſa, ac duriora ſale condita, & fumo exſiccata, affectio hypochondriaca, aliaque quæ humores craſſos, viſcidos, ac tenaces in primis viis generare poſſunt, aut ſanguinem craſſum, terreſtrem, ſimulque acidum, auſterum, aut ponticum efficere.

XII. Hinc frigus lentum, & quandoque ægris vix, ac ne vix quidem moleſtum, calor minor, quam in tertiana, & evidentior, quam in quotidiana, & in progreſſu vix ad ſenſum excedens, pulſus languidior cum corporis languore, & laſſitudine, urina tenuis & alba ab initio, ſucceſſu temporis colorata, & craſſior, interdum pthyaliſmus; ac ſputum copioſum, hęmorrhagiæ ſymptomaticæ, dolores in lumbis, hypochondriis, & abdomine ſępe infeſti, remiſſio febris per biduum in ſingulis paroxyſmis adeo evidens, ut æger ſine moleſtia abire poſſit.

XIII. Emitritæus cum horrore plerunque ante meridiem incipit, qui aliquot horas perdurat, cui calor ſuccedit, qui tamen ab alio horrore ſuperveniente intercipitur, dum aliqua in ſudorem propenſio adeſt, qui horror poſtridie renovatur, redeunte alia febre, priore nondum ad apyrexiam

reda-

redacta, quam calor ſequitur, extenditurque uſque ad tertium diem, qua febris accenditur eadem hora, qua primus paroxyſmus invaſit, excipiturque veſpertinis horis ab alia acceſſione, ut prima die, in qua pulſus compreſſus, abdituſque eſt, poſtea expanſus, qui tamen paulo poſt ad compreſſionem redit, & cum aliqua inæqualitate proſequitur, urinæ variæ, modo tenues, & albæ, modo craſſæ, & rubræ, mox iterum ad tenuitatem vergentes, ſitis, excretiones, cęteraque ſymptomata inæqualiter varia, & perturbate ægrum exercentia: duplicis fermenti febrilis; alterius quidem lymphatici acidi ſanguini inſiti, eumque cogentis, alterius vero acris, bilioſique alternis diebus e primis viis in ſanginem irrepentis.

XIV. Febris quotidiana benigna periculo plerunque vacat, diuturna tamen eſſe conſuevit, & ad quadraginta, & ultra dies ſeſe extendens, & interdum in obſtructiones viſcerum imi ventris, cachexiam, hydropem degenerans.

XV. Tertiana vero continua peſſima eſt, ac facile in inflammationes inteſtinorum, in lypiriam, malignamque febrem deſinens: Malignitatis vero expers quatuordecim diebus judicatur.

XVI. Quartana continua ad quadrageſimum, & ultra diem ipſa quoque protrahitur, & motibus ſymptomaticis potius, quam criticis judicari ſolet.

XVII. Curatu difficilis eſt emitritæus, ac periculi plena febris, atque in inflammationes viſcerum plerumque degenerans, & interdum exitialis.

XVIII. Venæ ſectio in quotidiana febre, niſi menſtruorum, aut hæmorrhoidum ſuppreſſio adſit, aut grave aliquod capitis ſymptoma, aut alterius viſceris affectio urgeat, eſt celebranda: tunc vero & cucurbitulæ, & frictiones, aliaque id genus locum habent.

XIX. Purgantia mitiſſima hic pariter adhibenda. Ubi emolliendum eſt hauſtus ex ol. amygd. dulc. ſ. i. r. e ad ℥ iiii nitr. ſtibiat. ʒ i. juſcul. tenuis parum, ſufficiet. Ubi craſſiores humores abſtergendi conſer. flor. perſicor. ʒ vi. tartar. ſolub. ʒ i. rhabarb. el. pul. ℈ i. eximiam præſtabunt operam.

XX. Decoctio theiformis fol. cichor. card. S. flor. centaur. min. ſummit. abſynt. ℥ vi. cum pulveribus ex ſal. card. S. tartar. vitriol. ſtibiat. diaphoret. a ℈ .s. M. f. pul. :- vel ſi magis incidendum ſit ex ocul. cancror. acido citri ſaturat. ℈ i. ſal. armon. ℈ .s. M. detur, ut ſupra addito ad gratum ſaporem ſyrupo card. S. ad ℥ .s. mane & veſpere toto morbi decurſu.

XXI. His ſucceſſu temporis in remiſſione paroxyſmi ſequens cardiacum eximii uſus. ℞. Aq. ſuc. card. S. Rut. caprar. Meliſ. a ℥ iii. cor. cer. ph. pp. Stib. diaphor. a ℈ ii. Syrup. gem. aut perlat. ʒ ii. M. pro iis vicibus.

XXII. Secus res habet in tertiana, in qua niſi pulſus compreſſus, ac tremulus prohibeat, vena ſecanda, & repetenda ſanguinis miſſio in declinatione febris juxta neceſſitatem.

XXIII. Serum quoque lactis tamarindatum ad lib. i. aut flor. caſ. cum pulpa tamarind. hic locum habent.

XXIV. Mane & veſpere decoct. cichor. endiv. lactuc. violar. borragin. additis pulveribus ex matr. perlar. pp. cor. cer. ph. p.p. a ʒ i. nitr. puriſ. ℈ i. in partes iiii. dividendis, vel nitr. ſtibiat. a ℈ i. ad ʒ .s. per plures dies.

XXV. In vigore acceſſionis ſitis coercenda potu aquæ Nocerianæ, Sero lactis caprini deſtil. vel aqu. ſtil. ex cichor. endiv. acetoſa, & ſimilibus, additis guttis aliquot ſpiritus nitri dulcis, aut vitrioli, & ſyrup. Ribeſior. berberum, aciditatis citri q. .s. ad gratam aciditatem.

XXVI. Si manifeſta appareant malignitatis inditia, ſequens mixtura cardiaca ante cibum exhibenda. ℞. aq. ſuc. acetoſ. oxalyd. a ℥ iii. tot citr. ℥ i. .s. matr. perlar. p. p. cor. cer. philoſ. p. p. a ʒ .s. Syrup. acid. citr. ʒ ii. M. pro duabus vicibus.

XXVII. In quartana febre quemadmodum in quotidiana venæ ſectio vix locum habet.

XXVIII. Infuſio rhabarbari ad leniter purgandum in hoc caſu commoda. ℞. Rhabarb. el. inciſ. ʒ i. .s. tartar. ſolub. ʒ i. f. infuſ. ſuper ciner. calid. in aquæ fontis ℥ vi. Coletur, & leniter exprimatur liquor addendo ſyrup. flor. perſicor. ℥ i. M.

XXIX. Cœterum diebus a paroxyſmo vacuis pulveres digeſtivi ex decoctione, ut aph. 20. addita Fumaria, ſoncho, naſturtio aquatico, verbena, hic quoque locum habent, nec non cardiaca, ut aph. 21.

XXX. Si febris chronica fiat, & cachecticus evadat æger ad Martialia deveniendum, etiam ſi quotidiana ſit febris. Si in alios morbos degenerent, iiſdem eſt occurrendum.

XXXI. In emitritæo vena ſtatim ſecanda, ubi inflammationis periculum adſit, niſi liquida alvi dejectio, aut mollior patientis habitus aliter ſuadeant.

XXXII. Tum levis purgatio inſtituenda per Serum lactis tamarindatum, aut Caſſiam, ut aph. 23., præmiſſo ſi alvus ſit clauſa clyſtere emolliente.

XXXIII. Juſcula alterata herbis refrigerantibus hic pariter locum habent, ut aph. 23.

XXXIV. Cæterum ubi imminens inflammationis periculum, & magnus humorum apparatus abſit, ad corticem Peruvianum confugiendum. Secus enim ſolum decedente febre adhiberi tuto poteſt.

XXXV. Mixtura ſequens cardiaca virium languori, horrorique ſuccurret. ℞. Aq. ſuc. Meliſ. ℥ iii. Menth. ſtillatit. e flor. chamomil. a ℥ i. .s. cor. cer. ph. p. p. ʒ i. Syrup. gem. ʒ ii. M. Oleum macis guttis aliquot ſpiritus Meliſſæ, aut roris marini inſperſum, ventriculi ſubverſioni. Cibus tenuiſſimus in deceſſione febris, ſi fieri poteſt, vel longius ab acceſſione,

aquæ

aquæ potus ſimplex, & tepidus addito ſyrupo ad gratam aciditatem, inediæ, & ſiti.

CAPUT VII.

De febribus periodicis continuis, nempe quotidianis, tertianis quartanis, emitritæo.

I. M*Agni intereſt medentibus febrem ſubintrantem a remittente, ac proportionata diſtinguere &c.* Ad propoſitæ rei ſtatum melius intelligendum in memoriam ſunt revocanda, quæ ſuperiori capite quaſi per tranſennam dicta ſunt de febribus ſubintrantibus. Intermittentes enim cum ſint origine ſua per hoc tantum continuas fieri oſtenſum eſt, quod paroxyſmi aliquanto diutius protrahuntur ſuapte natura ceteroquin ſolvendi, unde alter paroxyſmus præcedenti ante ejus deceſſum ſuperveniat: Has porro, licet continuæ factæ ſint, eaſdem tamen periodos ſervare, eumdemque invaſionis modum cum rigore videlicet, horrore, aut frigore, eamdem demum ad decedendum diſpoſitionem. Quod æque affirmari non poteſt de remittentibus, ac proportionatis, quæ ſi Tortum, (quem quis non audiat, in hac parte?) audimus, licet typo, & axacerbationum ordine convenire poſſunt, natura tamen atque origine plurimum diſcrepant. Simpliciter enim remittens eſt febris ſuapte natura continens, ſive ut ipſe vocat continens ſpuria; proportionata vero ex continua, & intermittente coaleſcens. Ex his apparet quanta in obſcuritate verſentur, qui ad manifeſtas febrium exacerbationes, atque remiſſiones attendentes, pervidenteſque ægros perpetuo vexare eas ad continuas facile referunt, cum quædam tamen natura a continuis differant, atque inter illas, quæ ad continuas revocari poſſunt diſcrimen ſit, quam quod maximum, ut mox videbimus.

II. *Subintrans a fermento febrili in ſanguinem certo ſtatoque tempore irrepente &c.* Cum natura ſua intermittentes ſint febres, quas ſubintrantes appellant, ab iiſdem cauſis repetendas eſſe perſpicuum eſt, a quibus reliquæ omnes ejuſdem indolis proficiſcuntur. Si vero recte memineris eorum, quæ in generali febrium intermittentium tractatione dicta ſunt, facile intelliges etiam me tacente Bellinum optime in ea parte ſenſiſſe ſuæ hypotheſeos in qua ait in principio febrium intermittentium lentorem ſanguinis ad capillares arterias cumulari, eumque ſufficere ad explicanda phænomena febris communia, non integrum tamen manentem, ut ipſe arbitratus eſt, & a capillaribus arteriis abreptum in venas, intruſum in cor, & iterum in arterias, ſed aucta cordis, pulmonum, & arteriarum contractione ſolutum, quique in paroxyſmo quolibet reficitur, ac renovatur. Refici autem, ac renovari non poſſe ſine ſolidarum partium vitio, quod ſit focus, & ſedes intermittentium febrium. Focum porro iſtum, ac ſedem, vel eſſe obſtructionem emiſſariorum, ac ductuum, qui excretioni fermenti febrilis a natura ſunt comparati, unde remanere idem in ſanguine neceſſe eſt, vel alicujus membri atoniam, laxitatem, adſtrictionem, aut aliud ſimile vitium, quo ſanguis conſiſtens, & hærens fermento eidem febrili occaſionem præbeat, vel ventriculi, inteſtinorum pancreatis, hepatis, lienis, aliarumque glandularum, ac viſcerum imi ventris vitium, quo genitum febrile fermentum certo ſtatoque tempore in ſanguinem propellatur. Sine ſolidarum partium vitio non modo intermittentes febres, ſed nullum propemodum morbum, qui certam habeat periodum explicari nulla ratione poſſe. Id diligenter tenendum eſt, ut diſcrimen, quod intercedit inter febres, quæ ſuapte natura periodicæ continuæ ſunt, & illas

las quæ natura ſua intermittentes paroxyſmorum diuturnitate, qua alter invadit, antequam præcedens abſumtus fuerit, continuæ factæ ſunt, clare innoteſcat. Febres enim omnes ſuapte natura intermittentes ab eo febrili fermento oriri cenſendum eſt, quod extra maſſam ſanguineam progignitur, in eam periodice influit, ac certo ſtatoque tempore abſumitur. Remittens vero ab illo quod intra ſanguineam maſſam generatur, deliteſcit, exaltatur. Illas omnes, quæ ſtabilem quamdam continuitatem habent, & certas, ac manifeſtas periodos, quæque ex continua, & intermittente componuntur, & proportionatæ dicuntur, a duplici fermento, altero quidem, quod ſanguini ingeneratur, altero vero quod in eumdem periodice influit, ſtatoque tempore abſumitur. Hæc fere præclariſſimus Tortus, cujus quidem ſententia nihil adhuc veroſimilius dictum. Id erat animadvertendum ne in fraudem minus experti inducantur a continuarum nomine, & ab iis quæ licet aliquas habeant exacerbationes tamquam continuæ ſunt tractandæ, & a nomine ſubintrantium, quæ licet continuæ appareant tamquam intermittentes habendæ ſunt, & ab iis quæ pro fermenti prævalentis, ac dominantis natura varie ſunt curandæ. Ecquis enim neſciat ſubintrantes febres cortice Peruviano ſanabiles eſſe, remittentes e contra tolli neſcias, proportionatas demum, ſi intermittentium fermentum prævaleat, imminui ſolum poſſe, non penitus profligari?

III. *Hinc eſt ſubintrantem febrem manifeſtiora habere exacerbationis, & remiſſionis inditia &c.* Ut vero diſtingui poſſit utrum febris a puro fermento intermittentium ſit orta, & propterea tamquam intermittens habenda ſit, licet continua appareat, aut contra a fermento continuarum ſit orta, & propterea tamquam continua ſit tractanda, an demum ab utroque fermento, plurimum facit exacerbationis, & remiſſionis conſideratio, quæ quidem conſtantiores, & manifeſtiores eſſe ſolent in ſubintrantibus, quam in remittentibus. Quod non ad aliam cauſam aptius referri poſſe videtur, quam ad lenti fomitis fermentum, quod ſtato tempore in ſanguinem irrepit, eumque ea ratione afficit, qua ad capillares arterias hærere cogitur, ac febrilem paroxyſmum excitare, & licet non prius quam alterum in ſanguinem influat, totum tamen poſtea ſubigitur, & qua data porta extra corpus per inſignes excretionum vias educitur, abſumiturque: quod fieri ſolet in remittentibus, quæ cum a fermento febrili proficiſcantur ſanguini inſito, augeri quidem eaſdem contingit, cum idem exaltatur; quoniam vero in ſanguine deliteſcit, neque illam in ipſum alterationem inducit, quæ vel una ſatis valere poteſt ad inſignes turbas ciendas, neque cum totum abſumatur, atque foras eliminetur, quandoque vero, ne vel minimum quidem ejus actio langueſcat, placidam tranquillitatem conciliat, qua opus eſt ad ſenſibilem, atque apertam ſymptomatum, quæ cum febre conjungi ſolent remiſſionem: hinc eſt in remittente febre incerta, atque obſcura, atque ab intenſione ſua parum recedentia eſſe exacerbationis, ac remiſſionis inditia: Proportionata vero cum a duplici fermento febrili exoriatur, altero quidem in ſanguine deliteſcente, quodque numquam penitus ſubigitur, educiturque, alio vero, quod ſtato tempore in ſanguinem influit, & per naturales excretiones abſumitur, vel in ſtatum ſanguini connaturalem convertitur, fixam quidem continuitatem habere perſpicuum eſt, quam non habet ſubintrans, manifeſtam tamen periodi rationem, quem non habet remittens.

IV. *Si acceſſionem quidem comitetur in fervidiore præſertim tempeſtate.* Quoniam proportionata febris ex duplici fermento coaleſcit, atque a prævalentis fermenti conditione ſumenda eſt curationis ratio, nil curæ magis eſſe debet Medentibus, quam ut probe internoſcant, utrum febris aliqua proportionata ad naturam continuæ magis accedat, an vero ad naturam intermittentis ſubintrantis. Huic co-

gnitioni plurimum tribuit temporis contemplatio, quo febres exortæ ſunt. Quæ enim in fervidioribus præſertim temporibus regnant de intermittentium, aut ſubintrantium indole facile participant. Sanguis enim naturali ſui tenuitate, ac fluiditate fruens per exiliſſimos quoſque corporis meatus facile permeat, atque æterogenea quæque, omneſque impuritates e corpore per apertos cutis poros facile educit. Quare ſi intrinſeco aliquo fermento inficiatur, quo continua febris excitetur, ſuperſtites ipſius partes non eas habent vires, ut extrinſecum ſuperveniens intermittentium febrium fermentum majoris vis, atque activitatis in ſuam naturam convertant: hoc propterea prævalente febris exoritur, quæ intermittentis, ac ſubintrantis indolem plerumque retinet.

Rigor, horror, aut frigus, utcumque lene & livor &c. Quid quod febrili fermento ſtato tempore in ſanguinem irrepente, ea ratione craſſus, viſcidus, ac lentus evadit, nullo in arteriis ſtimulo prius exiſtente, quod in vehementiores crebrioreſque contractiones eaſdem adigat, ut igneæ ſulphureæque particulæ coerceantur, ne ab impetu, atque preſſione ſanguinis a corde truſi per aliquod tempus ſenſibiliter exſolvi queant? hinc rigor, horror, aut frigus ſubſequitur, ſaltem in illis partibus ſtagnatio ſanguinis, & congeſtio, in quibus fere minima eſt vis impellentis cordis, & arteriarum, ut fere ſunt unguium extrema, ac propterea eorum livor ſuccedit: a congeſtione ſanguinis in minimis vaſis eorum diſtenſio facile contingit, nerveorumque filamentorum, quibus eorum tunicæ contextæ ſunt inordinata concuſſio, ac tremor, qui nervoſo generi communicatus efficit, ut ægri toto corpore oſcitantes extendantur, ſeu pandiculentur, ut iis accidere dictum eſt, qui quartanis, aliiſque intermittentibus febribus premuntur, aut frigidæ auræ ſenſum percipiant, levioris tantum, pauciorisque lentoris capillaribus arteriis adhærentis, ac citius in venas abrepti inditio manifeſtiſſimo, ſi quod aliud.

Remiſſionem vero pulſus tranquillior, calor notabiliter diminutus &c. Jam ſoluto lentore, ac fermento febrili modificato excretoriis organis aptari contingit, ac ſenſim ſenſimque extra corpus educi, unde ceſſante ſtimulo, atque irritatione in cordis, atque arteriarum fibras, nec non ſulphurearum, agiliorumque particularum exſolutione, pulſus ad naturalem rythmum facile redigitur, ſanguinis vero fervor, atque orgaſmus langueſcit, hinc pulſus tranquillior evadit, calor diminuitur, ac placidus curſus ſanguini conciliatur, quo ſeroſi humoris ad glandulas cutis appellentes facile excernuntur, unde aucta inſenſibili perſpiratione, aut levi ſudore emanante, cutis mador apparet.

Si initio intermittens fuerit febris &c. Quod ſi pervidens Medicus mutationem febris in naturam, atque indolem diverſam ab illa, qua primum exortæ ſunt, nervos induſtriæ omnes intendat in ſuæ originis diſquiſitione, ac ſingulas affectiones, & notas animo, & cogitatione percurrendo inveniat, nondum adhuc a prima ſua natura receſſiſſe, & ſi intermittens fuerit febris, quæ paroxyſmorum intervallis omnino obliteratis in continuam migrarit, manifeſta tamen adhuc ſervet exacerbationis, & remiſſionis inditia, licet ad continuæ naturam magis accedat, quam antea, non tamen priorem ſuam indolem amiſiſſe, & vel ſubintrantem eſſe, vel proportionatam, non ſolum ad ſuſpicandum, ſed ad credendum vehementer adducatur, optimi Medici perſonam agere, atque ægrorum incolumitati egregie ſtudere, unuſquiſque facile intelligit.

V. *Si vero paroxyſmus hyberno præſertim tempore invadat.* Febres quæ hyberno præſertim tempore invadunt, remittentium indolem plerumque inducere, facit potiſſimum conſtrictior compages ſanguinis, & univerſa ejus maſſa coacta, qua fit, ut ad corporis ambitum parce, ſegniterque delatus, nec per halituum copiam, nec per ſudoris guttas impura quæque diſſipet, eo magis quod ipſi mini-

mi

mi cutis pori externi frigidioris aeris injuriis adſtricti ſunt, obturatique: quo ſane conſequitur, ut cum ſanguis aliquo fermento ſibi inſito in continuam febrilem perturbationem adigitur, non ſolum eam diutius conſervet, ac protrahatur, ſed ab extrinſeco quoque fermento, atque omni eo, quod in ſanguinem per intervalla derivatur, intermittenti febri occaſionem daturo, majorem in modum augeatur, & ita quidem, ut debilioris periodice influentis fermenti natura, in inſiti validioris jam, ſummeque activi naturam tranſmutetur, atque hoc propterea prævalente febris ſuſcitetur, quæ multo gravior eſt, atque continuæ indolem facile acquirit.

Cum aliqua tantum majore incaleſcentia, ſomnolentia, capitis dolore &c. Cum fermentum jam ſanguini inſitum eſt, demorſæ, vellicatæ, aut aliter affectæ nerveæ arteriarum febrillæ in crebriores, vehementioreſque contractiones facile adiguntur, hinc vel nullus lentor, ſeu viſciditas ſanguinis ea copia cumulatur intra capillares arterias, vel non ejus tenacitatis, ut coerceat igneas, ſulphureaſque particulas, ne ab impetu, atque preſſione ſanguinis a corde truſi, auctaque cordis & arteriarum contractione per aliquod tempus exſolvantur ea ratione, qua opus eſt ad frigus, horrorem, rigoremque excitandum, ſed illa ſtatim perturbatio, exagitatio ſuſcitatur, quæ vel una ſatis valere poteſt ad majorem incaleſcentiam promovendam, diſtenſis vero Cerebri vaſis, compreſſiſque ductibus, atque emiſſariis ſpirituum ſecretioni dicatis, atque impedito libero eorumdem influxu in organa, ac partes ſenſibus externis, motibuſque a voluntate pendentibus inſervientes, vel Meningum fibris in validiores, atque inordinatos tremores adactis, ac triſti ſenſatione affectis, vel earum vaſis plus æquo diſtenſis, ad capitis dolorem, aut gravitatem producendam. Quemadmodum vero ſanguis craſſus, viſcidus, & lentus, cujus craſſitiem, viſciditatem, & lentorem ſolvere non poſſit aucta cordis, & arteriarum contractio, ſegniter admodum movetur, atque parum ipſius truditur in cor, & arterias, ac pulſus parvus fit compreſſuſque intermittentium initio, ita in continuis ob dictam perturbationem agitationemque non ſolum alicubi moratur, ac ſubſiſtit ſanguis, ſed potius rareſit, expanditur, promptiuſque conſuetas ſemitas repetit, hinc major pulſus elevatio, atque turgentia.

Ejus vero remiſſio obſcurior ſit, pulſus exagitatio parum remittat &c. Quare in continuis periodicis circuitus nunquam in totum deſinant, nec ullo tempore corpus deſerat febris non ſolum, ſed parum eadem remittat, non ad alias cauſas aptius retuleris, quam ad inſitum ſanguini febrile fermentum, quod irretiri quidem nonnihil poteſt, atque coerceri, ejuſdem vero actio in igneas, tenuioreſque partes haud prohiberi, cum ſanguini conſtanter immixta remaneat activa quædam ejus portio, quæ prætereuntem ſanguinem atterit, caloriſque gradum in eo præternaturalem, ſeu naturali majorem exſolvit. Ex quo fit, ut uno circuitu vix remittente e veſtigio alter invadat: quoniam non prius imminuitur in ſanguine febrilis caloris æſtus, atque citato ipſius curſui frænum injicitur, quo opus eſt ad placidam pulſus tranquillitatem, ad ſudorem, ad urinam, aliamque bonam, ac laudabilem excretionem obtinendam, quam ejuſdem fermenti exaltatio contingat, quod in majorem perturbationem maſſam ſanguinis adigendo novi circuitus recurſum inſtituat.

Si febris ab ortu fuerit continua &c. Si ad exacerbationes, ac remiſſiones confuſas obſcurioreſque attendamus, non originem ipſam ſpectemus, verendum eſt ne in febris natura adjudicanda decipiamur. Quid enim ſi a principio intermittens ſit febris? Nonne etſi in remittentis naturam migrare videatur, ſperandum eſt cortice Peruviano pertractatam certius, ac ſecurius profligari, quam alia febris, quæ manifeſtas quidem habeat periodos, in ſui tamen exordio continua fuerit, niſi

niſi tanta ſit periodorum claritas, ut ſubintrantis indolem nactam fuiſſe notum ſit, planeque perſpectum?

Recurrere autem eaſdem contingit, aut quotidie, aut alternis diebus &c. Continuæ febres periodicæ ſolent paſſim communi Medicorum conſenſu dividi in quotidianas, tertianas, quartanas, & ſemitertianas, ſeu emitritæos. Quotidianæ continuæ ſunt per quam raræ. Quæ enim quotidie invadunt exacerbationes plerumque habent alternis diebus ſibi reſpondentes, ut tertianæ duplices continuæ aptius denominari poſſe videantur. Attamen revera dari quotidianas continuas cenſendum eſt. Experientia enim conſtat latentem quemdam calorem, nec admodum vehementer accenſum lente progredientem ad quadraginta dies, duoſque Menſes quandoque protrahi, lacticæ propterea a barbaris ejuſmodi febres denominatæ fuerunt. Neque adeo frequentes ſunt quartanæ continuæ, ut propterea Etmullerus dubitet, an unquam fuerint obſervatæ. Non quod raro contingat, ſed quod raro dignoſcatur omnium rariſſima febris ſpecies reputatur ſemitertiana, quæ græcis emitritæus nuncupatur, eaque non ſimplex eſt tertiana, ſed compoſita ex quotidiana continua, & tertiana intermittente. Frequentem autem eſſe teſtati ſunt illuſtres viri Galenus, Spigelius, atque Baglivus: idque non aliunde repetendum eſſe voluit Hoffmannus, quam ex eo quod *regnans ibi* (de Italia loquitur) *interdiu æſtus acria recrementa gignit multa, frigidior noctu aura horum excluſionem impedit, & frigidus, quem amant, & vel injecta glacie incolæ parant, potus, facit, ut ſubſiſtant in meſenterio, ubi minor reſiſtentia, & languidior progreſſus ſucci ſtaſim concipiant inflammatoriam, & ſic febris continua, intermittens vero a ſuccis corruptis ex Meſenterio ad inteſtina delapſis gignatur.* Idem plane evenire in Hungaria teſtatus eſt ubi *eadem Cœli conditio, & preterea uſus vinorum dulcium ſpirituoſiorum liberalior hanc febrem frequentiſſime accendit.* Recte ne an ſecus infra videbimus.

VII. *Quotidiana quidem humidiores plerumque corripit, phlegmaticos, pituitoſos.* Periodica extranei fermenti in ſanguinem introductio, aut ſanguini inſiti exaltatio pro diverſa ipſius indole breviora, aut longiora ſervat intervalla, atque ad id efficiendum humores non ſpecie, ſed conſiſtentia tantum, acrimonia, mobilitate, aut alia ſimili conditione diverſi requiri ſolum videntur. Hinc Veterum opinio fuit pituitam extra venas putreſcentem quotidianam intermittentem gignere, intra venas continuam: bilem extra venas putreſcentem tertianam intermittentem, intra vero, continuam: Melancholiam demum eadem ratione affectam quartanam, aut intermittentem, aut continuam procreare. Quæ ſententia ſi ſano modo interpretetur, & pituitæ bilis, aut melancholiæ loco ſucci intelligantur natura quidem, & componentibus principiis non admodum diverſi, ſed in hoc ſolum diſcrepantes, quod pituita e. gr. dilutior ſit, & inertior, bilis fervidior, oleoſior, & acrior, melancholia demum ſiccior, & magis ſalinus, nihil eſt cur omnino rejiciatur, non quod aut pituita, aut bilis, aut melancholia ſint humores, qui ſanguinem ea ratione afficiant, qua opus eſt ad ejuſdem congeſtionem ſingulis diebus, aut alternis, aut quarto quoque die, ſed quod in iis qui temperamento ſunt frigido, & humido pituitoſo dicto fibrarum atonia peccat, & laxitas, unde motus ſanguinis tardior eſt, & languidior, ſeroſarumque partium, & lymphæ exceſsus, quæ facile propterea conſiſtunt, & hærent, ac quotidianam, ut alibi expoſitum eſt, (*d*) febrem inducunt.

Qui otioſam agunt vitam. Quid ſi procatharticæ cauſæ non aliæ ſint, quam quæ lentis, craſſiſque humoribus progignendis, ac fibris plus æquo relaxandis ſunt opportunæ? Inter hæc principem obtinet locum vita otioſa, & ſedentaria. Quemadmodum enim moderata exercitatione ſolidas partes robuſtiores fieri contin-

(*a*) *Cap. 6. com. 6. lib. 4.*

tingit, augeri ſpirituum, & ſanguinis motum, illorum promptum in partes influxum promoveri, earum vim, ac robur intendi, hujuſce vero diſtributionem perfectius peragi, partium nutritionem, & augmentationem, atque univerſæ ſanguinis maſſæ depurationem ad cribra glandularum delatis excrementitiis ſordibus, ibique ſecretis, præcipitatis, & a feroſo lactice abſortis, vel per inſignes excretionum vias evacuatis, ſubſequi, ita e contra in vita otioſa ſolidas partes laxari perſpicuum eſt, ſpirituum, & ſanguinis motum imminui, illorum in partes influxum languefcere, atque debilitatem provenire, hujuſce vero perfectam diſtributionem prohiberi, nutritionem, augmentationem, atque totius maſſæ ſanguinis depurationem, pravis corruptiſque ſuccis eam conſpurcantibus intus retentis perverti, hinc craſſos, viſcidos, ac lentos ea ratione evadere humores, qua febribus quotidianis procreandis ſint opportuni.

Qui victu crudiori utuntur &c. Carnes vetuſtiorum animantium fumo induratæ, ſalitæ, ova toſta, piſces marini ſaliti, aut fumo exſiccati, aliaque id genus, cum nimis arcta, compactiorique, & rigida partium textura ſint prædita, nonniſi iis hominibus prodeſſe ſolent, qui robuſtiore ſtructura, & ventriculo donantur, a quo facile eadem terantur, ſubiganturque: Eo magis radices, fructus, & herbæ, quarum ſola gummoſa pars diſſolvitur, fibris intactis relictis. Hiſce igitur ſi delicatiores utantur, nec arte prius præparatis, coctione præſertim, aptiſque condimentis, quibus nimis arctus, compactuſque ſuarum partium nexus ſolvatur, illud plane conſequitur, ut difficillime a Stomacho eadem ſubigantur, cruditates procreentur, glutinoſus, crudior, aciduſque chylus generetur, qui ſanguini communicatus eumdem craſſum adeo, viſcidum, lentumque reddunt, ut ſecreti humores, feroſi præſertim, ac lymphatici ejuſdem naturæ, atque indolis, materiam quotidianis febribus præbeant convenientiſſimam.

Fœminas præ viris, atque eas præſertim, quibus ſuppreſſa ſunt menſtrua, viros &c. In fœminis ſolidas omnes partes longe molliores eſſe, laxioreſque, quam in viris, ideoque omnes cavitates, cellulas, & vaſa in his facilius diſtendi, repleri, humoreſque aggregari unuſquiſque facile intelliget, qui certis Anatomicorum obſervationibus edoctus fuerit adipoſam membranam in fœminis longe craſſiorem eſſe, quam in viris, citiuſque illas præ iſtis incrementum acquirere. Hæc fibrarum laxitas, ac mollitudo id potiſſimum præſtat, ut tardior ſit in ipſis, & languidior fluidorum progreſſus, pulſus in ipſis debilior ſit, & mollior, & minor, quam in viris: hinc facilius, etiam lentos, craſſioreſque ſuccos congeri, exaltari, qui quotidianis febribus occaſionem præbeant, perſpicuum eſt. Quid ſi Menſtruæ earum purgationes ſupprimantur? Cum nimirum hæc non aliam cauſam agnoſcant, quam ſanguinis redundantiam, ac plenitudinem, ac peculiarem in Mulieribus uteri conſtitutionem, qua fit ut ſanguis menſtruatim excernendus per uterum ipſum, non per alia loca excernatur, ut a præcl. Boerhaavio, Freindio aliiſque demonſtratum eſt, fit ut menſtrua quoque purgatio non parum ad fœminarum ſanitatem conducat. Superflui enim ſanguinis evacuatione certa proportio inter ipſius ſanguinis quantitatem, & vaſorum, fibrarumque robur ſervatur, ac liber, & moderatus ſanguinis per vaſa quæque minima circuitus promovetur, a quo actionum omnium integritas, ac ſanitas dependet. E contra ſuppreſſis Menſtruis, & plenitudine ob ſuppreſſam illam evacuationem inducta liberum ſanguinis circuitum prohiberi contingit cordis, vaſorum, & ſolidarum omnium partium tonum enervari, vim elaſticam infringi, hinc lentorum, craſſiorumque humorum congeſtiones, hinc febres lentæ, aliique contumaciſſimi morbi. Loco menſtruę purgationis ſuperflui ſanguinis excretio ſuccedit in pluribus viris mollioris, laxioriſque ſtructuræ, ac ſucco plenis per hęmorrhoidales venas. Cęteros autem homines, qui hęmorrhoidali fluxui obnoxii non ſunt, ali-

quam

quam tamen plenitudinem habere, qua corpora eorum pondere augentur, experientia conſtat. Solvi autem circa finem Menſis per urinam copioſiorem, & turbidiorem, eaque apparente, & corporis laſſitudinem, & capitis gravitatem ſedari a Cl. Sanctorio adnotatum eſt. Si igitur excretiones iſtæ ſupprimantur, dictis de cauſis, lentos, craſſioreſque humores facile congeri, ac quotidianas, alioſque morbos ſubſequi manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari.

VIII. *Hinc in quotidiana exacerbatio ſine rigore, aut frigore, vel levi tantum &c.* Quæ de febre quotidiana intermittente diximus hic ſunt denuo in memoriam revocanda (*b*). Cum enim Veteres Medici quotidianam febrem intermittentem a pituita extra venas putreſcente oriri exiſtimarent, quæ frigidus humor eſt; ſi illos audimus, quotidianam, cum intra venas, iiſdem fere ſymptomatis ſtipari, ſi periodi diuturnitatem, & invaſionis modum excipias, ſunt opinati. Et ſane cum humor aqueus, lentus, & craſſus peccet in quotidianis febribus, & ſolidarum partium laxitas, perſpicuum eſt, etiamſi febrile fermentum ſanguini inſitum eſt, acres ſtimulanteſque particulas ſic coerceri, obruique, ut rigor in principio febrium nequeat ſuſcitari, quæ potiſſimum cauſa etiam eſt pulſus compreſſi, abditique, urinæ tenuis, & albæ, ſitis fere nullius, vel remiſſæ tantum: quoniam vero materia cum ſanguine confuſa plus excitat turbarum, quam fermentum extraneum ſtato tempore in ſanguinem irrepens, quodque, aut locatur, aut excretoriis organis aptatum extra corpus e ſanguine dimittitur, hinc eſt, ſanguinem ipſum magis etiam exagitari (minus tamen quam in cæteris, ut infra videbimus) rareſcere, ſulphureas, tenuioreſque partes repetitis, vehementioribuſque cordis, & arteriarum ictibus magis exſolvi, mucoſas quiſquilias atteri, & una cum ſeroſo latice per renes excerni, atque propterea pulſum validiorem fieri, calorem acriorem, urinam rubram, & craſſam evadere.

Facie ſubtumida, raucedine, aliqua deglutiendi difficultate &c. Cæterum cum craſſi, lenti, ac pituitoſi ſucci ſit alicubi hærere, ſubſiſtere, non admodum vero vehementer accendi, ſed aliquam tantum diuturna mora acrimoniam conquirere, ad caput hærendo, faciem ſubtumidam facit, ad glandulas ſalivæ ſecernendę dicatas, ad laryngis, aut pharyngis muſculos, aut minima vaſculorum orificia in trachæam hiantia, raucedinem, deglutiendi difficultatem, tuſſim, excretionem pituitoſam per ſputum, ac deficiente materia proxima ſpirituum animalium, totius corporis languorem: quæ quidem catarrhalia ſymptomata, cavendum eſt ne cum iis confundantur, quæ conjungi ſolent cum febre catarrhali vera a rheumaticis congeſtionibus ad caput, ad pectus, ad fauces prodeunte, aut aliam catarrhalem febrem, quam malignam, ſeu petechizantem, vocant, & quam ſubitæ virium exſolutiones, animi angores, & defectiones aliaque horrenda ſymptomata comitantur, de quibus capite ſequenti dicemus

IX. *Tertiana vero continua eos aggreditur, qui temperamento ſunt calido, & ſicco, juvenes viros præ fæminis &c.* Quam febrem a bilioſo humore Veteres deduxerunt, nos ab oleoſis, volatilibus, aliiſque mobilioribus, & ſiccioribus particulis in ſanguine cumulatis repetendam eſſe paulo ante oſtendimus. Quæcumque igitur eos progignere valent, aut exſolvere, ea quoque tertianæ febri producendæ erunt aptiſſima. Inter hæc animadverſionem meretur temperamentum calidum, & ſiccum, quo juvenes præſertim donari communiter reputatur, & viros præ fæminis, in quibus propterea fibræ tenerę quidem flexileſque, tenſę tamen, atque elaſticę ſunt, unde motus ſanguinis celerior eſt, ac validior, & crebrior cordis, & arteriarum contractio, unde ſulphureę, agiliores, acrioreſque partes a reliquarum nexu facile ſecedunt, exaltantur, fervidiorem ſanguinem, tenuiorem, bilio-
ſum-

(*b*) *Cap. 6. com. 3. lib. 4.*

ſumque conſtituentes febribus tertianis continuis impetum daturum, idque potiſſimum in ęſtate fervida, in qua ſubtiliores humorum partes facile diſſipantur, tota eorum maſſa funditur, ac bilis humor acer, & ſolvens dominatur

Acribuſque, aromaticis, ſalſis, ac facile aceſcentibus &c. Cum acres aromatici cibi plurimo ſale volatili oleoſo abundent, particulas ſanguinis exagitant, & acuunt, quæ propterea volatiliores factę, tenuioreſque facile a reliquarum vinculo expediuntur, & in univerſam ſanguinis maſſam diffuſę ejus acrimoniam, calorem fervoremque tertianis continuis excitandis opportunum inducunt. Idem dicendum de ſalſis, quæ pręterquamquod a mucilaginoſa illa miti, ac blanda nutritię ſubſtantię natura diſtant, quę nutriendis partibus eſt neceſſaria, accedit prętera gelatinoſos ſuccos nimis ſolvere, ac ſolidas partes extimulare, unde in vehementiores contractiones adactę ſulphureas partes atterunt, quę mitium, oleoſarum, craſſiorumque copia minime coercitę facile avolant, atque acrem bilioſumque ſanguinem efficiunt. Dulcia quoque licet temperata videantur in Stomacho tamen, & primis viis facile aceſcunt, & corrumpuntur, nec non ſalivalem ſuccum, bilioſum, & pancreaticum, alioſque chylificationi inſervientes pervertunt, atque inquinant, cruditateſque acres progignunt, quę ſanguini communicatę eumdem ſimili vitio inficiunt: unde tritum illud: *dulcia bileſcere*. Quod & de iis alimentis intelligendum eſt, quę brevi mora in ventriculo corrumpuntur, cujuſmodi ſunt fructus horarii appellati.

Qui vigiliis intenſis premuntur, vehementioribuſque animi commotionibus. Cum homo aſſiduis, atque intenſis vigiliis torquetur, uberiori ſpirituum jactura facta, ſanguinem vapidum fieri eo prorſus modo, quo vinum vetus odorem, ſaporemque fere omnem amittit, alibi a nobis eſt demonſtratum. (*c*) Spirituoſis vero ſanguinis partibus conſumptis ſulphur aduſtum congregari, ſanguinem acrem, ac bilioſum evadere, unde tertianæ continuæ, notiſſima res eſt. A vehementioribus animi commotionibus, ira præſertim ſimili vitio infici, atque coinquinari nemo inficiaverit, qui ſedulo perpendat in ira ſpiritus animales effræni, cæcoque impetu in omnes corporis partes, atque eas præſertim, quæ ad bilis effuſionem ſpectant irruere, hinc tantam quandoque ejus copiam in duodenum per ductum choledochum, ex duodeno in ventriculum regurgitare, ut & vomitus, & choleræ, & diarrheæ, aliique graviſſimi morbi exoriantur (*d*). Ecquis vero vel e medicinæ tyronibus neſciat fieri minus poſſe, quin aut ſecreta jam bilis una cum chylo in ſanguinem influat, aut proxima ipſius materia ita in ſanguinem cumuletur, aut exaltetur, ut tota ejus maſſa acribus, tenuibus, mobilibus, ſiccis, bilioſiſque particulis inficiatur?

Hinc in tertiana tertio quoque die acceſſiones contingunt ſine horrore, ac frigore &c. Quoniam in tertianis continuis non ea fit ad capillares arterias lentoris adhæſio, qua nerveæ tunicæ, quibus eædem contextæ ſunt, ob admixtionem acris, bilioſique fermenti ſtimulentur, ſpiritusque animales in muſculares fibras inconcinno, perturbatoque motu influentes inæqualem Muſculorum tenſionem, ac relaxationem inducant, non ſolum ſine rigore invadunt, ſed ſine frigore etiam, horroreque. Igneæ enim ſulphureæque particulæ a cumulati lentoris copia, vel viſciditate minore laxius irretitæ, a quavis utcumque levi circulantis ſanguinis impreſſione, atque impetu in motum aguntur, hinc frigus arcetur licet libero ejuſdem motu a capillaribus arteriis in venas impedito, non ita tamen in quotidiana; pulſus compreſſus quidem, & parvus, & propter inæqualitatem circulationis, quæ ab admixtione tenujum, volatilium, ſubtiliorumque particularum una cum viſcidis, & lentis potiſſimum dependet, inęqualis apparet, ab aucta tamen cor-

(*c*) *De feb. cap.* 2. *com.* 2.
(*d*) *Aph. lib.* 3. *cap.* 1. *com.* 3. *& cap.* 2. *com.* 4. *& cap.* 3. *com.* 4.

cordis, & arteriarum contractione, priores illę ſolutę, expeditęque, atque in univerſam maſſam diffuſę ejus agitationem, furoremque inducunt, unde vehemens calor, & ſitis ardens, vigilię aliaque id genus dire ęgrum vexantia ſymptomata ſubſequuntur.

Quas interdum excipiunt craſſæ, pingues, oleoſæ, urinæ profluvia, choleræ &c. Ad tertianam continuam illa quandoque febris ſpectat, quę colliquans dicitur ob admixtionem videlicet principii alicujus non ſolum ſtimulandi, ſed colliquandi, ac fundendi facultate prędit, a quo ſcilicet non ſolum glanduloſi folliculi ſubcutanei, renales, ventriculus, inteſtina ad humores ſuos uberius ſecernendos, biliarius, pancreaticus ductus ad copioſiorem bilis, & lymphę pancreaticę effuſionem vehementius ſollicitentur, ſed tota ſanguinis, & quidquid cranium intra replet, & ipſa etiam ſolidarum partium ſubſtantia, ſi nonnullis fides habenda ſit, in excrementa illa ſolvatur, quę extra corpus per ſudores enormes, urinæ profluvia, violentas per ſuperiora ſimul, & inferiora evacuationes extra corpus ejiciuntur, unde confeſtim ematiatur, & contabeſcit corpus, oculi concavi fiunt, nares acutę, tempora collabuntur, dejectiones, & urinæ craſſę, viſcidæ, pingues, oleoſæ redduntur.

Aut moleſta, & frequens jactatio cum morſu, & ſtimulo ſuperioris ventriculi orificii. Si ſolum nerveæ fibrillę, quibus ſuperius ventriculi orificium contextum eſt acribus, corrodentibuſque ſuccis dilanientur, quoniam exquiſitiſſimi ſenſus eſt ob inſignem numerum, quibus inſtruitur, oritur moleſtus ejuſdem morſus, ac ſtimulus frebriſque peculiari denominatione Aſſodes dicta, in qua etiam vis caloris tanta eſt, ut ei temperando ægri crebra converſione in lecto, locique mutatione frigus quęritent. Si ſolvatur ſanguinis compages ea ratione, qua tenues, ſeroſique humores ad corporis ambitum delati magna copia, celerrimoque curſu in guttas effundantur, ſudor continuus emanet, febris proficiſcitur Elodes dicta, quę & Typhodes, & humida: utraque tamen ad tertianam continuam referenda.

XI. *Quartanam continuam antecedunt temperamentum frigidum, melancholicum.* Si Melancholię loco, a qua quartanas febres repetebant Veteres dyſcraſiam ſanguinis terreſtrem, ſiccam ſalinam, vel acidam, vel auſteram, vel ponticam accuſemus, nihil eſt ſane, cur in re propoſita multum immoremur, niſi forte eos peſſimo conſilio imitari velimus, qui quęſtiones ſic perſępe tractare ſolent, ut lis ſit potius de nomine, quam de re. Quęcumque igitur ſanguinem craſſum, terreſtrem, ſiccum efficere valent, ea febri quartanæ producendę erunt opportuniſſima. Primo loco occurrit temperamentum frigidum, & ſiccum melancholicum dictum, in quo cum fibræ duræ, craſſæ, & denſæ ſint, ſanguinis etiam, & humorum motum lentum eſſe, & ſegnem neceſſe eſt: hinc valde craſſum evadere, terreſtribus, ſalinis, fixiſque particulis refertum, quæ exaltatæ quartanis febribus occaſionem præbent. Exaltari autem contingit potiſſimum in ætate declinante, in qua humidum radicale deficere incipit, ac ſeroſæ, tenues, oleoſæque particulæ abſumi, unde terreſtres, ſiccæ, ſalinæque a reliquarum vinculo expeditæ melancholicam dyſcraſiam facile inducunt, præſertim in autumnali conſtitutione, in qua diſperſis ſubtilioribus humorum partibus, & tota eorum maſſa quaſi vapida effecta remanente vix, ac ne vix quidem coercentur.

Curæ, triſtitiæ. Quid quod gravioribus animi curis cum mærore, ac triſtitia ſpiritibus animalibus in cerebro detentis minore vi, ac copia per nervos ad partes maxime chylificationi dicatas influere contingit, hinc eaſdem relaxari, atque ſuccorum eidem muneri inſervientium, ſalivalium ſcilicet, qui a glandulis ventriculi, & inteſtinorum extillant, pancreatici, bilioſi ſecretiones imminui, ac retardari, ſaltem illorum vim, atque activitatem infringi, hinc chylum crudum, acidum-

acidumque generari, qui ubi in maſſam ſanguinis pervenerit, cum a vi cordis, pulmonum, arteriarum, ac muſculorum flaceſcentium jam ſolvi nequeat, eumdem craſſis, terreſtribus ſalinisque partibus onuſtum reddit, unde febres quartanæ?

Alimenta craſſa, ac duriora ſale condita &c. Craſſiorum, duriorumque alimentorum potiſſimum eſt ſolutioni majorem in modum reſiſtere, membranarum ventriculi tonum labefactare, ſuccorum vero vim infringere, atque ineptos ſuis muneribus humores conſtituere, unde chylum acidum, crudumque generari neceſſe eſt, qui ſanguini communicatus terreſtribus, ſalinis, fixioribuſque particulis replet, unde febres quartanæ. Hinc peti etiam poteſt ratio, propter quam affectio hypochondriaca, in qua inſigne chylificationis opus labefactatum eſt quartanis febribus occaſionem præbeat. Chylus enim male elaboratus, nec ab excrementitiis ſordibus optime depuratus ſanguinem ingreſſus, eumdem craſſum, viſcidum, & ad motum minus expeditum reddit, unde ſalinarum fixiorumque particularum exaltatio, ac febres quartanæ.

XII. *Hinc frigus lentum, & quandoque ægris vix, ac ne vix quidem moleſtum.* Si frigus, horrorem, rigoremque excipias, quem in quotidiana intermittente a fermento extrinſeco craſſo, terreſtri, & ſicco, ſimulque acido, auſtero, & pontico in ſanguinem irrepente commenti ſumus, propter quod viæ ſanguinis difficilius percurruntur, & vaſa præſertim minima ejus circuitioni deſtinata, non ſolum plus æquo diſtenduntur, ſed cum conſtrictione punguntur, eadem fere & quartanam continuam ſymptomata ſubſequuntur. Acidum enim a Stomacho generatum, ubi ſanguinem ingreditur vires habet inſignes, non ita cum ſanguini inſitum eſt, aliorumque humorum mixtione coercetur; hinc minoris lentoris ad capillares arterias adhæſio, hinc frigus, aut lentum, aut ægris minime moleſtum: Cæterum activiores iſtæ, ſulphureæque humorum particulæ craſſiorum, atque inertium copia ita irretitæ ſunt, ut aucta cordis, & arteriarum contractione non ea ratione exſolvi poſſint, qua opus eſt ad ſanguinis maſſam exagitandam, ad æſtum, ad ſitim, aliaque moleſta ſymptomata procreanda. A ſanguine craſſo, terreſtri, ſicco, nonniſi ſpiritus ſegniores, debilioreſque ſecerni poſſunt, hinc pulſus languidior, & laſſitudo, nihil cum ſeroſo latice per renes ſeparari, quod urinas craſſas, & coloratas efficiat, niſi quando ſucceſſu temporis repetitis diu circuitibus fixi humores nonnihil attenuantur, craſſiores dimoventur, ac propterea tenujores activioreſque facilius expediuntur. Dimotis autem craſſis humoribus, in nonnullis partibus congeſtiones ſubſequuntur, atque in hypochondriis præſertim, ac viſceribus imi ventris, quæ liberum per minima quævis eorum vaſcula ſanguinis curſum prohibent, unde tenujores mobilioreſque ſui juris facti, ac libertatem adepti, aut ad glandulas ſalivales deferuntur, & ptyaliſmum excitant, aut ad minima narium vaſcula, & hæmorrhagiam, quæ cum neque morbum tollat, neque ejus cauſam, ſymptomatica dicitur, & acutorum morborum, probe diſtinguenda ab illa, qua morbus, aut cauſa morbum efficiens, vel efficere potens aufertur, uti cum a ſuperfluo ſanguine tantum corpus exoneratur, quemadmodum ſæpe in juvenibus, iiſque fervidioribus contingit, & quæ critica nuncupatur acutos morbos non raro ſolvens: cum interim craſſi, lenti, ac difficiles humores in viſceribus imi ventris aggeſti eaque infarcientes, tunicas quibus contexta ſunt diſtendentes, extimulantes dolore in lumbis, hypochondriis, abdomine moleſtos procreant.

XIII. *Emitritæus cum horrore plerunque ante meridiem incipit, qui aliquot horas perdurat, cui calor ſuccedit, qui tamen ab alio horrore &c.* Utrum dari poſſit febris compoſita ex quotidiana continua, & tertiana intermittente quæſtio eſt inter Veteres fere Medicos. Cum enim in ea eſſent opinione, ut crederent febrem continuam ex pituita intra venas putreſcente, tertianam vero continuam ex bile pu-

tre-

treſcente extra vaſa exoriri, duos humores natura diverſos, diverſis in locis putreſcere arduum, atque inſolens explicatu ipſis videbatur. Atque hi fere commentitiam eamdem faciebant, & ad alias febres ſimplices confuſas, erraticas vagas referendam. Sed illorum pace dici vix poteſt, quanta in obſcuritate verſentur. Febres enim ſi ſimplices ſint, vel continentes ſunt, vel remittentes, vel intermittentes. Si continentes ſunt univerſalem ſolum habent declinationem; ſi remittentes, aut intermittentes, æqualibus certis, ſtatiſque periodis incedunt, exordium ſuum habent, paulatim increſcunt, ad ſtatum vigoremque perveniunt, declinant tandem: Frigus initio ægrotantes vexat, calor vigori ſuperveniens uſque ad ultimum ipſius ſtadium extenditur, & febris facile eo devenit, ut vel in apyrexiam, vel in remiſſionem aliquam ſymptomatum, quibuſcum conjuncta eſt, terminetur. Si quotidianas, tertianas, aut quartanas, vel continuas, vel intermittentes animo, & cogitatione percurras vix alio ordine invadere, ac decedere facile invenies: In emitritæo vero contrarium omnino ſuccedit. Calorem enim in ſtatu, & vigore febris vigentem a novo ſuperveniente frigore intercipi videmus, atque uno eodemque tempore exacerbari, & compeſci, pulſus quandoque celeres, ac frequentes, ac debiles, interdum tardos, validioreſque: quandoque compreſſos, parvos, alias elatos, quæ accidentium confuſio neque intelligi poteſt, neque concipi in febribus ſimplicibus æmulantibus emitritæum. Quare optime ab illis dictum, qui emitritæum non modo compoſitam, ſed confuſam febrem putarunt. Video jam quid objiciatur ab iis, qui explicare ſe nulla ratione poſſe judicantes humores natura diverſos, diverſis in locis putreſcentes, bilioſum unum, quem calidum faciunt, pituitoſum alterum, quem frigidum, hunc intra venas, illum extra, pervidenteſque affectionem maxime propriam emitritæi eſſe cum horrore incipere, cum horrore item exacerbari, febrem ex quotidiana continua, & tertiana intermittente compoſitam non emitritæum eſſe ex diverſis humoribus diverſis in locis putreſcentibus, ſed tertianam ab inflammatione prodeuntem exiſtimarunt. Atque hi fere ſunt Cardanus, ac Spigelius, qui præſertim in tractatu ſuo peculiari de febre emitritæo in diſſectis cadaveribus eadem febre peremptis viſcera omnia in abdomine contenta gangræna, ſphaceloque corrupta ſe deprehendiſſe teſtatus eſt. Cum vero inflammationis ſit cum ad ſuppurationem, aut corruptionem vergit, horrificis ſymptomatis tertianam æmulantibus ſtipari, emitritæum ad tertianam febrem inflammatoriam referre non dubitavit. Quæ quamvis perbelle concinneque ſint dicta, parcant tamen, ſi in ſuam non eo ſententiam, cum non ſolum ad ſuſpicandum, ſed ad credendum vehementer adducar celeberrimo olim Jo. Forti præeunte, inflammationes viſcerum, quibus emitritæo detenti corripiuntur, non cauſas febris eſſe, ſed effectus, contendente illo febrem compoſitam ex quotidiana continua, & tertiana intermittente ortum ſuum traducere, non ab inflammatione, ſed a pituita, quæ non concocta, non expulſa in abſceſſum abit, ſeu quod eodem recidit a fermento febrili ſanguini inſito craſſo, viſcido, lento, quo non perfecte ſubacto fit, ut febris male judicetur, male autem judicata peccantes humores ad eas partes tranſmittat, in quibus plus æquo laxatis, adſtrictis, aut alio vitio affectis ſedes ſtatuta eſt, ac focus tertianæ intermittentis, & in quas extrinſecum febrile fermentum lymphaticum, bilioſum, acre, priuſquam ſanguini communicetur, & poſtquam etiam in eumdem irrepſerit emitritæo impetum daturum, vires ſuas exercet, eas ſtimulando, mordendo, convellendo, aut ea ratione afficiendo, quæ vel una ſatis valere poteſt ad congeſtiones, inflammationes, abſceſſus, atque abhinc prodeuntia graviſſima mala producenda. Ejuſmodi ſunt ventriculus inteſtina, hepar, pancreas, meſenterium, in quo præſertim nidum continuæ febris repoſuit Hoffmannus. Sed quid diutius ſubtilitatibus hiſce immoremur an veris, an falſis,

ſis, ſi Hippocrates, qui obſervando, experiundo adeo excelluit, ut nullus ſupra, eamdem cognovit, accurateque deſcripſit per plures affectiones, quæ non ſingillatim acceptæ, ſed conjunctim ſignum maxime proprium, & inſeparabile ejuſdem conſtituunt? Prima igitur affectio eſt horror plerunque ante meridiem invadens, (quod aliis febribus commune non eſt, quæ cum frigore, rigoreque incipiunt) quique ad aliquot horas perdurans a calore excipitur, qui ab alio horrore ſuperveniente ſiſtitur, dum aliqua adeſt in ſudorem propenſio, ad aliarum febrium differentiam, quę ſive ſimplices ſint, ſive compoſitę cum frigore incipientes cum calore incedunt, atque ordinatam habent ad decedendum diſpoſitionem, nec in vigore, atque incipiente declinatione ab alia quavis acceſſione intercipiuntur, quemadmodum in emitritęo contingit, ex quotidiana continua, & tertiana intermittente compoſita, febribus ſe invicem excipientibus, antequam terminentur. Quid quod trium dierum decurſu (quod animadverſionem prę cęteris meretur) quinque habeantur paroxyſmi, duo prima die, tertius ſecunda, quartus & quintus tertia prioribus correſpondentes?

In qua pulſus compreſſus, abdituſque eſt, poſtea expanſus, qui tamen &c. Hinc non mirum pulſum prima die compreſſum, abditumque apparere, poſtea expanſum, qui paulo poſt ad compreſſionem redit, & cum aliqua inęqualitate proſequitur. Cum enim primo quotidiana continua invadat is ad capillares arterias lentor cumulatur, quo liber ſanguinis in venas influxus prohibetur, unde parum ſanguinis ventriculos cordis ingreditur, parum in cor, & arterias truditur, ac pulſus compreſſus fit, abdituſque, donec repetitis cordis, & arteriarum ictibus ſoluto lentore, & ſanguinis maſſa rarefacta expanditur, brevi tamen temporis ſpatio in eo ſtatu duraturus, cum a ſuperveniente tertianę intermittentis paroxyſmo ad priſtinam compreſſionem redeat, & ob inęqualitatem circulationis ſanguinis, cum aliqua etiam inęqualitate proſequatur. Ab hoc eodem fonte repetendę ſunt urinę varię, modo tenues, & albę, modo craſſę, & rubrę, aliaque ſymptomata inęqualiter, varie, & perturbate ęgrum vexantia, prout ſcilicet ſanguis modo cogitur, ac condenſatur ſeroſas ſolum partes per renes ſecernendas relinquens, modo rarefit, expanditurque, atque igneas ſulphureaſque particulas in univerſam maſſam diffundit, unde urinę rubrę, ſitis, aliaque id genus ſubſequuntur.

XIV. *Febris quotidiana benigna periculo plerunque vacat, diuturna tamen &c.* Tota quotidianę continuę prognoſis deſumenda eſt ab ipſius peculiari natura, atque indole, quę ut etiam de intermittente diximus benigna quandoque eſt, nullumque habet oneroſum ſymptoma, quo in vitę diſcrimen æger adducatur, perniciosa interdum, & maligna, quam virium exſolutiones, animi angores, defectiones, deliria, aliaque id genus comitantur, & contagio ad inſtar cęterarum malignarum communicari ſolet. Illa enim ſi diuturnitatem excipias, quę a lentis craſſiſque humoribus ſegnius coctionem ſubeuntibus, ut infra videbimus, & a fibrarum atonia, ac laxitate, quę ad priſtinum elaterii ſtatum difficilius rediguntur, dependet periculi expers eſt. Hæc vero periculoſiſſima. Dicta tamen diuturnitate fit, ut ventriculi, hepatis, lienis, pancreatis, aliorumque viſcerum imi ventris tonus deficiens jam penitus labefactetur, fermenta depraventur, craſſę viſcidę, lentęque ſordes congerantur, optima partium miſcella pervertatur, ſeroſęque partes a reliquarum nexu ſecedant, per laxatas tunicas tranſudent, atque in cavitates effundantur, unde obſtructiones, cachexię, hydropes, aliaque mala ſuperveniant.

XV. *Tertiana vero continua peſſima eſt, ac facile in inflammationes inteſtinorum, in lypiriam &c.* Cum in tertiana febre ſulphureę, tenues, ac volatiles, acrioreſque particulę ſint exaltatę, ſeu bilis excedens peccet, ut voluit Hippocrates, vel

putreſcens in vaſis majoribus ut Galenus, & Avicennas, vel ſales volatiles, acres, & oleoſi, ut Etmullerus, fieri minus poteſt, quin effręni, cęcoque impetu hac illac vias ſanguinis percurrentes, cor, & arterias in crebriores, vehementioreſque contractiones agant, univerſum nervorum genus mirum in modum percellant, ſanguinem atterant, fundant, atque ea ratione afficiant, qua extremitates capillarium vaſorum membranoſas pręſertim partes perreptantium, ut ſunt inteſtina convellantur, ſicque liber ſanguinis excurſus prępediatur, unde eorum inflammatio, a qua ſpaſmus, & convulſio tanta, ut extremis corporis partibus communicata vaſorum capillarium diametrum anguſtiorem efficiat, quam craſſiori ſanguinis parti, lentiorique excipiendę, ac tranſmittendę libera circulatione in majora vaſcula, & truncum ſufficiant, unde febris λειπυρία in qua interiora uruntur, exteriora vero ſummopere frigent, exoritur. (*e*) Atque hac ratione lypiriam febrem inflammatio pręcedit, aut comitatur. Fieri etiam poteſt, ut ſanguis ipſe ea ſui parte, quę craſſa, viſcida, ac lenta eſt, circa ambitum corporis in minimis capillaribus vaſis longe a corde diſſitis ſegniter moveatur, alia vero tenui, volatili, acri ſulphurea a reliquarum nexu ſoluta intimius admodum agitatus, atque efferveſcens lypiriam febrem eſſentialem progignat. Quid ſi a ſulphureis iſtis, acribus, volatilioribus, agilioribuſque particulis in univerſam ſanguinis maſſam diffuſis, ſeroſę ipſius partes, fibroſę, rubrę a ſe invicem ſegregentur, vel in ſua elementa diluantur? Colliquantem malignam febrem exoriri manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Cujuſce rei inditium prope certiſſimum eſſe ſolet pulſus vehementia nonnihil remiſſa, ſumme celer, ſimulque tremulus factus a ſpirituum inopia ob cruoris corruptionem, atque inde fibrarum motricium languore dependens, Cęterum malignitatis expertem tertianam continuam quatuordecim diebus judicari facit potiſſimum morbificæ materiæ moles, figura, cohæſio, mobilitas, aliæque ſimiles affectiones, ſi quæ ſunt aliæ, quæ in biliosa conſtitutione breviori temporis ſpatio ita mutantur, ut neque lædere poſſit, & ad excretionem ſit apta, ſeu concocta, quam in pituitoſa, & melancholica. Cum enim bilioſi ſanguinis textura fluidior ſit, craſſior pituitoſi, terreſtrior, & ſiccior melancholici, fit ut ejus quoque moles, figura, cohæſio, mobilitas ea ratione citius mutetur, qua aut ad glandulas ſubcutaneas, aut renales, aut inteſtinorum, aut ſalivales expurgetur, quam in pituitoſa, & melancholica. Cum igitur Veterum obſervatione compertum ſit, criſim certis quibuſdam diebus contingere, quos criticos nuncuparunt, ſeptimo videlicet, quartodecimo, vigeſimo primo, & ſic ſucceſſive, ut ſupra adnotatum eſt, nil mirum continuam tertianam benignam quatuordecim diebus terminari, cum acutiſſimus morbus non ſit, neque ad alios longiores terminos extendi.

XVI. *Quartana continua ad quadrageſimum & ultra diem ipſa quoque protrahitur, & motibus ſymptomaticis potius &c.* Ad quadrageſimum, & ultra diem protrahi quartanam facit potiſſimum paulo ante indicata materiæ morbificæ moles, figura, cohæſio, mobilitas, quæ in terreſtri, & ſicca ſanguinis conſtitutione non tam brevi temporis ſpatio ad eam magnitudinem, aut parvitatem redigitur, qua excretoriorum vaſorum orificiis reſpondeat. Quid quod interdum contingit nulla ratione redigi poſſe? Tunc vero nihil non ſolum per glandulas ſubcutaneas, aut renales, aut inteſtinorum, aut ſalivales, aut alias excernitur, expurgaturque, unde urina, ſudor, dejectio, aliaque ſimilis excretio ſuccedit, ſed vel abſceſſus, vel hæmorrhagia oboritur, ut egregie adnotavit Baglivus, quæ criſes minus propriæ cenſentur. Cum nihil tale quartana laborantibus accidat, reliquum eſt, ut ſymptomaticis motibus judicetur.

XVII. *Curatu difficilis eſt emitritæus, ac periculi plena febris, atque in inflamma-*

(*e*) *Conf. aph. lib.* 3. *cap.* 4. *com.* 3.

mationes viſcerum &c. Triteophiæ febres valde affines ſunt ſemitertianis, ſeu emitritæis. Nam juxta Duretum: Febres omnes continuæ, quæ tertio quoque die exacerbantur cum graviſſimis ſymptomatibus, vel ſunt Tritheophiæ, vel emitritæi. Sunt vero omnes hujuſce generis febres graves, & periculoſæ. Primum ratione continuitatis: Quæcumque enim febres non intermittentes tertio die fortiores fiunt magis periculoſæ ſunt; inquit Hippocrates: Deinde ratione cauſarum, fermenti ſcilicet febrilis ſanguini inſiti, viſcidi, craſſi, ac glutinoſi, extrinſeci vero acris bilioſique, quæ cum variam opem medicam expoſcant, difficultatem augent curationis. Demum ratione ſymptomatum, cum multis conſtantibuſque obſervationibus conſtet, in inflammationes tranſire viſcerum abdominalium, ut Spigelius celebris Anatomicus ſupra citatus in diſſertatione, quam edidit de Semitertiana, ut vocat compoſita ex tertiana intermittente, & continua inflammatoria teſtatus eſt: in hoc tamen falſus, quod emitritæum inter inflammatorias febres recenſet, cum in eaſdem tantum deſinat. Unde optime Hippocrates (*f*); *At in ſemitertiana appellata contingit quidem, & acutos morbos fieri, & eſt præ aliis maxime lethalis &c.* Ac Baglivus: *Morbus longus eſt, & periculoſus.* Ubi ſæviſſima ſymptomata, enormes vomitus, diarrhæas, cardialgias, aliaque id genus perniciem oſtendentia, atque malignum morem conjuncta habeat; exitialis eſſe conſuevit.

XVIII. *Venæ ſectio in quotidiana febre, niſi Menſtruorum, aut hæmorrhoidum ſuppreſſio adſit, aut grave aliquod capitis ſymptoma &c.* Poſtulat medendi methodus in quotidiana febre, ut ad morbificæ materiæ correctionem primum reſpiciatur, deinde ad febrilem commotionem, quæ ita regenda eſt, ut ætherogenea quæque, omneſque impuritates eliminentur e ſanguine, atque in tota ſua craſi depuretur, demum ad ſymptomata, quibus prudenter eſt occurrendum. Quæri hinc a Medicis ſolet, utrum conveniat ſanguinis miſſio. Communi autem omnium conſenſu ſtatutum eſt, venæ ſectionem per quam raro bene cedere in quotidiana febre. Cum enim in corporibus humidioribus, & lymphæ vitiis obnoxiis, phlegmaticis, & plerunque circa æquinoctium autumnale, & hyemale tempeſtate accidere ſoleat hæc febris, atque propterea lentam, craſſioremque lympham pro cauſa agnoſcat, fibrarumque laxitatem, perſpicuum eſt venæ ſectionem proxima ſpirituum materia educta, parcius in Cerebro ſeparari, & per nervos in omnes corporis partes influere, hinc earumdem imbecillitatem, & atoniam augeri; ſanguinis vero maſſa ſpirituoſis, activioribuſque particulis magis depauperata, craſſiorem fieri, ſeroſiſque partibus onuſtam reddi, hinc febris cauſas ita augeri, ut obſtructionibus viſcerum imi ventris, cachexiæ, aliiſque morbis via, aditusque aperiatur. Fieri tamen poteſt, ut cum lenta, craſſiorique lympha, ac fibrarum atonia, plenitudo conjungatur, ut in febre quotidiana ob ſuppreſſos menſes non raro contingit. Tunc vero tantum abeſt, ut detractio ſanguinis obeſſe valeat, ut vel ſi Anaſarca adſit, utilem non modo, ſed neceſſariam contendat Alexander Trallianus, inquiens (*g*): *Cui enim hydropi Anaſarca nomen eſt, ea venæ ſectionem interdum requirit, ut quæ ex ſanguinis frigidi copia naſcatur* (ſeu ex cachochymia cum plenitudine conjuncta) *videmus enim quod etiam ignis externus cum lignis viridibus propemodum extinguitur refocillatur rurſus, ſi illa quæ ipſum ſuffocabant, auferantur.* Et ſane imminuta ſanguinis mole, imminuitur etiam reſiſtentia, quam viribus illam moventibus illa ipſa cachochymia cum plenitudine conjuncta afferebat. Cor igitur, arteriæ, & partium, intra quas vaſa illa ſanguifera excurrunt motrices fibræ validius, & promptius ſeſe contrahentes univerſam ſanguinis maſſam validius propellunt, atque agitant, hinc craſſiores, vi-

(*f*) 1. *Epidem. ſect.* 3.

(*g*) *Lib. 9. de aq. inter cutem.*

viſcidioreſque particulas dimoveri contingit, alicubi impactas excuti, attenuari, ad motum expeditiores reddi, rarefactum ſanguinem majorem ſpirituum copiam corticalibus cerebri glandulis ſuppeditare, qui propterea uberius ſecreti, atque in partes influentes per nervos, earum robur, atque elaterium adaugent. Quid ſi aut grave aliquod capitis ſymptoma, aut alterius viſceris affectio urgeat? Tunc enimvero ad inflammationem, aut alios graviores morbos antevertendos non ſolum venæ ſectionem, ſed & cucurbitulas, & frictiones aliaque id genus auxilia omittenda non eſſe adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla.

XIX. *Purgantia mitiſſima hic pariter adhibenda*. Si lenientia ſolum medicamenta in iis febribus intermittentibus locum habent, quæ ab apparatu crudorum humorum, & putri cachochylia in primis viis, & meſenterio originem ducunt, ut cum præclariſſimis viris Sydenhamio, & Torto alibi oſtendimus (*h*), quanto magis a validiore purgatione abſtinendum eſt in febre quotidiana continua, quæ a fermento in ſanguine deliteſcente, & exaltato originem ducit, non a pravis, corruptiſque ſuccis in primis viis ſtabulantibus, & ſtato tempore ſanguinis maſſam ſubeuntibus, ad quos exturbandos, ac paroxyſmum antevertendum utile eſt quandoque leniente uti medicamento? Quoniam tamen interdum contingit morbi mineram in ſtomacho, aut circa ipſum hærere, ac viſcidos tenaceſque ſuccos ſanguini ſuppeditari, quibus morbi cauſa augeatur, aut confirmetur, tunc enimvero primæ viæ leniter expurgandæ ſunt. Illud tamen diligenter cavendum, ne iis utamur lenientibus, quæ cum humoribus craſſis tenacibuſque prompte educendis non ſint apta, mora facile fermenteſcunt, copioſioreſque flatus gignunt, atque fundunt. Quapropter ubi emolliendum ſit ſolum oleum. amygdal. dulc. cum nitr. ſtib., & juſculi tenuis tantillo eſt opportuniſſimum, eoque remedii genere ægros ſine ulla perturbatione, magnoque cum fructu purgari in epidemica quadam ejuſmodi febrium conſtitutione, quæ in malignas degenerabant anno 1751. vidiſſe bona fide teſtor. Ubi vero leniter incidendum ſit, ac ſtimulandum tartarea remedia, ſyrupus florum perſicorum, eorundem conſerva aliaque id genus adhibere commodiſſimum eſt.

XX. *Decoctio theiformis fol. cichor. card. S. flor. centaur. minor. ſummit. abſynt. &c.* Cum vitium in quotidiana febre poſitum ſit in lentæ, craſſioriſque lymphæ viſciditate, ſolidarumque partium laxitate, & atonia, ea potiſſimum indicari videntur, quæ ſolvendi, atque incidendi vim habent, ſolidaſque partes corroborandi. Ejuſmodi ſunt decoctiones cichor. ſylveſtr., quod *toto ſuo amarore atque virore ſtipatum* affirmante D. Geoffroii (*i*) *tamquam polychreſtum tum alimenti, tum medicamenti loco variis in morbis laudatur, præcipue ubi reſolvendum, abſtergendum, & temperandum eſt. Humores craſſos attenuat, glutinoſos reſolvit, ſpiſſos fluidiores efficit, ſolidas partes aliquantiſper conſtringit, & roborat*: hinc eximius ejuſdem uſus in longis, & diuturnis febribus vel ſolum adhibeatur, vel cum aliis plantis idoneis conſociatum, & juſculis incoctum: Tales autem ſunt Card. Benedict. de quo animadverſione dignum eſt, quod tradit Ballonius (*k*) Decoctum cardui benedicti ad ℥ iii. aut iiii. aſſumptum urinam reddere craſſam, & fętidam, idque ratione cujuſdam principii craſſos, viſcidos corruptoſque humores attenuandi facultate præditi, & ad urinæ vias ducendi, ut propterea minus mirari ſubſit in ipſa peſte a Palmario plurimum laudari. Quid de Centaurea minore dicam, ſi integer libellus extet de ejus virtute inter opera Galeno adſcripta, referente Geoffroii, quodque ratione ſalis eſſentialis tartaro vitriolato haud abſimilis cum amoniacali conſociati, & multo oleo acri, & craſſo conjuncti, humores lentos, craſſos, ac difficiles incidit, obſtructiones viſcerum re-

(*h*) *De febr. cap. 6. com. in aph.* 24.
(*i*) *Mat. med. p.* 2. (*k*) *Lib.* 2. *conſ.*

referat, ventriculum, & adjacentes partes roborat, chylificationem juvat? Hæc virtus maxime elucet in abſyntio, cujus propterea eximius uſus, ubi ſolidæ partes ad motum ſollicitandæ ſunt, ac roborandæ, ubi lenti, craſſioreſque humores attenuandi, incidendi, & qua data porta extra corporis confinia eliminandi, ut alibi a nobis eſt demonſtratum (*l*).

XXI. *His ſucceſſu temporis, in remiſſione paroxyſmi ſequens cardiacum eximii uſus.* ♃. *Suc. Card. S. &c.* Cum diaphoreticorum remediorum potiſſimum ſit ſanguinis motum accelerare, tenuitatem, fluiditatemque eidem conciliare, ejus motum per exiliſſimos quoſque corporis meatus promovere, præterea impuritates omnes e corpore educere, unde in ſua craſi depuretur, cardiacorum vero motus omnes, in quibus vita conſiſtit, & a quibus vitale robur æſtimatur alacriores efficere, ut prædicta munera promptius, atque expeditius peragantur, ſolent paſſim Medentes diaphoretica, ac cardiaca medicamenta in hujuſce generis febribus adhibere. Nos ab his ſumus, dummodo tamen ii quoque nobis concedant, quod volumus, ſcilicet in principio non eſſe adhibenda, neque ubi adhibeantur validiora eſſe eligenda. Primum quod ſpectat illud diligenter animadvertendum eſt quotidianæ febris fomitem in lentis, ac pituitoſis ſuccis ſtatui, qui ſegniter, nec admodum vehementer accenſi febrem excitant diuturnam, ac lentam, quique propterea difficillime coctionem ſubeunt, ſeu ad eam magnitudinem, aut parvitatem rediguntur, qua excretoriorum vaſorum orificiis reſpondeant. Quorſum igitur in diaphoreticorum, ac cardiacorum uſu tempus terere, dum corrigendæ materiæ tantum ſtudendum eſt? Si intempeſtive adhibeantur ejuſmodi medicamenta, non modo nihil educitur, nihil expellitur, quod pravum noxiumque eſt, ſed ea cietur perturbatio, qua aut febris augetur, aut ſeroſis, tenujoribuſque particulis diſſipatis, abſumtiſque confirmatur. Quod eo magis evenire cenſendum eſt, ſi ea in uſum vocentur, quæ ſubtilioribus, volatilioribuſque particulis prædita maſſæ ſanguineæ partes exagitando, penetrando, ſolvendoque operantur. Ejuſmodi ſunt ſales omnes volatiles, viperina medicamenta, aromatica, aliaque ſimilia, quæ in materiæ cruditate vix locum habent. Mitiori porro facultate diaphoretica, & ſimul cardiaca pollent aquæ nonnullę elicitæ ex plantis, quæ ſalibus ita cum volatilioribus particulis commixtis conſtant, ſimulque odoris fragrantia præſtant, ut non ſolum aliquantulum rarefacta ſanguinis maſſa ad ſudorem blande eliciendum ſint apta, ſed ſpirituum motu excitato, aut proxima eorum materia generata, ad vires erigendas, ac recreandas. Ejuſmodi fere ſunt aquæ ſuc. Card. S. Rut. caprar. Meliſ. aliæque id genus.

XXII. *Secus res habet in tertiana, in qua niſi pulſus compreſſus, ac tremulus prohibeat, vena ſecanda &c.* Cum in febre tertiana continua volatiles particulæ, mobiliores, ſiccioreſque in ſanguine ſint cumulatæ, ea potiſſimum indicari videntur, quæ nimium ſanguinis æſtum compeſcunt, atque irritantis ſtimuli acredinem quoquo pacto temperant. Inter præſidia hiſce indicationibus ſatisfacientia occurrit primo venæ ſectio, quæ in hac febre opportuniſſima eſt. Eadem enim nimium ſanguinis fervorem, atque orgaſmum tolli contingit, calorem, æſtumque ſanguinis compeſci. Neque audiendi illi ſunt, qui tenujorum acriorum, bilioſarumque particularum in ſanguine præſentia perterriti eamdem reſpuunt, verentes, ne venæ ſectione inſtituta bilis, ut ajunt ſincera exaltetur, atque inde ſanguinis maſſa fundatur magis, atque eliquetur, unde colliquantes febres ortum traducunt. Hos enim de febre ardente agentes redarguimus, & in bilioſa ſanguinis conſtitutione convenire ita oſtendere conati ſumus, ut nullus ambigendi locus relinqueretur. (*l*) Ad prohibentia potius ſedulo, & accurate eſt reſpiciendum, atque non

(*l*) *Aph. lib.* 3. *cap.* 1. *com.* 1, *com.* 18. & *cap.* 8. *com.* 17.
(*l*) *Cap.* 3. *com.* 17.

non ad ea quidem, quæ aut ab ætate puerili, aut ſenili debili admodum, & imbecilla, aut ab habitu gracili, aut ex anni temporibus, aut gravioribus animi affectionibus deſumuntur, ſed virium, ut ajunt, reſolutione, quæque a ſpirituum inopia, atque inde fibrarum motricium languore dependet, quæque potiſſimum ex pulſu compreſſo, parvo, languido, tactuique facile cedente, celeri tremuloque cognoſcitur, malignitatis incipientis inditiis manifeſtiſſimis. Tunc enim ſi venæ ſectio inſtituatur verendum eſt, ne ſpiritus ita deficiant, fibrarumque motricium vis ita langueſcat, ut morbo diutius ferendo impares evadant.

XXIII. *Serum quoque lactis tamarindatum ad lib. i. aut flor. Caſ. &c.* Purgantium medicamentorum meminiſſe ſolum in febre tertiana continua perhorreſcit animus, quando eadem in putri cachochylia acri, bilioſa ſtato tempore venas lacteas, ac ſanguifera vaſa ſubeunte intermittenti febri occaſionem datura vix ac ne vix quidem locum habere diximus. Quantam enim perturbationem non excitent in ea ſanguinis, humorumque conſtitutione, in qua tenues, ſulphureæ, volatileſque particulæ in motum actæ facile ſunt avolaturæ, in ea fibrarum rigiditate, quæ ad minimas quaſque impreſſiones irritantis ſtimuli ſuſcipiendas eſt apta? Saluberrimum hinc conſilium cenſemus ubi primæ viæ impuritatibus acribus, bilioſiſque ſint obſitæ, quæ in ſanguinis maſſa influentes febris cauſam augent, aut confirmant, eas leniter abſtergere per ea medicamenta, quæ non ob adjunctos ſales fixos leniter ſtimulandi virtute pollentes viſcidis quoque, lentiſque humoribus expurgandis ſunt apta, ut tartarea, aliaque ſimilia, aut quæ ob terreas quaſdam, ac ſtipticas particulas cum ſulphureis, aliiſque arcte commixtis, ſolidis quoque partibus atonia laborantibus adſtringendis, ſeu potius roborandis firmandiſque ſunt opportuna, ut rhabarbarum, ſed quæ ſuavi acore, quo donantur, ferventes, atque alchalicos humores compeſcere valent, atque corrigere, ut fere ſunt Tamarindi, qui ſive ſero lactis decocti; ſive alia ratione præparati eximiam edunt operationem.

XXIV. *Mane, & veſpere decoctiones Cicor. Endiv. &c.* In cichorio non ſolum craſſos, tenaceſque ſuccos incidendi facultas ineſt, ſolidaſque partes corroborandi, ſed acres etiam bilioſoſque, ſeu calidam, ut ajunt, humorum intemperiem corrigendi, hinc eximius ejus uſus in febre hectica, ut Crato expertus eſt in podagra bilioſa, ut Spigelius, & Simon Paulli affirmarunt, in diuturnis, & contumacibus febribus intermittentibus, quas ſolo uſu foliorum cichor. ſylveſtris aſſidue in acetariis comeſtorum profligatas noviſſe teſtatus eſt eximius D. Geoffroii. Virtus etiam nimium fervorem, motumque humorum compeſcendi ineſt in nonnullis aliis ſimplicibus, quæ refrigerantia dicuntur, endiv. lactuc. & ſimilibus, quid quid adverſus borraginem prædicet Cl. Hoffmannus, qui in affectibus bilioſis, aliiſque fruſtra adhiberi noviſſe dicit. Ejus enim uſum extollit laudatus Geoffroii in calida, ut vocant, viſcerum intemperie a ſtagnantibus ſuccis acrioribus factis, atque inflammationem minitantibus, in affectionibus ex atra bile oriundis, aliiſque in quibus irritationes ſedandæ ſunt. Idque eo magis evenire cenſendum eſt, ſi juſculis eadem decocta, & calida propinentur, quæ blandam etiam laxitatem in ſolida inducunt, qua placida exoptanda peccantium humorum ſecretio ad ſudorem, aut urinam promoveatur, nec non ſi addantur, quæ ſenſim acres bilioſos ſuccos, præſertim primarum viarum imbibendo corrigunt, a quibus dyſcraſia ſanguinis oritur, atque ea perturbatio, qua ſecretiones, excretioneſque prohibentur. Ejuſmodi ſunt toties memorata abſorbentia dicta, matr. perlar. cor. cer. uſtum, & alia ſimilia, quibus tamen nitrum palmam præripit ad blandiſſime attenuandum, & ſimul ſanguinis motum compeſcendum, fervoremque temperandum opportuniſſimum.

XXV. *In vigore acceſſionis ſitis coercenda potu aquæ Nocerianæ &c. Additis ſyrupis Ri-*

Ribeſiorum, *berberum &c.* Nulla re magis alchalici ferventeſque humores, ſulphureę, tenues, volatileſque particulæ, quæ in univerſam ſanguinis maſſam diffuſæ ejus agitationem, furoremque inducunt, compeſci ſolent, ſolidæque partes a morſu, & vellicatione in effręnes, ac convulſivos ſpaſmos adactæ relaxari ea ratione, qua opus eſt ad ſecretiones obtinendas, quam copioſis potionibus, quę pręterquamquod diluere habent, diſſociare, diſgregare, ineptaſque calori, fervorique excitando conſtituere acres, ſulphureas, ſiccioreſque particulas, accedit præterea pondere ipſo ſuo eam laxitatem ſolidis partibus conciliare, qua ſeri copia jam aucta vitioſi humores, aut ad renes delati, aut ad minima cutis vaſcula, vel cum urinis facillime, ac commodiſſime ejiciantur, aut inſenſibili perſpiratione, aut ſudore difflentur. Hinc eximius liberalis potus in morbis acutis, in febribus præſertim bilioſis, eo magis ſi aut terra quadam bolari abſorbentiſſima ſint fœtæ aquæ hauriendæ, uti fere ſunt Nocerianæ, aut mites, læves, oleoſaſque particulas conjunctas habeant, ut Serum lactis deſtillatum, aut nitroſo quodam principio, aut huic perſimili ſcateant ut ſtillatitiæ ex plantis refrigerantibus elicitæ: prioribus enim acres etiam ſuccos imbibi contingit, aliis irretiri, ſolidaſque partes demulceri, poſtremis demum ſuapte natura ſanguinis motum compeſci. Dici autem vix poteſt quantum blanda hac motus retardatione ſeroſi laticis a reliquarum nexu ſeceſſus, ejuſdemque aut ad renales porulos, aut ſubcutaneas glandulas juſta applicatio, atque inde conſequens urinæ, aut ſudoris ſecretio promoveatur. Quid ſi Ribeſiorum, berberum, aciditatis citri, aliique ſimiles ſyrupi addantur, aut ſpiritus nitri, vitrioli, quibus ſanguinis ipſius partes figuntur, & ejus textura quaſi conſtricta efficitur, ut ſeroſa pars ab aliis ſecedat, atque acres, bilioſaſque particulas ſecum abripiens per inſignes, præſertim urinæ vias extra corporis confinia eliminentur. Sed jam plura alibi diximus. (*m*)

XXVI. *Si manifeſta appareant malignitatis inditia ſequens mixtura cardiaca &c.* Malignæ febris nomen ubi audierint medentes, ad diaphoretica, eaque validiora ſtatim confugiunt. Recte illi quidem, ſi ſedulo, & accurate perpendant, in ſudore provocando non ſolum expectandum eſſe, ut peccans materia ſit ad illam excretionem diſpoſita, ejuſdemque coctio, vel conatu naturæ peragatur, vel arte promoveatur, ſed ad cauſæ morbum facientis potiſſimum reſpiciendum, ut in tanta earum diverſitate ea ſeligantur, quæ eas deſtruendo efficiunt, ut optata ſecretio facilius obtineatur. Quid enim ſi non ſanguinis curſus accelerandus ſit, neque ejus partes attenuandæ, neque earum compages ſolvenda, nec univerſa ſanguinis maſſa rarefacienda? Id enimvero plerumque contingit in malignis quibuſdam febribus, aliiſque affinibus, in quibus nimis ſoluta eſt ſanguinis compages, & in quibus diaphoreticorum exagitantium, atque commoventium uſu non ſolum nihil elicitur, ſed magis adhuc diſſolvitur ſanguis, & cauſa febris augetur, aut confirmatur. Tunc autem ad moderate acida, & blande adſtringentia eſt confugiendum, quibus congrua ſanguini conſiſtentia reddatur, parteſque ipſius ætherogeneæ, atque morboſæ facilius hac ratione ſecernantur. Idem plane intelligendum de cardiacis. Cum enim ſanguinis, & ſpirituum debita conſtitutio, & conveniens in motrices fibras influxus, a quibus potiſſimum motus cordis, & reliqui omnes ab ipſis pendentes proficiſcuntur frequentiſſime vitietur a principio aliquo ſalino acri, ac ſubtili ſanguinis maſſam ita fundenti, ut impar reddatur fibris motricibus roborandis, perſpicuum eſt huic morboſæ ſanguinis conſtitutioni non ea opem ferre, quæ ſubtiliſſimas habent partes, ut ſunt achalia omnia, volatilia, & quę ſubtili oleo ſunt fęta, cujuſmodi ſunt aromatica, & his ſimilia, ſed quæ moderate acida ſunt. In horum cenſu veniunt in primis aquæ ſuc. acetoſæ oxalidis, quarum propterea eximius uſus teſtante Cl. Geoffroii in bilioſis fe-

(*m*) *De feb. cap.* 2.

febribus ſimplicibus atque ipſis peſtilentibus, deinceps aqua totius citri, contra venena, febreſque malignas & peſtilentiales a pluribus medicis adeo commendata, ut Theriaca, Mitridato, & confectionibus quibuſcumque alexiteriis in ipſa peſtilentia potiora, & magis proficua cenſeantur. His ſi addas nitrata, quid ad malignam febrem colliquantem, quæ tertianæ febri continuæ ſupervenit profligandam, quid ad vires confortandas efficacius, aut pro ægrorum opportunitate valentius? Se de his plura ſequenti capite.

XXVII. *In quartana febre, quemadmodum in quotidiana venæ ſectio vix locum habet*. Animadverſione dignum eſt, quod tradit Hippocrates (*n*) in omnibus febribus refrigerantia locum habere præter quartanam. Cum enim unanimi Veterum Medicorum conſenſu ſtatutum ſit quartanam febrem dependere ab humore melancholico, quem frigidum faciebant, quidquid refrigerandi facultate donatur quartanæ febris cauſam augere, aut confirmare facile exiſtimarunt. Quibus rite perpenſis Recentiores practici ad credendum vehementer adducti ſunt in curatione quartanæ febris peccantis materiæ correctioni ſtudendum eſſe per ea, quæ humores fixos, terreſtres, lentos, auſteroſque incidunt, attenuant, atque exaltant. Hinc quæſtio utrum vena ſecanda. Nonnulli enim exiſtimantes imminuta ſanguinis mole, imminui etiam reſiſtentiam, quam humorum ſpiſſitudo craſſities, & lentor viribus illam moventibus afferebat: hinc corde, arteriis, ſolidiſque partibus validius, & promptius ſeſe contrahentibus totam ſanguinis maſſam vehementius commoveri, exagitari, cohærentes particulas mutuum contactum amittere, dividi, attenuari, ad motum expeditiores fieri, hinc ſanguinem fluxilem reddi, atque inde conſequens venæ ſectionem in quartana febre non modo utilem, ſed neceſſariam eſſe contendunt. Alii e contra longius progreſſi imminui quidem facile concedunt ſanguinis molem venæ ſectione, ſed ſimul ſpirituum inopiam fieri, atque fibrarum motricium vim ſic langueſcere, ut ſanguini validius impellendo, ejuſque propterea circulari motui accelerando impares evadant, a quo ſanguinis attenuatio, rarefactio, fluiditas dependet: hinc venæ ſectionem in quartana febre eſſe prorſus reijciendam. Qua in re ſi quid ſentio illud ſedulo, & accurate inquirendum traderem, num cum craſſis, fixis lentiſque ſuccis conjungatur plenitudo, quemadmodum de quotidiana febre dictum eſt ob ſuppreſſos Menſes, aut hæmorrhoides: quo in caſu utiliter venæ ſectionem celebrari poſſe adeo manifeſtum eſt, ut curioſiore explicatione nullatenus indigere putem.

XXVIII. *Infuſio rhabarbari ad leniter purgandum in hoc caſu commoda &c.* Quod ſupra oſtendimus (*o*) tertiana febre laborantibus ad impuritates acres, bilioſaſque educendas in primis viis hærentes, medicamenta exhibere commodum eſſe, quæ ſuavi acore ſunt prædita, ferventeſque, atque alchalicos humores compeſcunt, ut ſunt tamarindi, quotidiana vero, aut alia ſimili detentis ad viſcidos lentoſque humores expurgandos, ea quæ leniter ſtimulandi, ſimulque roborandi vim habent, ut ſunt tartarea, rhabarbarum, apprime cadit in hunc locum. Quoniam vero rhabarbarum paulo ſiccioris eſt texturæ, & pauciſſimam quandoque materiam ad inteſtina eijcit, doloreſque interdum concitat ſi ſolum in pollinem redactum adhibeatur, ſalubre propterea conſilium infuſionem leni calore ex eodem parare addendo ſalem aliquem neutrum, qui ejuſdem vim corrigat, & ſimul intendat, reſinoſam videlicet ſubſtantiam penetrando, ſolvendo, extendendo, prohibendoque, ne inteſtinorum tunicis diutius quam par eſt adhæreat, & moleſtias excitet, præterea incidendo, & leniter vellicando. Validiora certe cathartica, aut emetica, quibus uti ſolent Septemptrionales Medici in noſtra hac Italiæ parte, vix locum habent. Licet enim cruditates ſtomachi, pravoſque ſuccos craſſos, & glutinoſos in

(*n*) *Lib.* 1. *de mor.*
(*o*) *De feb. cap.* 6. *com.* 18.

in eodem congeſtos exturbent, chyloſim tamen pervertunt, commotioneſque ægris moleſtas, ac nocituras ſuſcitant.

XXIX. *Cæterum diebus a paroxyſmo vacuis pulveres digeſtivi ex decoctione &c.* Cum in melancholica ſanguinis conſtitutione terreſtres fixæ, ſalinæque partes dominentur, viſcidi lentique humores, qui facile ſubſiſtunt, atque obſtructiones viſcerum præſertim imi ventris procreant, unde primæ coctiones labefactantur, glandularum Abdominis fermenta pervertuntur, non ſolum utiliter adhiberi poſſe videntur, quæ craſſas, ac mucilagineas ſordes, mucoſaſque quiſquilias primas vias, vicinaſque partes infarcientes incidunt, & abſtergunt, ſolidaſque partes leniter vellicant, quorum in cenſu veniunt ſales lixiviales abſyntii centaur. minor. aliique medii ſuperius indicati, qui quidem viſcidis craſſiſque ſordibus attenuandis, incidendis, laxatis ſtomachi, & inteſtinorum fibris roborandis adeo opportuni exiſtunt, ut repetito illorum uſu inappetentiam in famem caninam deſiiſſe Riverius teſtetur in obſervationibus a Pachequo derivatis, ſed etiam levia antiſcorbutica, cujuſmodi ſunt Fumaria, Sonchus, naſturtium aquaticum, quæque ſalibus fęta nonnihil acribus, blandis tamen, atque nonnihil ſubtilis olei, mitis tamen continent, unde ſanguinis principia ſolvere habent, & ſi quid lentum, ac viſcidum eſt abſtergere, & ſtimulando ſolidas partes ad validiores contractiones excitare, unde ſecretiones omnes in viſceribus naturalibus excretioneſque promoveri contingit, eorumdem fermenta corrigi, ac chylificationis opus reſtaurari.

XXX. *Si febris chronica fiat, & cachecticus evadat æger ad Martialia deveniendum &c.* Uti quotidianas, ſic quartanas nimis longas, ac diuturnas etiamſi intermittentes fuerint in cachexiam, alioſque chronicos morbos deſinere oſtendimus; (*p*) idque egregie quadrat cum iis quæ alibi etiam teſtimonio Galeni, & Langii tradidimus, qui ubi altas in viſceribus radices egerint, hydropi producendo opportuniſſimas evadere teſtati ſunt. (*q*) Temporis enim diuturnitate fieri minus vix poſſe videtur, quin balſamicæ, oleoſæ, volatileſque particulæ diſſipentur, craſſæ, viſcidæ, lentæque congerantur in ſanguine, vel ſalinæ prædominantes jam ea ratione exaltentur, acreſque fiant, qua fibroſa ſanguinis pars comminuatur, exteraturque; unde turbata partium mixtione ſeroſæ partes non ſolum a reliquarum nexu ſecedant, ſed neceſſario ſpirituum animalium influxu deficiente in ſolidas partes ſic flacceſcant, ut ſeroſis humoribus in cavitates exitus detur, unde hydrops. Ne vero id magno ægrotantium periculo forte contingat, providi conſilii eſt chronica jam facta febre, & cachexiæ notis apparentibus ad Martialia confugere, quibus nihil potentius ad aciditatem omnem corrigendam, mucoſas quiſquilias atterendas, ventriculi, & inteſtinorum membranas roborandas, ſanguinis, & ſpirituum craſim firmandam adhuc invenire Medentibus datum eſt, aut pro ægrorum opportunitate valentius. Sed jam de virtute, efficacia rectoque eorum uſu plura alibi diximus. (*r*)

XXXI. *In emitritæo vena ſtatim ſecanda, ubi inflammationis periculum adſit &c.* Licet arduum ſit, ac perdifficile putri cachochymiæ, & malignæ ſanguinis diatheſi occurrere, ex qua vitales, animaleſque ſpiritus facile obruuntur, deficiunt vires, atque ſanguinis circuitus in viſceribus imi ventris intercipitur, unde exterioribus quaſi frigeſcentibus interiora uruntur, inflammantur, eryſipelata, abſceſſus, gangrænæ, ſphaceli celeris mortis cauſæ contingunt, quas obſervavit Spigelius, ſpem tamen boni exitus facit expedita, & recta medendi methodus bilioſorum, acrium, & diſſimilium lentorum vitiis, nidum focumque plerunque in Meſenterio, & inteſtinis habentium corrigendis, profligandiſque, inflammatoriæ

Bb 2 ven-

(*p*) *Cap. 6. com. in. 17.*

(*q*) *Lib. 2. cap. 5. com. 3.*

(*r*) *Aph. lib. 3. cap. 8. com. 12.*

ventriculi, aliorumque viſcerum diſpoſitioni arcendæ, viribus redintegrandis, ac gravioribus ſymptomatis removendis adhibita. Ubi igitur inflammationis periculum proſpiciatur, ſi alicubi nulla interpoſita mora vena eſt ſecanda, maxime eſt in febre ſemitertiana, in qua membranoſæ plerumquæ partes inflammantur, & in quibus niſi mature vena ſecetur periculum eſt, ne in morbi progreſſu ex venæ ſectione inflammatio tranſeat in gangrænam, & ſphacelum. Id certe inflammationes inteſtinorum tenuium, craſſorumque, meſenterii, omenti, aliarumque membranearum partium nos docent, quas laudatus Spigelius ſe ſemper inveniſſe teſtatur, quæ ſanguinis detractionem, niſi in principio fiat citra gangrænæ periculum, etiamſi nulli morbo, aut febri ſuccedant, non admittunt. Cavendum tamen, ne pravi, acreſque ſucci redundent in viſceribus imi ventris, qui plerunque per bilioſam, & liquidam alvi dejectionem ſe produnt, neve mollior ſit patientis habitus; tunc enim a phlebotomia abſtinendum eſſe facit potiſſimum virium imbecillitas, ſolidarumque partium laxitas, quæ venæ ſectione ſic augetur, ut in mortis diſcrimine prope certiſſimo ægri conſtituantur.

XXXII. *Tum levis purgatio inſtituenda per ſerum lactis tamarindatum, aut Caſ. &c.* Ob eamdem rationem inter initia purgatio inſtituenda eſt ad ſordes primæ regionis abſtergendas, educendaſque. Si enim ſerius inſtituatur, verendum eſt ne febrem, caloremque intendat, diuturniores paroxyſmos efficiat, & remiſſionum tempora minuat, ſi validiora præſertim adhibeantur, quæ a Spigelio laudantur, qui Agaricum eo quod ipſi ineſſe aliquid alexiterii exiſtimat, cæteris præfert. Mirum Spigelium elaboratiſſimum de hac febre tractatum ſcribentem magnopere Agaricum laudare, qui virulentia certe non caret, lenteque admodum cum operetur diuturniore in ſtomacho mora nauſeas, vomitus, & tormina ciet, ut propterea Veteres Medici Zingibere Cariophyllos aliiſque ejuſmodi aromatibus eum corrigere ſtuduerint. Et quominus Cl. Boulducii Academici Pariſienſis experimentis compertum ſit, in exteriore Agarici partem vim purgandi reſidere, ideoque hanc eſſe adhibendam, tunc ſolum tamen, cum purgans ingratum, & infidum eſt adhibendum, quodque decurrente febre augere æſtum valet, ſollicitudinem, labores, recedente vero vires proſternere, & bonæ valetudinis ſtatum longius producere. Tutiſſimum porro, atque efficaciſſimum purgans erit ex Sero lactis tamarindato, aut eorum pulpa, Caſſia, aliaque ad alchalicos, ferventeſque humores compeſcendos, & corrigendos apta quocumque tempore adhibeantur.

Præmiſſo ſi alvus ſit clauſa clyſtere emolliente. Niſi a copia excrementorum liberentur primæ viæ clyſtere emolliente, periculum eſt, ne purgante quamvis leniſſimo propinato per ſuperiora natura viam affectet, & vomitum moveat, præſertim ubi bile acri bilioſi in hepate ductus turgent, ut a præcl. Hoffmanno adnotatum eſt. Conficiatur ex decoctione Malvarum, & radic. altheę in ſero lactis cum butyro, ſaccharo, & ovi vitello, quorum etiam pulcherrima laus eſt pravorum ſuccorum proventum minuere, rigidiorem fibrarum inteſtinalium, & viſcerum circumjacentium tonum relaxare, atque inde humorum phlogoſim, ſtagnationemque prohibere, pręſertim ſi paregorica quævis, & ſedativa vitentur, quæ interioris gangrænæ, vel ſphaceli, cui facile ſubjacent inteſtina in hac febre occaſionem facile præbent.

XXXIII. *Juſcula alterata herbis refrigerantibus &c.* Dum febris urget, augetur, conſiſtit, auxilia quę viſcidos humores eluunt, ne ſummis inhæreant vaſculis, inhibent, inhærentes vero blande diſcutiunt, ſunt in uſum vocanda. Hinc proficua, & lenia ſunt juſcula herbis refrigerantibus alterata additis pulveribus diaphoreticis nitroſis, quos in tertianæ febris curatione propoſuimus. Teſtacea certe, & terrea cane pejus, & angue fugienda ſunt, ne humoris ad ſtagnandum diſpoſiti cohibeantur, & vel inflammationes lethales, vel lentæ, & hecticæ febres inducan-

can-

cantur, ut Baglivus teſtatus eſt. Ipſum æſtuoſum regimen, & potum copioſum calidum, nedum volatiliora omnia vitanda eſſe prudenter monuit Hoffmannus, ne ęſtus inde magis accendatur, criticus mineræ morbi per inteſtina effluxus turbetur, vireſque inter largos ſudores diſſipentur. Quid quod vehementer exagitando, ac commovendo inflammationem ciere valeamus?

XXXIV. *Cæterum ubi imminens inflammationis periculum, & magnus humorum apparatus abſit, ad corticem Peruvianum &c.* De cortice quoque Peruviano lis eſt. Nonnulli enim cum Torto exiſtimant ſecta vena, & purgatione leni inſtituta ad corticem Peruvianum confugiendum eſſe, eumque larga doſi, ſępius in die propinandum, cumque nullus ſervetur ordo in acceſſionibus, quocumque tempore exhibendum, ut vis, atque impetus fermenti febrilis infringatur, ne in inflammationem tranſeat febris: quo caſu non modo utilis, ſed ſumme noxius eſſe conſuevit. Alii e contra cum Hoffmanno, ac Baglivo multum mali adjicere celerius datum adhuc impuro corpore, & præſertim ante remiſſionis, & coctionis ſigna ſuſtinent, quia figendo velut ſapit, atque ut de cęteris adſtringentibus dictum eſt, vel inflammationes lethales gignit, vel contumacioribus morbis anſam præbet. Qua in re non mediocris peritia in Medico requiritur, ut auxilii tempus definiat, & variet, prout vel morbum conficere, & augere, vel depellere, ac profligare poſſe prudenti judicio cognoverit. Cum inflammationis periculum abſit, aut magnus humorum apparatus, quod per inſignes ventriculi, & inteſtinorum ſubverſiones, præcordiorum anxietatem, tormina moleſta aliaque id genus facile conjicies, cur ad illud remedii genus confugiendum non ſit, quo ſi minus tota depellitur febris, ſic tamen imminuitur, ut curationi locus præbeatur, omnino non video. Parum ne emolumenti in ęgrotantem redundet, ſi extrinſecum febrile fermentum alternis diebus in ſanguinem irrepens, atque tertianam febrem inducens ſubigatur, expellaturque? Quid ſi remiſſa febris criſim aliquam comitem habeat, vires recreet, labores minuat? Quanto facilius, ac tutius ſi forte quotidiana ſuperſit congruis auxiliis ejicietur? Cæterum & ipſe facile conceſſerim in imminente inflammationis periculo, aut magno humorum apparatu tam feliciter exhiberi non poſſe, ut ſuſpicari nullatenus liceat, aut inflammationem citius promoveri, aut contumacioribus morbis anſam præberi, & ſolum legitime decedente febre tunc locum habere corticem Peruvianum, nunc ſingulis, nunc alternis diebus tamdiu exhibendum, quamdiu de reditu paroxyſmi oborta ſuſpicio id ipſum requirat.

XXXV. *Mixtura ſequens cardiaca virium languori, horrorique ſuccurret &c.* Magnam animadverſionem merentur in hac febri ſymptomata, quæ ægrotantes dire exercent. Virium languor inſignis, horror, & rigor, quem quia & crebrum, & permoleſtum in ſuis acceſſionibus obtinet, ideo horrifica ab aliquibus dicitur hęc febris, ſub cujus horroribus moriuntur, qui ea ſervari non poſſunt. Cardialgia quoque, vomitus nonnumquam, ægros tenent. Tunc autem providi conſilii eſt cum internis, tum externis medicamentis iiſdem ſuccurrere. Interna quidem deſumuntur ex aquis odoris fragrantia præſtantibus, quibus momento fere temporis ſpiritus eriguntur, & recreantur, quęque tenues, ac ſubtiles habent partes, quæ peccantem materiem placide diſcutiunt, ac reſolvunt. Externa nonnulli deſumunt ex cataplaſmate ex mentha criſpa, floribus chamomillę romanę, & vulgaris, anetho, aliiſque aquæ, & aceto roſaceo incoctis, addita nuce moſcata, vel ſacculis ex iis infarctis, & tepide applicatis Stomachi regioni. Verum febris cum anxietate, æſtuque magno ſatis eſt, ut ejuſcemodi applicationem minus æger ferre poſſit. Commoda porro ſunt lenimenta ex iis oleis, ac ſpiritibus, quos ſtomachi, cerebri, & cordis amicitia claros fecit. Ejuſmodi ſunt ol. macis, nucis myriſticę, ſpiritus meliſſę, aliique plures. Cibum dari nonniſi in

ea re-

ea remiſſione, quę vera ſit magnopere neceſſarium duxit Celſus (ſ). Hęc modo in horas diurnas, modo nocturnas incidit, & facile elabitur. Hinc ſcire num febrilis acceſſio inſtet, & incipiat, augeatur, conſiſtat, decedat, Medentis erit diligenter inquirere. Ubi autem, cibo utendum ſit, leviſſimus eſſe debet, qualis ex juſculis, & ovis, & cibario pane facta ſorbitione, vel pulticula. Pro potu aqua ſimplex tepida magis, quam frigida, ne diaphoreſi obſtet, & corrugationes inteſtinorum excitet, vel hordeacea, & copioſe data juxta patientis habitum, & vires auxilium ſedandæ ſiti, & profligandæ febri aptiſſimum præſtabit.

(ſ) *Lib. 3. cap. 7.*

CAPUT VIII.

De febribus malignis, contagioſis, peſtilentibus, & peſte.

I. Malignæ, contagioſæ, peſtilentes febres, & peſtis ipſa gradu differunt inter ſe. Omnes enim corruptionem ſanguinis pro cauſa proxima agnoſcunt, quæ tribus modis contingit 1. per coagulationem. 2. Per diſſolutionem. 3. Partim per coagulationem, partim per diſſolutionem.

II. Coagulationem ſanguinis inducit fermentum, venenum ſi libet acidum coagulans, diſſolutionem acre colliquans, coagulationem, & diſſolutionem ſimul ſumme acidum, aut ſumme acre, unde peſtilentes plerunque, & peſtis ipſa originem ducunt.

III. Venenum autem cujuſvis indolis, vel ab aere potiſſimum generari contingit inæquali, nimis calido, ſicco, frigido, aut pravis halitibus e terræ viſceribus, vel corruptis corporibus exhalantibus infecto, vel ab inedia elaborari, praviſque alimentis, ac potibus ob Annonæ charitatem, vel ab animi terrore inſigni, aliiſque pathematibus.

IV. Quibus addenda organica, & animata corpora, quæ in ſanguinem & humores invecta in vivos, & innumerabiles vermes explicantur.

V. Produnt ſe malignę febres horrore quodam, miti calore intermixto, urinis a naturalibus parum diverſis, pulſu parum mutato, debili tamen, & parvo, viribuſque dejectis, appetitu languido, ac nauſea, cum in progreſſu calor varie acris, & mordax fiat internus magis quam externus, pulſus inæqualis, & varius nunc celerior, nunc crebrior, nunc durior, urinæ nunc aquoſæ, tenues, crudæ, nunc craſſæ, turbidę colloratæ, nunc ſine ſedimento, nunc valde ſpiſſo, & impuro, quibus ſuccedunt deliria, capitis dolor intenſus, motus convulſivi, vigiliæ, corporis immobilitas, lingua arida, aſpera, nigra, nulla ſiti urgente, difficultas reſpirationis, deliquia, interdum mentis hebetudo, ſenſuum torpor, in ſomnum propenſio, ſurditas, viſus obſcuritas, maculę, puſtulæ, exanthemata varia.

VI. Si hæc quidem modo plura, modo pauciora ei febri ineſſe cer-

nan-

nantur, cujus facilis communicabilitas eſt, & quę ex uno in alium ſerpit, & in quamplures diffunditur, contagioſam eſſe cenſendum eſt.

VII. Si longe, lateque diſperſa plerorumque ſtragem, interitum, ac necem faciat peſtilentem ab ipſa peſte parum diverſam.

VIII. Quam quidem portendunt venti ab ea regione, ubi dominatur flantes, caligines inſolitæ poſt terrę motus, virulentos halitus ex terræ viſceribus in aerem evomentes, corruptio, ac putrefactio ſubita obſonii, veſtimentorum, quæ in aere aperto poſita, & relicta ſint, animalculorum interitus citra cauſam manifeſtam, & inſectorum copia e ſuis latebris in terram, & aerem ægredientium, ipſumque ſua corruptione contaminantium, locuſtarum confluxus, morbi epidemici graſſantes.

IX. Hiſce ſi bubones accedant, anthraces, carbunculi, maculæ, puſtulæ cum ſubita virium proſtratione, aliiſque pernicioſiſſimis ſymptomatis, quæ brevi dierum curſu homines ad interitum ducunt, cæteris omnibus morbis quieſcentibus, jam de peſtis præſentia ſuſpicandum amplius non erit, niſi forte venenum prius ægrum interimat, quam ulla ſui præbeat inditia.

X. Coagulationem quidem oſtendunt ſoporoſi affectus, lethargici, dolor capitis gravativus, corporis ſegnities, ac fere immobilitas, ſuppreſsę cujuſvis generis excretiones, urinę aqueę, maculæ, petechiæ, bubones, parotides varias corporis partes occupantes. Diſſolutionem vero vigiliæ intenſiſſimæ, dolores acuti, deliria, convulſiones, urinę turbidæ, oleoſę, ſtillæ ſanguinis e naribus, diarrheę, dyſenteriæ, ſudores colliquantes, anxietates, faciei, & oculorum ſquallor, macies. Omnia hæc aut plura in una eademque febre coagulationem, & diſſolutionem ſimul.

XI. Si febre maligna laborantem alterna ciborum inappetentia, ac fames excipiat, dolores ſtomachi, tormina graviora vacuo ventre, & eorumdem remiſſio ſumpto alimento, ſenſus globi ad gulam aſcendentis, & ſuffocationis, alvus, & urina modo immodice fluens, modo ſuppreſſa, oris fœtor peculiaris ad aciditatem vergens, aphonia, alternus faciei rubor, & pallor, tuſſis ſicca, narium pruritus, dentium ſtridor, pavor in ſomno, delirium, epilepſia, vertigo, convulſiones artuum, cordis palpitationes, extremorum refrigerationes vermium per os, aut alvum dejectio, eoſdem maximam partem agere cenſendum eſt.

XII. Incertus ſemper eſt malignarum febrium exitus, ſi vires tamen perſiſtant, maculis purpureis corpus fœdetur, rubicundis roſeis circa primum ſeptenarium, quæque poſt paucos dies ſenſim evaneſcunt, cum levamine ſymptomatum, cum ſignis coctionis, minus periculoſæ. E contra ſi frequenter langueſcens æger animo deficiat, & convellatur, tremat, ſingultu, cardialgia ſævius tentetur, ſi petechiæ minutæ, lividæ, nigreſcentes ante primum ſeptenarium ſine levamine erumpant, & aphthis in ore, ac deglutiendi difficultate magnopere timendum.

XIII. Contagioſarum, & peſtilentium incertior adhuc eventus: Si tamen declinante morbo vires conſiſtant, febris parum miteſcat, & benigna ſuperveniat diarrhęa, devictum iri morbum ſperandum eſt.

XIV. Incertiſſimus peſtis. Si tamen bubones plures protuberantes in parte idonea ſuppurentur, aliquo cum levamine bonum. Quo plures ſunt carbunculi vel deliteſcentes, vel ad interiora recurrentes, vel in parte minus idonea protuberantes ſunt magis exitiales.

XV. Venę ſectio in ejuſmodi morbis nonniſi in ſumma humorum plenitudine, venarum turgentia, & inflammationis periculo eſt adminiſtranda, eaque primis diebus.

XVI. Lenientia quoque medicamenta, & clyſteres ſunt adhibendi, ubi putris peccat cachochylia, ac ſerum lactis tamarindatum. Flores Caſſiæ, & Tamarindorum pulpa, oleum amygdalarum dulcium cæteris palmam præripiunt, aut ſi ad vomendum proclivitas adſit, leniſſimum emeticum præſcribendum.

XVII. Ubi coagulationis, lentoriſque inditia habeantur, alterantia primis diebus exhibeantur ex decoctionis fol. Card. S. Meliſ. radic. ſcorzoner. ℥ vi. additis pulver. ex cor. cer. phil. pp. ſtib. diaphor. oculor. cancror. pp. extract. Scorzon. ad ſolem exſiccati a ʒ i. m. f. pul. diviſ. in partes viii.

XVIII. Ubi in ſomnum propenſio adſit, pulſuſque debiles ſint etiam radix contrayer. ad ℈ .s. dictis pulveribus addi poteſt, aut veſicantia tuto adhiberi, & citra noxæ periculum.

XIX. Apparente aliqua ad ſudorem proclivitate mixtura cardiaca, atque alexipharmaca bihorio ante cibum exhibenda. lib. Aqu. ſuc. Meliſ. Card. S. Scorzoner. Rut. Caprar. ℥ ii. Cordial. Saxon. primæ ℥ i. s. Cor. Cer. phil. præp. Stib. diaphor. a ℈ ii. Bezoar. oriental. ℈ i. ſyrup. ſcorzoner. ℥ .s. M. cap. ut dixi pro duabus vicibus. Si fortius rarefaciendum ſit pulvis viperinus a gr. viii. ad x. mixturæ addatur, aut ejus ſal volatilis cum ſale volatili Cor. Cer. a ℈ .s. confect. hyacint. q. ſ. f. boli bis in die propinandi.

XX. Sudore autem incipiente quam diligenter æger cooperiatur.

XXI. Potus ſit decoctio levis radic. Scorzoner. raſur. Cor. Cer. cum paſſulis: juſculis vero gelatinæ Cor. Cer. ſtibiatæ addantur.

XXII. Ubi vero diſſolutionis argumenta non deſint, alterantia erunt decoctiones fol. acetoſ. borragin. lactuc. cichor. plantag. radic. tormentil. ad ℥ vi. additis pulveribus ex Cor. Cer. ph. præp. matr. perlar. præp. a ʒ i. nitr. puriſ. ℈ i. camphor. gr. ii. M. f. pul. diviſ. in partes iv. mane, & veſpere propinandis per plures dies.

XXIII. His ſucceſſu temporis addantur mixturæ cardiacę ex aq. ſucc. Acetoſ. Oxalid. a ℥ iij. aq. Theriacal. aut acet. ſtillat. ʒ vi. Tot. citr. ℥ i. s. Matr. perlar. præp. Cor. Cer. phil. præp. a ʒ .s. Syrup. ex acid. citr. ℥ .s. M. cap. bihorio ante cibum.

XXIV·

XXIV. Gelatinę ipſæ juſculis miſcendę , & potiones acidulæ fiant : illæ quidem ſucco limonum, aut aciditatis citri ante concretionem , hæ vero ſpiritu vitrioli , atque ſyrupis berberum , ribium , & ſimilium.

XXV. Vomitus in ejuſmodi febribus ſunt infeſti, qui ſi contumaces fuerint , conſerva cytoniorum , meſpilorum , prunorum ſylveſtrium , ceraſorum , & ſimilibus compeſcetur pręter potiones ſubacidas jam dictas ; nec non hora ſomni Diaſcord. Fracaſt. ad ʒ .s. & extrinſecus applicando emplaſtro de cruſta panis , floribus roſarum rubrar. pul. inſperſo.

XXVI. DiarrhϾ , atque dyſenterię alexipharmacis , atque adſtringentibus ſimul pertractandę , ut in peculiarii tractatu.

XXVII. Delirium phreneticum emulſione Vuerlhophii.

XXVIII. Lethargus pręter Veſicantia , cucurbitulis , & frictionibus ſiccis , nec non emplaſtris ſtimulantibus plantis pedum applicitis.

XXIX. Hæmorrhagiæ in malignis ſymptomaticæ mixtura cochleatim exhibenda ex aq. ſuc. plantagin. tormentil. ſumachor. a ℥ iij. Corral. rubr. præp. lapid. hæmatitid. a ʒ s. tinctur. corral. anodyn. Helvet. ℈ ij. laudan. liquid. cyt. gut. xv. ſyrup. de roſ. ſic. ℥ .s. M. cap. ut dixi. Extrinſecus vero acetum roſaceum linteo exceptum fronti , & temporibus applicetur , vel torunda aqua ſtiptica Lemerii madefacta, & colcothare vitrioli conſperſa naribus indita.

XXX. Parotides , bubones , carbunculi , gangræna , ſphacelus , manu periti Chirurgi tractanda ſunt.

XXXI. Vermibus hydrargiro præ cæteris eſt occurrendum.

XXXII. Cæterum a peſte facilius præſervabitur , qui contagium fugiat, qui in aere puro , & ſalubri verſetur ſuffumigiis alterato , qui fonticulos ſibi applicari jubeat ſaltem ad erigendum animum , auxilium omnium efficaciſſimum.

XXXIII. Medicus vero , qui numquam jejunus ad ęgros accedat , qui os , & nares aceto ſępius colluat , qui limonis , aut citri putamine ſuccolento dentibus atterat.

C A P U T VIII.

De febribus malignis , contagioſis peſtilentibus , & peſte.

I. M*Alignæ , contagioſę , peſtilentes febres , & peſtis ipſa gradú differunt inter ſe.* Non deſunt Scriptores , qui febrem malignam a peſtilenti diſtinguunt , intelligentes peſtilentis febris nomine veram peſtem. Verum cum hujuſmodi febres differant inter ſe tantum ſecundum majorem , vel minorem malignitatis gradum , placet pleriſque , quos in præſens ſequimur , omnes uno capite comprehendere. Differt autem febris peſtilens a peſte tamquam ſpecies a genere , ut perbelle ait Riverius. Datur enim peſtis ſine febre, ut docuit Hippocrates multis in locis (*t*), & Galenus in expoſitione in Hippocrat. & alibi (*u*).

(*t*) 3. *Epidem.* (*u*) *Lib. 6. de med. facul. c. de terra ſamia.*

Nam cum peſtis in genere ſit morbus communis, ſeu popularis pleroſque interficiens, & contagioſus, quotieſcumque hujuſce naturæ, atque indolis erit febris, peſtilens appellabitur. Cæterum malignæ febres, aut epidemice graſſantur, aut ſporadice, ac privatim paucos adoriuntur, vel contagione minime propagantur, vel contagioſæ ſunt. Utriuſque autem multæ ſunt ſpecies a gradu potiſſimum malignitatis deſumptæ. Summus malignatis gradus eſt in peſte, huic proximus in peſtilentibus, hinc in contagioſis, & ſic porro. Reliquas differentias a cauſa, ab adjunctis, & ſimilibus prout res, & occaſio feret infra videbimus.

Omnes enim corruptionem ſanguinis pro cauſa proxima agnoſcunt, quæ tribus modis &c. Non una eſt Medicorum de his febribus hypotheſis, & opinio. Plerique Veterum cum Galeno crediderunt harum febrium malignitatem in ſordida, atque profunda putredine conſiſtere, ex qua prava, ac venenata qualitas ſanguini, & humoribus concilietur. Alii cum Sennerto rejiciunt in materiam tota ſubſtantia cordi inſertam, adeoque in venenatam, & occultam qualitatem. Verum cum iis, qui ſubtiliorem philoſophiam aſſequuti ſunt, nil aliud hæc videantur, quam ſpecioſa vocabula, atque inania mentis figmenta, altiori voce damnarunt, & quantum fas illis fuit de medio tollere conati ſunt. Neque enim ſanguis in vivis putreſcit, neque eo putreſcente hominis vita conſiſtere poteſt. Ecquis enim neſciat peculiarem, & propriam rerum formam deſtrui, ſanguinis, ſpirituum animalium elaborationem everti, calorem vitalem omnem, motum, ſenſum extingui? Si membra gangræna, & ſphacelo correpta, exanimata, demortua nunquam rurſus ad vitæ actiones & uſus traduci poſſe diuturna conſtat experientia, qua ratione, aut modo fieri poſſe putemus, ut maligna febre correpti non ſolum diutius vivant, ſed etiam ſæpenumero ad bene valendum diſponantur, & in priſtinum ſanitatis ſtatum reſtituantur, niſi putredo illa Veterum fictitia eſſet, & a veritate alieniſſima, ut ſupra a nobis eſt demonſtratum? (*x*) Deinceps quænam occulta, ac venenata qualitas? Animadvertentes nimirum in febribus malignis, & peſtilentibus ea prorſus contingere, quæ in affectibus a veneno prodeuntibus deprehenduntur, idcirco a myaſmate deleterio harum febrium naturam altius, ac ſubtilius repetere non dubitarunt. Atque eorum quidem opinionem confirmant hiſtoriæ a rerum Scriptoribus traditæ a maleficis, ſceleratiſque hominibus aliquando peſtes excitatas fuiſſe virulentis unguentis cum Napello, Aconito, Arſenico, aliiſque hujuſmodi comparatis, illitiſque puta veſtimentis, cubilibus, & ſcamnis, ut ab eorum contactu virus in hominum corpora immiſſum necem inferret. Quoniam vero non unus eſt venenorum operandi modus, & energia, alia ſiquidem ſanguinem cogunt, figunt, & in grumos convertunt, ut oleum vitrioli, viperæ, & Scorpii venenum, ſuccus cicutæ, & ſimilia: alia vero quæ ſanguinem diſſolvunt, & colliquant fibroſas ſanguinis, ac ſolidorum partes, ut Auripigmentum, Mercurius ſublimatus, & Arſenicalia omnia venena, ut Wepferus teſtatur, (*z*) vel ſi externe applicentur, ut Degnerus ſcriptum reliquit: (*a*) propterea non unicam eſſe febrium malignarum, ac peſtilentium cauſam exiſtimarunt, eamque quandoque in coagulatione, quandoque in diſſolutione eſſe conſtituendam. Ex his facile apparet neque Wiliſii ſententiam aſſerentis in febribus præciſe malignis locum habere myaſma virulentum, & humorum coagulativum, neque Sylvii De le Boe volatile, acerrimumque principium accuſantis eſſe prorſus reiiciendam. Nonne enim omnis coagulationis terminus diſſolutio eſt? Quapropter in peſtilentibus, quarum gradus, & vitium intenſius eſt, cauſam eſſe deducendam a ſale volatili acri, quod ſanguinis conſiſtentiam,

(*x*) *De feb. cap.* I. *com.* 14. (*z*) *Tract. de cicut. aqu.*
(*a*) *Hiſt. medic. de diſſenteriallioſo-contagioſa &c.*

tiam, & texturam diſſolvat, ejuſque turgentiam, & rarefactionem in corde impediat, quinimmo & ſpirituum in Cerebro generationem, unde lethalia ſymptomata exoriuntur, rationi conſentaneum videtur aſſerere. Utinam tertium animadvertiſſent, a quo coagulatio, & diſſolutio ſimul repeti poſſet. Nihil enimvero meo quidem judicio deeſſe videretur, quod veram quantum hominibus licet, ac genuinam iſtorum morborum naturam Medici conſtituerent. Utrum id omne ego abſolverim viderint alii.

II. *Coagulationem ſanguinis inducit fermentum, venenum ſi libet acidum coagulans* Quamvis exemplum a venenis hominum vitæ infenſis, & mortiferis deſumptum ad explicandam malignarum, & peſtilentium naturam univerſe non valeat, quia ſicut Cicuta ſturni veſcuntur, qua homines læduntur, Helleborus hominibus nocuus eſt, optimum Coturnicibus pabulum, Lepus marinum pulmones ſpeciatim afficit Cantharides veſicæ urinariæ infenſæ ſunt, ideoque etiam malignæ peſtilentes, & peſtis ipſa alia in Equos, alia in Boves, alia in homines graſſatur, alia unam potius, quam alteram partem lædit ad explicandam tamen aliquam earum ſpeciem traduci poteſt. Cum enim varia, ac multiplex ſit Malignarum, peſtilentium, ac peſtis ipſius conditio, atque animalium hominumque ſanguis varia ratione diſpoſitus ſit ad malignum, aut peſtilens virus ſuſcipiendum, ſuſpicari fas eſt variam eſſe in illis agendi rationem, & lædendi enecandique vim, unde ſanguis in aliquibus omni fluiditate amiſſa concreſcat, in aliis contra colliquetur, in aliis partim coaguletur, partim diſſolvatur. Ubi autem fluiditate amiſſa ſanguis concreſcit, quid vetat, quominus fermentum ſanguinem cogens, ac coagulans venenum acidum appellemus, ubi diſſolvitur venenum acre, ubi partim concreſcit, partim colliquatur, ſumme acidum, aut ſumme acre? Corrumpi nempe per coagulationem ſanguinem dicimus, cum tenuiores ejus partes abſorbentur velut a craſſioribus, & ad motum ferme ineptis, atque in majores maſſulas coaleſcunt, vel cum corpuſcula eidem miſcentur, quæ eorum maſſulas nectunt. Idque acida potiſſimum præſtant. Per diſſolutionem vero cum ipſius maſſulæ ſeroſæ, fibroſæ, rubræ a ſe invicem ſegregantur, vel quia in ſua elementa ſalina, ſulphurea, terrea diluuntur. Idque efficiunt acria. Per coagulationem, & diſſolutionem ſimul cum fibroſæ ejus partes nonnullorum corpuſculorum mixtione implicantur, & nectuntur, ſeroſæ autem fuſæ, & ſolutæ relinquuntur, vel eorum maſſulæ in ſua elementa reſtituuntur. Primum præſtant fortiſſima acida, alterum fortiſſima acria. Acidiſſima enim corpora ramoſas ſanguinis partes apprehendunt, & cogunt, ſeroſas vero fluidiores relinquunt, ut lacti contingit, dum ab acidis corrumpitur. Acerrima vero ejus maſſulas in ſua elementa reſtituunt, unde quæ tenujora ſunt, & ad motum magis prona fuſa, & ſoluta manent, quæ vero craſſiora, & inertia in majores maſſulas concreſcunt. Hinc eſt in peſtilentibus febribus, & peſte ipſa, quæ a febre disjuncta eſt, nulloque præeunte morbo invadit, atque miſellos homines quamcitiſſime interimit, atque enecat atteri ab actione peſtilentis veneni cauſtici, acerrimi, volatiliſque ſanguinis fibras, atque univerſam ipſius compagem diſſolvi ea ratione non ſolum, qua nativus calor abſumatur, & diſſipetur, adeoque in præſens vitæ periculum ægri conjiciantur, ſed ea etiam, qua ſolutæ ipſæ partes craſſiores, & ad motum minus pronæ alicubi hærentes maculas, exanthemata, bubones, anthraces, aliaſque ſimiles concretiones ante, vel poſt mortem progignant. Unde non immerito comparari poſſe videtur peſtilens venenum aquæ forti, regiæ, arſenici floribus, qui ſi aqua diſſoluti intra venas alicujus canis injiciantur, quaſi ſyncope tactum in terram labi, atque emori certis experimentis compertum eſt ejuſque ſanguinem in minutiſſimas partes disjectum vix intra vaſa contineri poſſe, immo ab extremis eorum vaſculis, ipſiſque membranarum poris exilire, ut Isbrandi Die-

merbroechy teſtimonium ſilentio prætercam, qui ſanguinem eductum e vena cujuſdam Angli peſte laborantis, cum primum floridus, & cum impetu erupiſſet, paulo poſt nullis compreſſionibus, ac ligaturis cohiberi potuiſſe, nec vulnus obturari teſtatus eſt. (*b*)

III. *Venenum autem cujuſvis indolis, vel ab aere potiſſimum generari contingit inæquali, nimis calido &c.* Sylvius De le Boe opinatus eſt acerrimum principium peſtem potiſſimum inducens in calidiſſimis Mundi partibus ſublimari, inde a ventis præſertim Auſtralibus diffundi, & circumferri. Qua in re quid ipſe ſentiam pronuntiare vix audeo, haud ignorans de peſtis natura certi aliquid determinate afferri non poſſe, quæ docente Scaligero latet animos temperatos, curioſis illudit. Incredibilis enim eſt varietas, quæ inter unius, atque alterius peſtis naturam, atque indolem intercedit. Quo potiſſimum Galenus, quem Cl. Maſſarias, aliique in hac parte ſequuti ſunt, ad credendum vehementer adductus eſt, peſtem determinatum morbi genus non eſſe. Verum id ſit, an falſum non facile dixerim. Inſignem tamen varietatem a variis corporum diſpoſitionibus pendere facile judicaverim juxta aeris, clymatum, aliarumque antecedentium cauſarum diverſitatem, atque de febribus præſertim contagioſis, peſtilentibus loquendo, eas interdum excitari veriſimile eſt ab eodem principio, a quo malignæ primum exortæ ſunt, quod per motum febrilem varie ſolutum, & fuſum vi halitus, qui diu in corporibus deliteſcens perſpirat demum, & ſanorum ſanguini facillime communicatur halitum illum reſpirantium, & ſuſcipientium; peſtilentes ab eodem, a quo contagioſæ, ſed altioris, ac deterioris gradus, & conjuncto cum myaſmate acidam, acrem, cauſticam indolem redolente, quod promptiſſime ſanorum corporibus communicatur, & pleroſque interficit eorum, a quibus ſuſcipitur. Dici enim vix poteſt, quam facile ejuſmodi morbis ortum præbeat aer cum manifeſtis, tum occultis qualitatibus abditiſque: manifeſtis quidem ſi eæ modum excedant, atque aliarum ad alias repentinus tranſitus fiat. Ita ſi ab hyemali rigida, & nivoſa calor diu perſeverans excitatur, malignæ febres exoriuntur totam quandoque æſtatem durantes, ut Hippocrates in Epidemiis tradidit. Siccitates etiam malignis, ac peſtilentibus febribus producendis ſunt aptæ, præſertim ſi cum caliditate conjunctæ ſunt, ut Livius teſtatus eſt. (*c*) Tanta enim ſiccitate laborabat annus, ut non modo pluviæ parce deſcenderint, ſed terra ipſa ingenito humore egens vix ad perennes aquas ſuffecerit. Quid quod ab ipſa frigiditate intenſa peſtilentem conſtitutionem legere licet in eodem Livio, ubi ait (*d*) *Inſignis annus hyeme gelida, ac nivoſa fuit adeo, ut viæ clauſæ, Tyberis innavigabilis fuerit. Triſtem hyemem, ſive ex intemperie cæli raptim mutatione in contrarium facta, ſive alia de cauſa gravis, peſtilenſque omnibus Animalibus æſtus excepit.* Quid ſi conſuetis ventis aer non perfletur, quibus noxii halitus diſſipentur? In his potiſſimum exhalationibus occulta malignarum, ac peſtilentium ſemina latent, ut in Romano, atque Neapolitano ſolo contingit, quod æſtate, & autumno iterantibus adeo infenſum eſt. Hinc apte Hippocrates graviſſimam peſtilentem conſtitutionem deſcribens: *Sine aura*, inquit, *uſque annus hic fuit.* (*e*) Et ſane aere plurimum, & multipliciter affici humana corpora dubitare nemo poteſt, qui ſedulo, & accurate perpendat fluiditate non ſolum, gravitate, & vi elaſtica præditum eſſe, quæ affectiones ab ipſa particularum aerem conſtituentium natura oriri videntur, ſed aliis etiam, quæ ab admixtis potiſſimum terreſtribus exhalationibus proficiſcuntur, ut potentiores illas prætercam, quarum meminimus, ſcilicet calorem, frigus, humiditatem, ſiccitatem. Hinc aere elaſtico,

(*b*) *Tom.* 2. *de peſt.*
(*c*) *Lib.* 1. *dec.* 4. (*d*) *Lib.* 5. *dec.* 1.
(*e*) *Lib.* 1. *Epid. ſect.* 5. *tom.* 2. 3. *Epid.*

ſtico, gravi, frigido, aut ſicco exiſtente non ſolum fibras noſtri corporis intendi, & roborari contingit, pulmonum præſertim, & cutis modo nimia non ſit ejuſmodi tenſio, atque hinc circuitum per pulmones, & reliquas expeditiorem fieri, celerioremque, ſecretiones omnes, atque inſenſibilem perſpirationem præ cæteris promoveri, ſed humores ipſos debitam conſiſtentiam, atque promptitudinem acquirere. E contra vero minus elaſtico, & minus gravi, humido item, & calido exiſtente non ſolum fibras laxari, & imbecilliores fieri, atque hinc per minutiores ſanguiferorum truncos procedere, unde facile humorum congeſtiones contingunt, ſecretiones, & præſertim inſenſibilis tranſpirationis diminutio, ſed humores ipſos turgere, ac vehementius agitari, ceſſante exterioris aeris preſſione elaſtica interiori contranitente, unde præter modum attenuantur, diſſolvuntur, ſubtilioreſque partes difflantur. Quid igitur aut in repentinis mutationibus continget, aut nimia ſiccitate, aut immoderata caliditate, aliiſque ejuſmodi manifeſtis qualitatibus præter modum agentibus? Quid ſi ſalinis, acribus, diſſolventibus, erodentibuſque, aut contrariæ indolis particulis coagulantibus, & adſtringentibus imbuatur? Iis nempe ſolidas partes vellicari, aut corrodi, fluidas vero acriores reddi, attenuari nimis, ac ſolvi, hiſce vero ſolida adſtringi, fluida coagulari adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Hinc minus mirari ſubit variæ indolis febres malignas, alioſque morbos in certa aeris conſtitutione excitari; alias in quibus ſanguis a venis extractus ejuſdem plane conditionis apparet in omnibus ſubjectis fibroſus, cruſta polypoſa concretus, alias in quibus laxius cohærens, fuſus fere, ac ſolutus. Quid ſi aut ſtagnorum, aut paludum, aut ſpecuum, aut mineralium halitibus inficiatur, aut cloacarum, ſterquiliniorum, angiportuum fætore, cadaverum inſepultorum ſtrage, olerum, & leguminum putredine, ſi ſalubribus ventis non perfletur, quibus halitus ex terra, ex animalibus, ex plantis in ipſum diffuſi difflentur, ſi pluviis moderate non irroretur ad ſalinas, & alias exhalationes quibus ob ſiccitatem imbuitur ſubinde abluendas?

Vel ab inedia elaborari, praviſque alimentis, ac potibus. Poſt aerem ſecundum inter cauſas malignarum, ac peſtilentium febrium cauſas obtinet locum nimia a cibo abſtinentia: Abſumuntur enim mites, benigni, ac gelatinoſi ſucci, corpus exſiccatur, ſpiritus deficiunt, concidunt extremi tubuli, perſpiratio minuitur, unde acres erodenteſque particulæ in ſanguine cumulantur, quæ ejus texturam ac compagem facile diſſolvunt, unde funditur, ac colliquatur, ut experimento alibi a nobis memorato compertum eſt, (*f*) Hinc non mirum non ſolum Stomachi, capitis, cordis, aliorumque viſcerum fibras in inordinatas, ac convulſivas contractiones agi, unde nauſeæ dolores capitis, vertigines, lipothymiæ contumaces, vigiliæ, aliaque ejuſmodi mala exoriuntur, ſed corrupta ſanguinis maſſa malignas, ac peſtilentes febres excitari, quemadmodum fere Militibus contingit, qui poſt longas inedias, aut ex levi quandoque cauſa minime lethali moriuntur, aut in prædictos morbos concidunt, hinc peſtem communiter Annonæ charitati ſuccedere ajunt, unde vulgare illud invaluit: *Peſtis poſt famem*. Quid quod plebeii tunc vilioribus, praviſque alimentis utentes putri cachochyliæ occaſionem præbent, quæ in ſanguinem ingrediens eumdem ea ratione afficit, quæ vel una ſatis valere poteſt ad ejus craſim pervertendam, ac corrumpendam, ut a Galeno demonſtratum eſt (*g*) Hinc eſt infenſam hiſce præ aliis eſſe ſolere. Cum enim non aliis veſci valeant, legumina, aliaſque fruges ingurgitant, quæ aut rubiginem teſtante Plinio (*h*) & Laurembergo (*i*) hominibus infeſtiſſimam, aut aliam quamdam putredinem acquiſiverunt, aut carnes Animalium, quæ vi morbi

(*f*) *Lib.* 1. *cap.* 1. *com.* 8.
(*g*) *Lib. de cib. bon. & mal. ſuc. & de differ. feb. c.* 3.
(*h*) *Hiſtor. nat.* (*i*) *Horticult. cap.* 35. *lib.* 1.

bi interempta ſunt, aut piſces in ſtagnantibus, corruptiſque aquis emortuos, quemadmodum referente Riverio Inſulæ Liparæ dictæ incolis accidit, qui piſces ad littus maris rejectos Etnæ montis igne coctos avidius aſſumentes, graviſſimam peſtilentiam paſſi ſunt. Hinc non mirum in obſidione Bredana fame preſſis incolis impuro victu utentibus, ſæviſſimam peſtem graſſatam fuiſſe, interimque Regium exercitum, qui hanc Urbem obſidebat omnibus ad vitam neceſſariis inſtructum a dira hac lue immunem ſervatum fuiſſe, ut Cl. Vander Mye de morbis Bredanis teſtatus eſt. Potiones quoque aquarum paluſtrium, quæ ſtagnando limoſæ, ac putridæ fiunt Malignis febribus, ac peſtilentibus occaſionem præbent. Atque hiſce potiſſimum cauſis efficitur, exercitus ex hujuſmodi aquarum uſu popularibus morbis plerunque corripi, cum non leves labores ſint, & animi angor præſertim in obſidionibus. Profecto nihil ad propagandas malignas, ac peſtilentes febres efficacius eſſe communiter perhibetur terrore, quo ſpirituum influxum cohiberi contingit, eoque quaſi ſuffocari, palpitationem cordis induci, anxietatem propemodum ſuffocativam cieri, humorum curſum retardari, planeque ſiſti, ſecretiones omnes excretioneſque impediri, ſolidas partes debita ſpirituum copia deſtitutas langueſcere, chylificationis opus everti, hinc cum acres, pravoſque ſuccos in ſanguine cumulari, tum corruptos a primis viis in ſanguinem inferri, qui ſanguinem facile corrumpere valent, unde malignæ, ac peſtilentes febres. Hiſce potiſſimum de cauſis fit, timidos peſte facile corripi, ex adverſo qui fidenter, ac tranquille vivunt, eadem plerunque præſervari.

IV. *Quibus addenda organica, & animata corpora*. Qui minutiſſimorum animalculorum ſeminium, quod in ſanguinem, aut humores invectum in vivos ac plane innumerabiles vermiculos explicetur, malignarum febrium cauſam agnoſcunt, earumque curationem ab iis expectandam eſſe exiſtimant, quæ hujuſmodi animalcula enecandi vim habent, neque obſervationibus, neque experimentis a præclariſſimis viris inſtitutis deſtituuntur. Ad organica nempe, & animata corpora ex aere præſertim nocturno decidentia reduci poſſe rubiginem, & uredinem ſupra fruges vineaſque deciduam cujus meminit ſupra citatus Plinius, & Laurembergius non ſolum iiſdem infeſtam, ſed etiam hominibus ſummopere noxiam alibi demonſtravimus, (*k*) ducti potiſſimum perbellis experimentis Cl. Læuvenhoechii, (*l*) qui inſectorum corpuſcula adeo minuta invenit, ut aliquot eorum centena ſimul ſumpta craſſum arenæ granum mole non æquent, unde in aerem diffuſa cum rore defluentia, qua corporis humani poris ſe inſinuando, qua cum alimentis ſanguinis maſſam ſubeundo, atque eamdem corrumpendo malignos, ac peſtilentes morbos excitare Cl. Lanciſius (*m*), qui materiem hanc ingenioſe admodum, lateque pertractavit, teſtatus eſt. Cujus quidem ſententiæ patronus in primis olim fuit Kircherus in ſcrutinio peſtis, eumque ſequuti Langius, & Haptmannus: nuperrimis vero temporibus Cl. Jo. Baptiſta Moreali in peculiari libro (*n*) adeo acriter pugnat, ut qui aliter ſentiat, ſi ipſum audimus, garrire omnino, & ſomnia narrare videatur. Suſtineant, quantum iis placet, pugnaciſſime ſuſtineant febres malignas, ac contagioſas naſcendi potius occaſionem vermibus, & materiem ſuppeditare, atque exempla proferant innumerabilium vermium, qui in latrinis ſordibus, & excrementis generantur, & nutriuntur, atque ad credendum adducantur malignam ſanguinis corruptionem, quæ hominibus, diverſiſque animalibus ſumme nocua eſt, inſectis eſſe propitiam, atque eorum tum generationi, tum nutritioni idoneam, neque ab opinione deſiſtant vermiculos quam-

(*k*) *Lib.* 3. *cap.* 3. *com.* 4.
(*l*) *Tom.* 1. *epiſ.* 7. *&* *t.* 2. *ep.* 96.
(*m*) *Lib. de nox. pal. effluv. cap.* 26.
(*n*) *Delle febri malign. e contag. nuovo ſiſtema teorico prat. ec.*

quamplurimos in humano corpore genitos deliteſcere in inteſtinis, & viſceribus, malignitatis vero occaſione vermibus ipſis infenſæ eoſdem ſuffocari, interimi, dimoveri a latibulis, & foras per violentas validaſque irritationes pelli, & exturbari, ex alvo præſertim, ex quo longiſſimi, & teretes interdum vermes prodire mortui conſpiciuntur, niſi ea de re ſuſpicari velint, quam cum veram eſſe ratio evincit, cum multæ, ac frequentes tum certæ ac conſtantes obſervationes confirmant, velint nolint, priore relicta ſententia, in aliam ire coguntur. Unde nam enim tot feliciſſimas curationes ſolo hydrargyro; atque iis, quæ vermes enecandi vim habent aptius repetas, non diaphoreticis, non cardiacis, non alexipharmacis, quam ab inſigni vermium proventu peculiari ratione ſanguinis maſſam corrumpentium? Quæ cum dico facile conijcio non defuturos, quibus hæc philoſophandi ratio diſpliceat, atque Cl. Moreali præſertim, qui cum in ea ſit opinione, ut credat, vermes potiſſimum in febribus malignis, ac contagioſis ægrotare, ægrotantes prava, fętida, ac depravata excrementa eijcere, quæ ſanguinis maſſam ſubeundo, eamdem ea ratione afficiunt, qua opus eſt ad eaſdem excitandas, Mercurium non alia ratione opitulari exiſtimat, quam vermes curando. Idque experimentis ita confirmare ſibi in animum inducit, ut nullus ſupereſſe dubitandi locus ei videatur. Recte ne an ſecus non decerno, cum vim Mercurii vermibus infeſtam, ita alibi oſtenderim, ut ſi Moreali aſſentiar, tam a veritate diſſentire videar, quam ab ejuſdem ſententia diſſenſi. Fateor enimvero, cum primum mihi Auctoris opuſculum legendum occurrerit, hominem ſolum novo ſyſtemati conſtruendo intentum admiratum fuiſſe. Cum tamen ſedulo, & accurate pro ingenii modulo perpenderem ea, quæ ad practicam ipſius partem ſpectant, non theoricam, in qua ſane habet cur multis non placeat, atque cum epidemica quædam malignarum febrium conſtitutio vigeret, neque eamdem fere methodum, quam ipſe propoſuit, neque plane diverſam adhibuerim, pleroſque maligna febre laborantes feliciſſime curaſſe, cum e contra non pauci, qui tritis jam, ac vulgaribus medicamentis pertractabantur interierint. Quam eſſet optandum, ut vir præſtantiſſimus animadvertiſſet in malignis, contagioſis, ac peſtilentibus febribus aliquid certe peccare, quod noſtro corpori ſumme adverſatur, ſummamque ejus deſtruendi, ac labefactandi vim habet, ejus tamen naturam tam variam eſſe, ac multiplicem in epidemicis ejuſce generis febribus, ut non ſolum aut ſubtiliſſimum principium acidum, acre, volatile, cauſticum accuſandum ſit veneni ad inſtar ſanguinem corrumpens, aut minutiſſimorum animalculorum ſeminium; quod in ſanguinem, aut humores invectum in vivos, ac plane innumerabiles vermiculos explicetur, ſed id interdum, cujus indoles, ne a phænomenis quidem, atque effectis cognita hominibus eſſe poteſt, atque perſpecta, unde optime dictum a Veteribus invenenata, & occulta qualitate fundari.

V. *Produnt ſe malignæ febres horrore quodam miti calore intermixto &c.* Quid malignæ febris nomine intelligendum ſit, non omnes conveniunt. Crediderunt nonnulli hoc malignitatis nomine febres inſigniri, quæ everſionem minitantur. Inter hos Hippocrates, & Galenus recenſeri jure merentur, qui maligni nomen lethalibus, periculoſiſque morbis fere attribuerunt: Alii malignas febres eas vocant, quæ gravibus, lethalibuſque ſymptomatis ſtipantur, quæque plerunque irreparabilem necem ſolent inferre: Nonnullis malignæ dicuntur febres, in quibus maculæ, atque exanthemata in cute apparent. Verum non omnes mortiferas febres malignas eſſe appellandas, facit potiſſimum illarum animadverſio, quæ omnis malignitatis expertes ægrum, aut in ſummum vitæ diſcrimen adducunt, aut interimunt: neque omnes malignæ febres maculas ad cutem erumpentes adjunctas habent. Quapropter rem ſerius perpendentibus non aliæ febres malignarum nomine veniunt, quam quæ doloſe, ac fraudolenter adoriuntur, & ſæpe ægros,

&

& medicos in fraudem inducunt. Quemadmodum enim maligni dicuntur homines, qui paratis inſidiis aliud ore loquuntur aliud in corde recondunt, ita febres iſtæ homines adoriuntur leviſſimi morbi ſpeciem præſeferentes, præter expectationem tamen vires proſternendo atque ſymptomata longe graviora aſſumendo, quam quæ morbo levi ſpecie, & moderato convenire videntur, ægrum in ſupremum vitæ diſcrimen conijciunt. Neque aliter evenire cenſendum eſt, ſi malignarum febrium cauſas animo, & cogitatione percurramus. Corruptionem enim ſanguinis eſſe diximus a fermento, veneno ſi libet acido, aut acri, quod interdum ſummum gradum activitatis attingit, inductam, unde peſtilentes originem ducunt. Cum igitur malignæ febres a contagioſis, peſtilentibus, & ipſa peſte levitate potiſſimum differant, veritati conſentaneum videtur aſſerere, vel coagulandi, vel diſſolvendi vim habeat febrile venenatum fermentum, mitius in his operari, & corruptionem inchoatam tantum adeſſe, deinceps ſulphureas, igneas, volatileſque particulas varie exagitare, demum veram corruptionem, & a natura maxime alienam perficere. Hinc nil mirum febrilem acceſſionem horrore quodam miti calore intermixtam jnvadere, urinas a naturalibus parum diſcrepare, quoniam inchoata tantum corruptio non impedit, quominus ſeroſæ ſanguinis partes, ſalinæque ea proportione, ac doſi in renibus ſeparentur, quæ a naturali parum differat. Hinc mitis prima facie apparet maligna febris, verum cum malignum, ac deleterium fermentum ſpiritibus ſit maxime infeſtum, de magna febris pernicie admonet ingens, & ſubitus virium, & corporis, & pulſus languor ſine manifeſta cauſa, quæ cum benigna febre, & periculi experte componi nequit. Obrutis enim ſpiritibus animalibus, vel diſſipatis, vel irretitis, ceſſat liber eorum influxus in privatas cordis, & aliorum muſculorum fibras, unde flaceſcunt, & concidunt, cor propterea debilius pulſat, hinc pulſus languidus, cumque parum ſanguinis trudatur in cor, a corde in arterias, etiam parvus. Eadem de cauſa libero ſpirituum influxu deſtitutæ internæ ventriculi tunicæ debito tono, atque elatere deſtituuntur, earumque robur ad ſtomachi fermenti, ſuccorumque gaſtricorum impreſſiones ſuſcipiendas infringitur, unde appetitus proſtratio, & nauſea. In progreſſu non poteſt ſanguinis maſſa, vel ab acido, vel acri, volatilique veneno corrumpi, quin accelerato ſanguinis curſu, ſolidiſque partibus in crebriores contractiones adactis, igneæ, ſulphureæ, volatileſque particulæ a reliquarum nexu, ac vinculo expeditæ rarefiant, exaltentur, hinc febris intenditur, uruntur que a calore partes interiores magis, quam exteriores, quæ longe a corde diſſitæ ſunt, & in quibus propterea ob ſpirituum penuriam langueſcit ſanguinis motus. Quoniam vero, quæ fluida corrumpunt, ſolida etiam inſigniter lædunt ea ſtimulando, irritando, varie inordinateque concutiendo, ea re fit, ut perturbata ſanguinis circulatione pulſus inæqualis, & varius appareat, convulſis, atque ea ratione affectis tubulis renalibus, qua ſeroſæ ſolum parti tranſcolandæ pares ſint, urinæ tenues, & crudæ, relaxatis vero, ceſſante ſtimulo atque irritatione, ita ut craſſiores etiam ſeparari queant, craſſæ turbidæque. Quid quod varie, inordinateque concuſſis cerebri, meningum, & nervorum fibrillis, ſic ut inconcinno, & inordinato cieantur motu tetris imaginationibus tenetur Animal, & delirare cogitur, & convulſivis motibus exerceri, & vigilare, & ſi forte a ſanguinis fervore in vaſis meningum hærentis eadem plus æquo diſtendantur, aut inflammentur inſigni dolore capitis torqueri, & muſculorum rigiditate ſuperveniente, quæ naturalem eorum actionem impediat, immobile jacere? Exaltatis jam acribus ſalinis, bilioſiſque particulis, atque in univerſam ſanguinis maſſam diffuſis a pulmonibus, trachæa, & faucibus erumpentibus aſpera redditur, & ſicca lingua, varioque colore tingitur, quæ licet in hoc ſtatu maxime comparata ad ſenſum, ac ſitis paſſionem videatur, illius tamen papillæ, & nervi ita obrigeſcunt, exſiccan-

canturque, ut recipiendis ſitis impreſſionibus impares evadant; quod peſſimi ominis eſſe conſuevit, quia ut notat egregie Cl. Van-Suvieten (*o*) *Senſorium commune morbi vi oppreſſum non afficitur amplius, unde ſummum periculum imminet.* Quod apte quadrat cum doctrina Hippocratis aſſerentis: *ſitis præ rationem ſoluta in acutis malum* (*p*). Nerveis ventriculi, diaphragmatis, & thoracis fibris vellicatis, ac convulſis, præcordiorum anxietates excitari contingit, iis vero compreſſis, & reſpirationis organis vi illata, liberoque ſanguinis curſu per cor, & pulmones impedito, difficultatem reſpirationis, animi deliquia exoriri. Quod ſi forte ſpiritus irretiantur cohibeanturque a craſſi, viſcidi, lentique humoris copia, vi ægre mobiles, minuſque faciles ad influxus, & motus reddantur, mentis hebetudo, ſenſuum torpor, ad ſomnum proclivitas, gravitas auditus, viſus obſcuritas ſubſequentur.

Maculæ, puſtulæ, exanthemata varia. Febres malignas ab adjunctis ſymptomatis varia nomina ſortiri ſupra animadvertimus. Hinc ſi intenſus capitis dolor cum cardialgia obſervatur, febris caſtrenſis, ſeu morbus ungaricus appellatur, quæ quidem febris ſpecies in caſtris inter milites ex ſquallore Caſtrorum obſervari ſolet: Si corpus ægri minutis tuberculis inſtar millii aſperſum appareat febris maligna purpurata vocatur: Si tubercula nimia, & rubicunda dicuntur morbilli: Si maculæ in ſumma cute junctæ, & viribus maxime infeſtæ, variique coloris, peticulares morſibus pullicum ſimiles, a quibus tamen dignoſcuntur, dum compreſſæ non relinquunt veſtigium in medio rubicundum, quod a pullicum morſu, quorum aculeo cutis ipſa terebratur, & vulneris veſtigium velut in puncto quodam apparet, exoritur; ut mittam pullicum morſus admota farina lupinorum aceto ſubacta, vel oxymelite, ſtatim diſparere, ut Zacutus Luſitanus teſtatus eſt, qui & de culiculari febre loquutus eſt cum puſtulis totum corpus obſidentibus fere, ac ſi a culicibus eſſet demorſum cujus fere meminit Hippocrates (*q*) dicens: *Fiebant in febribus æſtivis circa ſeptimam, octavam, & nonam aſperitudines in cute milliaceæ culicum morſibus maxime ſimiles, non valde pruriginoſæ.* Quemadmodum vero in quotidiana febre continua, quam petechizantem vocant cujus meminimus ſuperiori capite, non adeo corruptivæ indolis ſunt, ſed mitioris teſtante Cl. Hoffmanno, (*r*) ita ſymptomatis quoque non tam atrocibus ſtipatur, ordinateque magis morbus decurrit. In maligna vero febre iis apparentibus perſpectior fit natura veneni ſanguinem, & humores magis accendentis, corrumpentiſque, unde corruptæ, impuræ, ætherogeneæ partes ſub forma macularum per tubuloſam, & fibroſam cutis ſubſtantiam propelluntur.

VI. *Si hæc quidem modo plura, modo pauciora ei febri ineſſe cernantur, cujus facilis communicabilitas eſt, &c.* Mirabile prorſus eſt halitum inconſpicuum ex corporibus febre maligna laborantibus exhalantem, tam prompte ſanorum corpora pervadere, ut unius ægrotantis morbus quam plurimos adoriatur, ac de domo, in domum, de Urbe in Urbem vagando ex privato publicus fiat, & popularis. In hoc potiſſimum contagii vis ſita eſt, unde contagioſæ febres originem ducunt. Quid quod veſtimentis, indumentis præſertim laneis, & villoſis, aliiſque rebus obviis ſic adhæreſcat, ut in varias Mundi regiones allatum latens per plures interdum annos, calore demum corporis, aeriſque ambientis, aut alia ratione attenuatum, commotumque tyrannidem ſuam, tamquam recens emiſſum exerceat? Quæ ſane omnia, ſi diligenter ad trutinam, ut ajunt, revocentur, ſummam illius tenuitatem non ſolum evincunt, qua in minimas diviſus particulas, explicatuſ-

(*o*) *Com. in aph. Boer.* 637.
(*p*) 3. *epid. ægrot.* 2.
(*q*) 2. *epid. ſect.* 3.
(*r*) *M. S. t.* 4. *p.* 1. *cap.* 10.

que, atque ad avolandum promptiſſimus quaquaverſum diffunditur, aeremque ægros proxime circumambientem inficiendo, quam citiſſime per reſpirationis viam, aut minutiſſimos cutis poros ſanorum corporibus communicatur, conſuetudinem præſertim, & commercium proximum cum infectis habentibus, ſed ejus quoque tenacitatis ob aliorum corporum humidiorum, quæ ab ore expirant, vel ex minimis cutis poris, admixtionem, ut facillime adhæreſcat pannis, & veſtibus quibuſcumque, circumferatur, mitiorem, aut ſæviorem necem allaturus, prout ab humidis præſertim particulis, ejus vis, atque energia magis, aut minus infringetur.

VII. *Si longe, lateque diſperſa plerorumque ſtragem, interitum, ac necem faciat, peſtilentem &c.* Peſtilens ipſa febris proprias affectiones adiunctas non habet, quibus a malignis, & contagioſis diſtinguatur, ſi nonnullas graviores excipias. Habet enim omnes quibus cæteræ ſtipantur: hoc tamen diſcrimine, quod non omnes malignæ contagioſæ ſunt; contagioſæ autem a peſtilentibus differunt ratione potiſſimum contagii, quod in illis mitius eſt, in his vero truculentum adeo, ut longe lateque diſperſum pleroſque eorum quos corripit interimat, atque necet. Hoc ipſum multo truculentius præſtat peſtis, cujus ſemina per atmoſphæram diſperſa aerem fędant, & mortifero quaſi veneno inficiunt, unde homines cum perfectæ valetudinis notis eadem correpti, quaſi fulmine icti in terram concidunt, atque emoriuntur: quę ſane omnia ſummam ſubtilitatem, volatilitatem, acrimoniam arguunt peſtilentis principii, quod a corporibus infectis perſpirans contagium parit, atque ſanorum corporibus communicatur. Quo loco fateor me juſtis laudibus æquare non valere inviċtiſſimum animum celebris Medici Vienneſis D. Alpruni, qui ſecto bubone peſtilentiali, putrique, ac venefica materia collecta, ejus analyſim periculoſiſſimo experimento inſtituere non dubitavit. Cum enim Retortæ indidiſſet, adhibitis ignis gradibus reſolvit primum in aquam deinde in oleoſam, & pinguem ſubſtantiam a ſulphure non abſimilem, in ſalem demum volatilem, qui ad Retortæ collum aſcenderat. Mirum refrigeratis vitris, disjunctiſque gravem adeo, atque intolerabilem erupiſſe fętorem, ut eximius vir licet provido conſilio ad experimentum paratus improviſo tamen, quaſi fulmine percuſſus ſummo corporis tremore correptus fuerit. Ecquis crederet indicibilis fętoris ſalem e Retorta advectum linguæ ſuæ imponere minus pertimuiſſe, ac tantam ejus acrimoniam deprehendiſſe, perinde ac ſi aquam ſtygiam guſtaſſet. Quamvis reſolutioni arte chymica factæ parum fidendum ſit, ac ſuſpicari merito liceat nonnulla ex iis, quæ per ipſam ex venefica bubonis materia educta ſunt revera generata fuiſſe ab igne, nec antea in mixto ſaltem ſub ea forma, ſub qua prodierunt extitiſſe, cum etiam e ſanguine naturaliter conſtituto per analyſim chymicam ea eliciantur, quæ in mixto inhærere nulla ratione poſſe videntur, ut inſipidum phlegma, ſal volatilis, ſpiritus urinoſus volatilis, oleum dilute rubeſcens, aliud craſſius, & ad nigredinem vergens, aliaque id genus, attamen illud inficiari nulla ratione poſſe videtur, virulentam peſtilentis principii acrimoniam, atque volatilitatem præclariſſime patefieri, quod ubi in uno corpore ſedem fixerit quam citiſſime ad alia tum vicina, tum remota inficienda proficiſcitur, atque ex particulari morbo multiplex, ac popularis efficitur.

VIII. *Quam quidem portendunt venti ab ea regione, ubi dominatur flantes, caligines inſolitæ &c.* Cum nonnulli in ea eſſent opinione, ut crederent malignos ſyderum influxus ita aerem immutare poſſe, ut variis modis corpora viventium afficiant, idque non ſolum caliditatis, & humiditatis, aliarumque primarum qualitatum exceſſu, ſed etiam occulto modo, motu ſcilicet, lumine, & influentia, ut ajunt Aſtronomi: motu quidem & lumine hæc inferiora alterando ſecundum primas qualitates, & præcipue calorem, influentia vero latentes etiam & occultas qualitates inducendo, pervidenteſque peſtilentes conſtitutiones nulla facta in

aere,

aere, quoad primas qualitates mutatione, ſed puriore aere exiſtente graſſari, ad malignum quemdam Syderum influxum eaſdem revocarunt; atque opinionem ſuam confirmarunt auctoritate ipſius Hippocratis, qui ſuum illud, quod divinum in morbis appellat, in aere quidem eſſe cum Galeno interpretantur, ſed a Cęlo, & minus manifeſtis cauſis producitur; quod egregie convenire ajunt cum iis, quæ alibi tradidit (*s*) inquiens: *morbum, & tempus ſibi invicem correſpondere, niſi quid in ſuperiori natura innotuerit.* Atque hi quidem a coitu planetarum ſuperiorum, Saturni, Jovis, & Martis in ſignis humanis, qualia ſunt Virgo, Gemini, ac tum potiſſimum cum Mars dominatur, a Luminarium defectu, & Eclypſibus, ab inſolitis Meteoris, & præſertim Comætis, certum capi poſſe argumentum exiſtimant de peſtilentium morborum futura invaſione variiſque in Mundo mutationibus, unde illud Claudiani:

In Cęlo nunquam ſpectatum impune Comæten.

Verum hodie in tanta Philoſophiæ claritate ejuſcemodi præſagia, utpote vel nimis a ſenſu remota, vel inanibus conjecturis ſuperſtructa nihili, floccique faciunt Medici, quibus non deſunt alia magis ſenſibus obvia, ex quibus tutiora præbeantur prædicendi argumenta: eaque potiſſimum ex aere primum deſumuntur. Quamvis obſcuriſſima ſit prima peſtilentis febris origo, quidquid Sylvius De le Boe opinetur, volatile acerrimumque principium ſublimari in calidiſſimis Mundi partibus, inde a ventis præſertim auſtralibus diffundi, & circumferri? conſtat tamen luculentiſſime, ubi in una regione ſedem fixerit facillime ad alias, vel remotiſſimas progredi, ventorum præſertim vi veneficum principium in aerem diffuſum ſecum advehentium: ubi igitur venti ab ea præſertim regione, ubi peſtis dominatur perflaverint, de peſte ſuſpicari jure merito licet. Eadem ſuſpicio cadit, ſi inſolitæ quædam caligines appareant poſt terræ motus. Indomitis enim, & exoticis exhalationibus tribuitur a nonnullis peſtifera lues, quæ ex terræ hiatibus, interdum poſt terræ motus inſignes in aerem elevantur, & a ventis in varias regiones tranſvehuntur. Si quæcumque in aere aperto poſita, ut obſonia, veſtimenta, & alia ejuſmodi putreſcant, & corrumpantur, piſces mortui conſpiciantur, plantæ marceſcant, ſi animalia citra manifeſtam cauſam intereant, quemadmodum teſtatus eſt Cl. Diemerbroekius in peſte Noviomagenſe, de aviculis, quæ caveis incluſæ cum morerentur, paucis poſt diebus peſtis oborta eſt, qua ejuſmodi locorum homines enecabantur. Exitialiſſimum morbum intelligere videntur Animalculorum copia e ſuis latebris in terram, & aerem egredientium, Locuſtarum præſertim confluxus, quemadmodum accidiſſe narrat Cl. Fracaſtorius in peſtilentia Italica, quæ inſignem earum numerum Ferrarienſem, Mantuanum, Veronenſem, ac Brixienſem agrum invadentium ſubſequuta eſt. Quod florente ipſo Divo Hyeronimo adnotatum fuit, ut ſcriptum reliquit in Joele Propheta: *Tempore Theodoſii Imperatoris maximam Locuſtarum copiam in Judæa horrendam peſtem præſagiſſe*: Et Divus Auguſtinus de Civitate Dei: *Poſt immenſam Locuſtarum copiam, tantam peſtem inſecutam fuiſſe, qua in ſolo Regno Maſſaniſſæ octies centum millia perierunt hominum, & prope Cartaginem bis centum millia, & Uticæ ex triginta millibus juniorum Militum, qui ibi erant decem millia remanſerunt*, ut Agricolam ſilentio prætereeam, qui in Gallia Ciſalpina idem eveniſſe refert, atque Hildanum, qui narrat in peſte Lauſannenſi an. 1613. *tantam ubique fuiſſe muſcarum copiam, ut poſt hominum memoriam vix ſimilis viſa fuerit.* Cum dyſenteriæ, pleuritides, aliique epidemici morbi graſſantur ſola Dei Bonitas, & in humanum genus clementia facit, ne exitialiſſimus morbus, ab hoc ſæpe fonte emanans longe, lateque diſperſus quamplurimas regiones infeſtet, atque pleroſque, quos corripit interimat, atque necet.

(*s*) 2. *epidem.*

IX. *Hiſce ſi bubones accedant*, *anthraces*, *carbunculi* , *maculæ &c.* Quod certo certius eveniſſe cenſendum eſt cum ea ſymptomata ægrotantes adoriri deprehendantur, quæ non ad aliam cauſam referri aptius poſſe videntur, quam ad ſubtiliſſimum volatile, acerrimumque principium, ſanguinis & humorum maſſam teterrime corrumpens , eoſdem videlicet in ſua elementa ſalina, terrea diluendo , reſſolvendoque , unde bubones , anthraceſque, aliaque ejuſmodi adjuncta proficiſcuntur. Quæ enim tenujora ſunt , & ad motum magis prona fuſa , & ſoluta manere perſpicuum eſt, craſſiora vero, terreſtria, & inertia coire, & in maſſulas majores coaleſcere, & ſimul cum veneni particulis in externo corporis ambitu hærere, glanduloſa loca frequentius inguinales, & axillares, quandoque etiam parotides , & mammarias glandulas , maxillares item inferiores ſub mento , nec non aſperæ arteriæ appoſitas occupare , eaſque laxando in tumorem elevare , atque urentioris ſalis , ac ſulphuris actione inflammare , cujus vis ſi ab humidioribus particulis retundatur boni moris erit, mollior fiet , & ſuppurabitur : iſque primum a Grecis communi omnium tumorum nomine Cubo vocatur , ad differentiam alterius longe deterioris græco nomine anthrax dicti, propria ſignificatione carbonem ignitum deſignantis , unde latinis carbunculus : qui tumor igneus eſt, ſuppurationis incapax, omnes corporis partes obſidens, membranas præſertim muſculorum, & ſubſtantiam cutis nervoſam , ac fibroſam in dorſo potiſſimum , ac brachiis , ac femoribus cum circumpoſitis puſtulis ardentiſſimi doloris carnem in ambitu comburens, & ulcus inducens ſimile ulceris , quod eſcharotico inuſto excitatur. Cum enim carbunculo materiam præbeant craſſiores, terreſtres, & inertes partes ab humidiorum ſeroſarumque vinculo expeditæ , ac major volatilis , acerrimique principii copia, in pus abire non poteſt , ſed æſcharotici inſtar carnem exedit , ut Celſus (*t*), & Mindererus , qui peſti interfuit , & de ea perbelle ſcripſit, teſtati ſunt. Ab hoc eodem fonte repetendæ ſunt puſtulæ, petechiæ, cum ab extremis arteriarum oſculis in cute effluant nonnullæ terreſtres, & inertes particulæ in maſſulas majores coaleſcentes, eæque inter cuticulam, & cutim congeſtæ rarefiant, & turgeant parvos puſtularum tumores producentes. Quod ſi terreſtres eædem , inertes , craſſioreſque particulæ in majores maſſulas a reliquarum nexu ſejunctæ in modica quantitate ad ſuperficiem cutis ſuſiſtant , vel ejus naturæ, ut abſque rarefactione, & turgeſcentia ab eiſdem ſubito abſcedant , & avolent, tenujores, ſeroſæque partes unde tumor effici nequeat , maculæ exorientur: Quæ quamvis conjuncta cum graviſſimis ſymptomatis plurimos invadentibus, perimentibuſque præſentem peſtilentiam oſtendant, quæ ſola tyrannidem ſuam , exercet , cæteris omnibus morbis quieſcentibus, qui omnes abeunt in naturam peſtis, animadvertendum tamen eſt, aliquos peſte corripi ſine ullis bubonibus, carbunculis , aut maculis , & interdum a peſte ægros interimi , quæ ſolum poſt mortem ſui præbet inditia, dum Cadaverum cutis diverſicoloris maculis fędatur, corruptionis ſanguinis argumentum prope certiſſimum, quemadmodum iis accidere deprehendimus, qui potentiore aliquo veneno enecantur.

X. *Coagulationem quidem oſtendunt ſoporoſi effectus*, *lethargici* , *dolor capitis gravativus &c.* Medici eſt non ſolum malignæ febris ideam ſibi efformare, ſed ejus cauſas apte dignoſcere, & num maligna ſit febris ex coagulatione , vel diſſolutione, vel ex coagulatione , & diſſolutione ſimul conſtituere. Inter cęteras vero affectiones, quæ peculiarem cauſarum naturam oſtendunt ſenſus, & motus alteratio , externæ eruptiones, ſecretioneſque quæcumque depravatæ , & præternaturales eminent. Cum enim fluida per coagulationem corrumpuntur, tenujores plerunque partes arcte craſſioribus unitæ, & ad motum ineptis in majores maſſas concreſcunt, vel illorum maſſulæ aliorum corporum admixtione nectuntur, co-

(*t*) *Lib.* 5. *cap.* 28.

coguntur que. Alterutrum vero, aut utrumque contingat, perſpicuum eſt ad fluendum ſanguinem minus idoneum evadere, craſſum, viſcidum, & lentum ea ratione, qua aut in cerebro, ejuſque membranis hærens, ac ſubſiſtens, ſpirituumque animalium liberum influxum impediens, aut nerveas earum fibras plus æquo diſtendens ſoporoſis affectibus, gravativo capitis dolori, corporis ſegnitiei, atque fere immobilitati occaſionem præbeat. Tenues vero, ſeroſæque partes reliquis unitæ, & in maſſulas majores concreſcentes, qua ratione, aut modo fieri poſſe dicamus, ut excretoriis organis aptari poſſint, atque extra corporis confinia educi? En ſuppreſſas cujuſvis generis excretiones, aut ſolum tenujoribus ſeri partibus per renes elabentibus urinas aqueas: Ab inertia, ſegnitie, lentoreque humorum ſtagnationes facile contingunt in diverſis corporis partibus, unde maculæ, petechiæ, tumores ortum traducunt. Quod æque dici non poteſt, ſi fluida per diſſolutionem corrumpantur. Vel enim eorum maſſulæ ſeroſæ, fibroſæ, rubrę a ſe invicem ſegregentur, vel in ſua elementa ſalino-ſulphurea terrea diluantur, certum eſt acres, ac fere cauſticas particulas potiſſimam partem agere, non ſolum nerveas meningum fibras mordendo, pungendo, ſpiritus animales concitando, cæcoque furore, atque impetu hac illac ciendo, unde vigiliæ intenſiſſimæ, dolores acuti, deliria, convulſiones proficiſcuntur, ſed ſanguinis ipſius texturam ſolvendo, ac colliquando, unde humores fuſi non ſolum ad renes uberius confluunt, & qui cum eorum glandulis congruunt ab iiſdem acris, ac corrodentis principii particulis irritatis copioſe in veſiccam per ureteres effunduntur, ſed ex extremis vaſorum orificiis facile elabuntur, aut ad inteſtina confluunt, & glanduloſos eorum folliculos, aut ad biliarium, & pancreaticum ductum, unde illorum periſtaltico motu inverſo, aut plus æquo ſollicitato ad humores ſuos uberius effundendos, urinæ turbidę, oleoſæ, ſtillæ ſanguinis e naribus, vomitus diarrhęæ, dyſenteriæ, aliaque ejuſmodi funeſta ſymptomata ortum traducunt. Si puſtulas, peticulas, bubones, parotides una cum paulo ante indicatis diſſolutionis argumentis deprehendas, quid aliud conjicere liceat, quam coactas fibroſas ſanguinis partes ſeroſas vero nimis fuſas, & ſolutas, quemadmodum lacti contingit ab acidis corrupto, vel quod in peſtilentibus frequentius contingit, ſanguinis maſſulas diſſolutas in ſua elementa, quæ tenujora ſunt, & ad motum magis prona fuſa, & ſoluta craſſiora vero, & terreſtria, & inertia coeuntia, & in majores maſſulas coaleſcentia, ſeu quod eodem recidit corruptionem ſanguinis per coagulationem, & diſſolutionem ſimul?

XI. *Si febre maligna laborantem alterna ciborum inappetentia &c.* Vid. lib. 3. ap. 6 com. 5.

XII. *Incertus ſemper eſt malignarum febrium exitus, ſi vires tamen perſiſtant &c* Febris maligna de genere acutorum eſt, adeoque juxta mentem Hippocratis incertæ ſunt prædictionis ſalutis, aut mortis; hinc neque ſalutaribus ſignis multum fidendum eſt, neque ex adverſo ob peſſima ſymptomata deſperandum. Vires in primis ægri ſunt perpendendæ, quæ ſi perſiſtant devictum iri febrem ſperandum eſt. Maculæ etiam ſunt examinandæ, quibus corpus fædatur. Duplicis enim naturæ, atque indolis eſſe conſueverunt: Aliæ quidem quotidianæ febri ſuccedunt mali moris factæ, quæ catarrhalis dicitur, ſive petichizans: cujus formalis ratio ſi Hoffmannum audimus, *conſiſtit maxime in partium ſanguinis, vel ſeri diſſolutione, mediante motu febrili, cujus beneficio impuræ, curruptæ, heterogeneæ partes, ſi robur adhuc ineſt naturæ, nec adeo corrupta ſolidorum, & fluidorum diſpoſitio evolvuntur, earumque ſubtilior ſeroſa pars per largum ſudorem, craſſior, & mucida per nares, fauces, & bronchia, bilioſa mucida per alvi ſeceſſum, & putrida ſalino ſulphurea ſub forma macularum per tubuloſam, & fibroſam cutis ſubſtantiam poſtea ſalutariter propellitur*: Ut autem ſalutariter propellatur non pauca requiruntur.

tur. Primum ut bonæ indolis ſint, deinceps ut opportuno tempore erumpant, & retrocedant, deinde laudabiles effectus edant. Quæ purpureæ, rubicundæ, & roſeæ ſunt a miti humorum diſſolutione proficiſcuntur, non inſigni corruptione, cujus eſt tetrum, lividumque iiſdem conciliare: quæ circa primum ſeptenarium apparent, diebus apparent criticis, & naturæ maxime convenientibus ad noxios, pravoſque ſuccos extra corporis confinia eliminandos, cujuſce rei argumentum prope certiſſimum præbet brevis earum retroceſſio cum ſymptomatum levamine, & coctionis ſignis. Cum nihil tale, immo contrarium omnino contingat, an ſpes ſalutis aliqua affulgeat, viderint alii. Nempe ægrotantium languor, animi defectio, convulſio, aliaque pernicioſa ſymptomata, petechiæ, minutæ, lividæ, nigreſcentes corruptionem ſanguinis & humorum arguunt, qua plerique eorum qui maligna febre tenentur ſphaceloſa corruptione in ventriculo, aliiſque viſceribus, frequentiſſime vero anginoſa faucium, & æſophagi inflammatione cadaveribus mox poſt mortem fædiſſimum odorem ſpirantibus, occumbunt. Cujuſce infelicis eventus præſagia plerunque eſſe ſolent ex Juncheri obſervatione aphthæ malignæ febri accedentes, quæ paucis horis ad æſophagum, & ventriculum diffunduntur, ad quas facile acris, ac cauſtica materies facile perfluit, atque ſubſiſtit, phlogoſes præcipue ad pharyngem inducens, quæ niſi placide abſtergantur, & diſſipentur in exulcerationes abeunt, in ſphaceloſam putredinem promptiſſime ruentes.

XIII. *Contagioſarum, & peſtilentium incertior adhuc eventus. Si tamen declinante morbo vires &c.* Donec manifeſta ſalutis, aut mortis ſigna appareant in contagioſis, ac peſtilentibus febribus nihil temere pronuntiandum eſt. In principio enim, augmento, & aliqua ſtatus parte obſcura, & ambigua ſunt. Circa vigoris finem, & declinationem manifeſta potius redduntur, ideoque tunc temporis ſedulo, & accurate perpendenda ſunt illa præ cæteris, quæ imbecillitatem, aut robur tum ægrotantis, tum febris, ejuſque ſymptomata produnt. Si vires conſiſtant, febris miteſcat, blandus alvi fluxus ſuperveniat, quo acres, ac cauſticæ particulæ ſanguinis maſſam corrumpentes critice extra corporis confinia educantur, boni ominis inditia eſſe conſueverunt, ut alibi a nobis præeunte Galeno, & Gherardo Columba demonſtratum eſt (*x*), qui præ cæteris alvini fluxus effectus juſtis laudibus efferre conatus eſt, inquiens (*z*). *Omnes quibus alvus copioſe ejecit, licet cum ſignis cruditatis fuerit, tandem liberati*. Procedente enim alvi fluore, in dies coctionis ſigna ſuperveniebant, morbus evadebat clementior, & tandem alvi fluore perſeverante fideliter, & integre ægri judicabantur. Ut Valleriolam ſilentio prætercam, Schekium, Rodium, Bonettum, alioſque eximios Scriptores a Cl. Hoffmanno citatos (*a*) ad ſententiam, quam plane eamdem ſuſtinet, confirmandam.

XIV. *Incertiſſimus peſtis. Si tamen bubones plures protuberantes in parte idoneæ ſuppurentur &c.* Acutiſſimus morbus peſtis eſt, & inſidioſus, propterea & fallax, quam qui maxime eſſe poteſt. Summam ejus acutiem oſtendit, nex & interitus, quem unica interdum die, nunc tridui, quatridui, vel quinque, aut ſeptem dierum ſpatio hominibus infert, quos ſi evaſerint, ſani plerunque redduntur. Raro enim decimam quartam excedit. Inſidias vero, ac fallaciam aperit invadendi modus, & operandi. Blandus enim apparet, eoſque interficit, quibus ſpei ſalutis argumenta non deſunt, truculentus interdum, & ferox adſpectu iis parcit, quos certo morituros credas. Signa tamen ſi non vera (quænam autem ejuſcemodi?) ea ſaltem quæ veroſimilitudinis ſpeciem quamdam præſeferunt, deſumi ſolent ex tumoribus protuberantibus, qui quo plures, & citius ſuppurantur in

(*x*) *Lib.* 3. *com.* 7. (*z*) *De peſtil. febr.*
(*a*) *De feb. cap.* 11. *ſect.* 4.

in parte longe a corde diſſita cum ſymptomatum levamine, boni ominis eſſe conſueverunt. Indicant enim naturæ robur contra morbum pugnantis, ac venenatam materiam ab imis partibus ad ſuperficiem corporis propellentis, quam in tumoribus potiſſimum contineri, atque excerni, vel ex eo maxime apparet, ut notat Hoffmannus (*b*), quod ſi Chirurgus lancetta, qua aperti ſunt, venam ſani hominis incidat, is illico etiam peſte corripiatur. E contra obſervatum eſt, quo plures ſunt carbunculi eo eſſe periculoſiores, præſertim cum deliteſcentes, vel ad interiores partes recurrentes cordi vicinas, vel guttur occupantes, ut teſtatur Riverius. Cum enim bonæ, ac laudabilis ſuppurationis capaces non ſint in gangrænam plerunque abeunt, & totalis partis ſphacelationem quamcitiſſime interimentem, qua fit, ut cadavera illico mire fæteant, intumeſcant, & citiſſime putreſcant.

XV. *Venæ ſectio in ejuſmodi morbis non niſi in ſumma humorum plenitudine, venarum turgentia &c.* Curatio ejuſmodi morborum, hiſce fere indicationibus nititur, ut venenata, ac deleteria materies corrigatur, ac diſſipetur, ut latentium inflammationum conatus, & impetus evertantur, humorum peccantium ſecretiones promoveantur, vires, quibus venenum adeo infenſum eſt, confortentur, ac graviora ſymptomata ſedentur. Ad haſce indicationes explendas lis occurrit longe maxima in fonte Chirurgico, utrum inſtituenda ſit venę ſectio. Nonnulli enim ejus uſum laudant. Atque hi fere ſunt Celſus (*c*) in primis, qui de peſtilente, & contagioſa febre verba faciens. *Deſiderat*, inquit, *propriam animadverſionem in febribus peſtilentialibus caſus. In hac minime utile eſt fame, aut medicamentis uti, aut alvum ducere: Si vero vires ſinant, ſanguinem mittere optimum, præcipue ſi cum dolore febris eſt.* Id ipſum ſenſit Riverius, qui in peſtilentiali parotide, quæ plures necavit, moderata venæ ſectione plures ſervaſſe teſtatus eſt. Ab his etiam Bottalus, qui phlebotomiam maxime proficuam, & ſalutarem in quibuſque malignis febribus, quin etiam in ipſa peſte ſe expertum fatetur. Tandem Sydenhamius, qui præ cæteris etiam largiſſimam in ipſo peſtilentis febris initio, nullo timoris inditio adhuc apparente commendat, & ſi largiſſime adminiſtrare non liceat, ab eadem abſtinendum eſſe ſuadet. Si quando enim error contingit, ex eo eſſe quod vel juſto parcius, vel tardius inſtituitur. Alii e contra verentes, ne vires collabentes jam magis atterantur, morbique terrore perculſi ægri magis exanimentur, ne diaphoreſis, ſudoriſque viæ præcludantur, citiuſque nex, atque interitus afferatur eandem repudiant. Inter hos Cl. viri Paulus Barbette, & Diemerbroekius eminent. Quid in re ardua ipſe ſentiam, paucis exponam. Si adſit plethora inſignis, & turgeant venæ cum proximæ futuræ inflammationis notis, minus peccari in moderata venæ ſectione, quam in tarda, aut nulla facile judicaverim. Si e contra vires deficiant, puſtulæ, tumores, aliaque exanthemata erumpant, ab eadem eſſe prorſus abſtinendum, cum celebrata ſanguinis miſſione concidentes vires, aut prohibeant, ne morbus facile ad criſim veniat, per ambitum corporis aut ægrum atroci, ferocique malo ferendo imparem reddant: qua re potiſſimum factum eſt, ut Wiliſius media via quaſi incedens venæ ſectionem præſervationis tantum gratia commendaret, rarius curationis, inqua cucurbitulas ſcharificatas tutiores eſſe affirmavit.

XVI. *Lenientia quoque medicamenta, & clyſteres ſunt adhibendi, ubi putris peccat cachochylia &c.* Obſervatio Clar. virorum, quorum ſupra meminimus (*d*), qua conſtat alvi fluxum frequentem, & copioſum etiam cum cruditatis ſignis ejuſcemodi morbis ſupervenientem ſalutarem eſſe, nolim vim animis addat ad purgantia, aut emetica medicamenta inter initia, aut morbi progreſſu præſcribenda.

Ea

(*b*) *Ibid. ſect.* 7. (*c*) *Lib.* 3. *cap.* 4.
(*d*) *Com.* 13.

Ea jam excipio, quæ valde acribus, irritantibus, ac fere cauſticis particulis ſunt prædita, ceu quæ violentas Stomachi, & inteſtinorum, ac viſcerum ſubverſiones excitando ægrum quocumque morbo laborantem in ſummum diſcrimen conjiciunt, quæque e Medicina eſſe explodenda toties inculcavimus. Quid quod ne ipſa quoque lenientia non ſine delectu ſunt adhibenda? Diuturna nempe obſervatione, atque experientia compertum eſt in malignis, & contagioſis conſtitutionibus alvum adſtrictam eſſe minus periculoſam, & gravem, quam ſolutam, niſi forte a natura excitetur venenatæ materiæ excretionem moliente, qui caſus cum raro inter initia præſertim obſerventur, pro norma cæterorum omnium ſumi non debent, atque imprudentium audaciam, ſeu mavis temeritatem fovere, arte volentium ante criticos dies, quod natura ſolum præſtare valet, ea quæ concocta ſunt, atque ad excretionem idonea opportune, & tempeſtive propellens. Cujuſce rei defenſionem nolim credas ita me ſuſcipere, ut negem aperte ante criticos dies eſſe alvum movendam ad exemplum naturæ critice operantis. Haud enim ignoro quid mihi objicere valeant, qui Tournefortii obſervationibus probe inſtructi didicere, in conſtitutione quadam in Gallia vigente omnes, qui a Medicis pertractabantur concoctionem materiæ febrilis expectantibus, periiſſe, pleroſque eorum, quibus emetica aliaque evacuantia propinabantur cruda educta materia convaluiſſe, ſed ut intelligerent minus periti in purgantium uſſu frænos eſſe adhibendos, & ſolum locum habere, ubi adſit putris cachochylia primas vias infeſtans, nauſeam, ac rugitus Abdominis procreans, quam providi eſt conſilii educere, ne ſanguinem ingreſſa materiem fermento maligno præbeat convenientiſſimam. Educere autem expedit per ea, quæ blande, ac placide alvum ſubducunt, cujuſmodi ſunt Serum lactis tamarindatum, Caſſia, tamarindorum pulpa, aliaque id genus, quæ feliciſſimo cum ſucceſſu adhibuiſſe in pluſquam viginti ægrotantibus teſtatus eſt Cl. Moræus (*e*). Quod ſi ad vomendum proclivitas adſit, quid penna oleo illita in fauces immiſſa lenius, atque ad pravos corruptoſque ſuccos, venenum ſi libet breviſſima, qua ſubit via educendum, exturbandumque opportunius? Teſtis eſt Riverius narrans de quodam, qui ſimul ac ex dolore capitis, nauſea, aliiſque ſymptomatibus peſte ſe laborare conjecit, illico penna oleo illita in fauces immiſſa, atque educta per vomitum materia primum ſeroſa, dein flava, tandem porracea in lectum ſe contulit, juſculum ſumpſit, ſudavit, & ſanatus eſt. Illico, inquam. Quamcitiſſime enim id fieri oportere, & ſimul ac quis ſe infectum languorem cum cardialgia ſentit, pluribus in locis tradidit præcl. Hoffmannus. (*f*)

XVII. *Ubi coagulationis, lentoriſque inditia habeantur alterantia primis diebus exhibeantur ex decoct. fol. Car. S. &c.* Jam ad ea remedia ventum eſt, inter quæ utrum dari poſſit catholicum unum, & univerſale, quod omnibus ſpeciebus corruptionis fluidorum oppoſita vi, & natura medeatur, non levis controverſia eſt inter Medicos. Miſſa jam Theriaca Andromachi, atque Medicamentis catholicis Chymicorum, panaceis, auro potabili, & lapide Philoſophorum, qui univerſale remedium dari nulla ratione poſſe ſuſtineat, decretum meo quidem judicio proponet non admodum diſtans a veritate. Cum enim venena, quæ ſanguinis maſſam corrumpunt alia acida ſint, alia acria ad ſummum interdum energiæ gradum perducta, ac propterea oppoſitam vim, ac naturam habeant ipſum ſanguinem, humoreſque nunc coagulando, nunc diſſolvendo, nunc coagulando ſimul, & diſſolvendo, conſequens inde eſſe, ut unum venenum alteri antidotum ſit, perſpicuum eſt. Quapropter ſi catholicum, & univerſale medicamentum exiſteret, quod omnibus venenis natura, & vi adverſaretur id ipſum ſibimet ipſi natura,

(*e*) *De mal. febr. parox.*
(*f*) *De feb. cap.* 10. 11. & 12.

tura, & vi contrarium eſſe debere manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Quid quod ne ipſa quidem tantopere decantata diuretica, diaphoretica, (ut taceam cathartica, atque emetica, quorum meminimus) quæ venenum e corpore abjicere communiter reputantur, aut cucurbitulæ, hirudines, veſicantia, frictiones, quibus ipſum attrahendi virtus tribuitur, aut lactea, farinoſa, gelatinoſa, pinguia, quibus irretiendi, & obtundendi vis ineſſe creditur, aut cardiaca, quibus vires ea ratione recreantur, qua opus eſt ad omne id quod noxium eſt, & naturæ inimicum ejiciendum non ſine delectu, cauſarumque ſanguinis maſſam corrumpentium præcognitione adhiberi tuto poſſint? Quis enim prudens Medicus figentia, adſtringentia, acida, aliaque ſimili virtute prædita remedia præſcribat, ubi coagulatio humorum peccet, ab acido, ac figente corpore inducta? Quis lactea, farinoſa, mucilaginoſa, oleoſa, pinguia, atque laxantia in humorum ſegnitie, ac tarditate, fibrarum atonia, ac laxitate? E contra Medici dignitate cadat, qui ſale volatili acri, oleoſo fæta, ubi diſſolutio adſit humorum ab acri, ac colliquante principio genita: Medici nomen denegetur ei, qui veſicantia, frictiones dolorificas, aliaque ſtimulantia medicamenta ſuadeat iis, quorum fluida citato nimis acceleratoque curſu moventur, quorum ſolidæ partes in violentas, & non ordinatas contractiones adactæ ſunt. Quare miſſis etiam generalibus medicamentis in malignis, ac peſtilentibus febribus ſpecialia tantum adhibenda traderem, eaque quæ aut coagulationi humorum, aut diſſolutioni, aut utrique medentur. Ubi igitur coagulationis inditia ſe prodant, ea uſurpari tuto poſſe videntur inter initia, quæ ſalibus cum fixis, tum alchalicis referta craſſiores ſanguinis partes reſolvendo, ſanguinis maſſam rarefaciendo, ejuſque curſum concitando, heterogenea quæque, omneſque impuritates e ſanguine educere valent, atque febrem ab hoc potiſſimum fonte prodeuntem profligare. Ejuſmodi ſunt Card. S. Meliſſa, radix Scorzoneræ, & ſimilia, ex quibus decoctiones parantur, quæ tepidæ ſæpius aſſumptæ, & copioſæ ad prædicta obeunda munera opportuniſſima exiſtunt, eoque magis ſi iis addantur, quæ ſi primario non agunt in ſanguinem ejus motum accelerando, tenuitatem, fluiditatemque eidem conciliando, ejus curſum per exiliſſimos quoſque corporis meatus promovendo, a quo partium robur, atque elaterium, quod in hiſce morbis ob ſpirituum jacturam ſumme langueſcens eſt proficiſcitur, ea tamen ſunt, ut ſanguinem certe ad diaphoreſim diſponant ſenſim acorem, quo ſucci præſertim primarum viarum imbibuntur, corrigendo, a quo potiſſimum ipſius coagulatio dependet: Sunt hæc fere Cor. Cer. uſt. antimon. diaphoret. ocul. cancror. aliaque abſorbentium titulo inſignita. An iis, quæ volatilioribus, ac ſumme penetrantibus particulis ſunt prædita, uti ſunt alchalica urinoſa, volatilia, nempe ſal volatilis Cor. Cer. Ebor. Viper. ſanguinis humani, urinæ armoniaci, aliiſque quæ humores nimis exagitant, ſolidaſque partes extimulant conferentem ſudoris excretionem obtinere poſſe exiſtimemus, in materiæ cruditate, & priuſquam fuerit ad eamdem diſpoſita? Res jam ex alibi dictis adeo patet, ut ſupervacaneum ſit hiſce diutius immorari.

XVIII. *Ubi in ſomnum propenſio adſit, pulſuſque debiles ſint etiam radix contrayervæ &c.* Addam ſolum adeo pertimeſcendam eſse ſanguinis, humorumque intempeſtivam exagitationem in febribus, etiamſi ipſius denſitas peccet, & arctior compages, ut niſi in ſomnum proclivitas, aut ſopor invadat, pulſuſque debiles ſint craſſioris, tenacioriſque ſucci Cerebrum, ac nervos infarcientis inditia, ne radix quidem contrajiervæ, quæ a Cluſio venenorum antidotum appellatur (quod quidem de venenis coagulantibus intelligendum eſse notat egregie Cl. Geoffroii) (g) adhiberi tutto poſse videatur, ne plus æquo commoveat, ſoli-

(g) *Mat. Med. p.* 2.

daſque partes irritando convulſionibus, tendinum ſubſultibus, aliiſque ſymptomatibus occaſionem præbeat. Idem plane dictum velim de Veſicantibus, de quibus Kircherus, Hercules Saxonias, Thomas Wiliſius, ut alibi dictum eſt (*h*) magnifice loquuti ſunt. Quamvis enim haud inficias ire auſim Veſicantia, ut citato loco adnotatum eſt attrahente virtute donari, ideoque in malignis, ac peſtilentibus febribus adhiberi poſſe ad venenam ſanguinis maſsam corrumpens attrahendum ad cutem, cum tamen præclar. virorum obſervationibus compertum eſse dixerim, a Veſicantium applicatione veſicæ dolores, urinæ ardores, ſuppreſſiones, vigilias, aliaque dira ſymptomata excitari, veritati conſonum viſum fuit aſſerere, acres, urenteſque eorum particulas non ſolum cutim, cui applicantur extimulare eam divellendo, lacerandoque, ſed in ſanguinem introductas univerſum nervorum genus mirum in modum percellere, & in validiores, vehementioreſque contractiones agere, unde circulationem ſanguinis augeri contingit, ejuſdem principia fundi, ſi quid craſſum, a viſcidum eſt diſsolvi, atque morbos a lentis, ſeroſiſque humoribus, atque ſolidarum partium laxitate prodeuntes feliciter debellari. His ita conſtitutis, ſi quis velit febre maligna, aut peſtilente laborantibus Veſicantia prodeſse, quod venenum eamdem procreans attrahitur, atque extra corporis confinia per apertum ulcus educitur, non multum pugnabo, dummodo & ille mihi concedat, quod volo, nulla videlicet alia virtute inſignitum eſſe debere virus, quod attrahendum eſt, atque eliminandum, quam ſanguinis maſſam cogendi, figendique, & tunc ſolum cum validioribus ſtimulis opus eſt ad concreſcentes ſanguinis maſſulas, aut ſegnes tenaceſque ſuccos alicubi impactos diſcutiendos, reſolvendos, & univerſam fluidorum maſſam refermentandam.

XIX. *Apparente aliqua ad ſudorem proclivitate mixtura cardiaca, atque alexipharmaca &c.* Plerique in more poſitum habent, ut quovis tempore audito Malignæ febris nomine ad validiora ſudorifica confugiant, quod in his arbitrentur alexipharmacorum vim reſidere. Qui quanta in obſcuritate verſentur nomine eorum abutentes, & facultate, vel ii optime norunt, qui quid ea efficere poſſunt inter initia, & in diſſolutione humorum a ſulphurei, acris, ac corrodentis veneni ſpiculis, animadverterunt, atque inſigne virium diſpendium inducendo, ac veneni vires acuendo deleteria fieri obſervationibus cum multis, ac frequentibus, tum certis ac conſtantibus deprehenderunt. Inter hos eminent Hildanus Chald. de Heredia, & Thonerus, qui omnes peſtilentiæ interfuerunt. Verumtamen tuta, & ſalutaria ea reddidit opportunitas, & cauſæ morbum facientis cognitio. Si enim non inter initia ſtatim, & antequam materia fuerit ad excretionem diſpoſita, quod interdum in principiis, ſed non infrequenter circa finem augmenti, & ſtatus, ſeu vigoris initium contingit, juxta gradum qualitatis, & motus, quo malignus, ac veneficus fomes ad ſeparationem per cutis poros progreditur, adhibeantur, & in eo caſu, in quo ſanguinis debita conſtitutio, & congruens ſpirituum affluxus ad partes vitiatur, quod ſanguinis ipſius compages nimis arcta, & compacta eſt, tantum abeſt, ut alchalia, ſcilicet volatilia, & quæ ſubtili oleo ſunt fœta locum non habeant, ut cum hebeſcat, aut deficiat naturæ vis, nullum iiſdem efficacius reperire Medentibus datum ſit ad ſanguinis partes attenuandas, ejus compagem ſolvendam, & univerſam ejus maſſam rarefaciendam, ad diaphoreſim, aut ſudorem promovendum, aut pro ægrorum opportunitate valentius. Ejuſmodi ſunt aqu. ſuc. Melis. Card. S. Scorzoner. Cordial. Saxon. prim. Cor. Cer. phj. præp. antimon. diaphor. Bezo. orient. viperinus pulvis, ſales volatiles omnes, quæ ſi percenſere numerando velim, nullum propemodum dicendi finem faciam. Quid enim Carlinam commemorem, Angelicam, Zedoariam, Unicornu foſſile, Bezoarticum Minerale, ſolare, Lunare, Joviale, Sulphur auratum, Aurum

(*h*) *Cap.* 4. *com. in aph.* 20.

rum vitæ, quæ plus habent inanitatis, & vani, plus ſonant, quam valent: Quid compoſita quædam referam a Petro Foreſto (*i*) laudata, a Ronderico (*k*) a Fonſeca (*l*) a Sydenhamio, ſi omnia ad ſcopum eliciendi ſudoris diriguntur?

XX. *Sudore autem incipiente quam diligenter æger cooperiatur*. Animadvertere ſatius eſſe duximus, quod egregie admonuit idem Sydenhamius, operæ pretium eſſe ad malignum, contagioſum, & peſtiferum virus per vias ſudoris eliminandum a diaphoretico ſumpto ſtragulis univerſum corpus contegere, ipſo etiam capite, ut felicius progrediatur, & in perpetuo fluxu contineatur viginti horarum ſpatio, omni interdicta abſterſione corporis, & mutatione induſiorum, ne ante id tempus deſinens recrudeſcat morbus, prioremque ferociam acquirat. Id enim commodi, atque emolumenti afferre ſudorem, ut ſi antea æger vomitu, aut diarrhæa vexabatur, egregie ſedentur, eodemque non frangi vires, ſed potius juvari, ſudoremque ipſum in progreſſibus notas legitimæ evacuationis inducere, non ſine admiratione adnotavit, & admonuit laudatus Auctor. Quid ſi aqua Meliſſæ, aut Cordialis Saxon. aut confectio hyacint., quæ odoris fragrantia inſigniuntur, & quibus langueſcentes ſpiritus momento fere temporis eriguntur, & recreantur ad ipſum ſudorem eliciendum adhibeantur, aut paulo poſt ſudorem elicitum? Odoris fragrantia, ſpirituſque copia præſtat, quam deſcribit Hoffmannus (*m*) ex Meliſſa Turcica, Roſis cum ſole contuſis, floribus Lilior. conval. corticibus citri recentis, Cinnamomo acuto, Maci, vino Rhenano infuſis, & aquæ communi. Quæ revera iis ſpeciatim dicantur, qui medicamenta in deliciis habent ſuperbis titulis haud vulgarem mentientibus virtutem ornata, quos non immerito deridet Sanctorius, inquiens (*n*) *Nobilium fere nemo cum remediis, plebeii vero ſine iis plures ſanantur*. Quem deterrimum morem altius damnavit, & de medio tollere conatus eſt Heurnius, *in peſte nihil peſtilentius multis remediis* contendens. Et ſane multorum medicamentorum, variorumque, quin ſæpe incongruorum uſu fieri minus vix poteſt, quin in nobilibus debilior jam natura in opere ſuo turbetur, ac morbus ad infelicem exitum promoveatur; plebeji e contra robuſtæ, valentiorique naturæ opus omne committentes, cum neque artificioſa, neque præpoſtera methodo ejus opus evertatur, feliciſſime convaleſcant.

XXI. *Potus ſit decoctio levis radic. Scorzoner. raſur. Cor. Cer. cum paſſulis*. Animadverſione dignum eſt, quod tradit Riverius vini uſum in hiſce febribus aliquando eſſe proficuum: Medici tamen prudentia opus eſt maxima. Si enim febris ſit admodum exigua, venenata vero qualitas plurimum intenſa, & corpus ægrotantis pituitoſum, tuto, ac feliciter vinum in potu exhibeatur, ſed valde lymphatum: contra vero in febre intenſa, & bilioſo corpore vinum exhibere pernicioſum eſt. Adnotat præterea primis morbi diebus vinum nunquam eſſe exhibendum, ne materiæ crudæ plus æquo exagitentur, ſed ad vigorem accedente febre, & malignitatis inditiis clare apparentibus, intenſiore tamen febre, linguæ ſcabritie, ſiccitate, nigredine, aliiſque ejuſmodi ſymptomatis abſentibus. Unde Zacutus Luſitanus referens ſe in febre maligna, præſente ſiti intenſa, cum linguæ ariditate, & nigredine ægro jam deſperato adeo feliciter exhibuiſſe, ut hoc ſolo remedii genere perfectiſſime convaluerit, Celſi ſententiam notare non dubitat: *Sæpe quod ratio non reſtituit, temeritas adjuvat*. Vinum certe apud nos nonniſi in parca doſi poſt cibum ad langueſcentes ægrotantium

(*i*) *Lib. 6. obſ.* 16.
(*k*) *Conſult. tom.* 2.
(*l*) *Cap.* 2. *de feb. peſtil. & peſt.*
(*m*) *De feb. peſt. cap.* 11.
(*n*) *In Medici. ſtat. aph.* 139.

vires confortandas, & loco cardiaci temperati ipſis Hippocrati, & Galeno aſſerentibus adhiberi ſolet ab accuratioribus Practicis. Quibus quemadmodum explicandæ ſint obſervationes Aſclepiadis, qui, ut notat Cælius Aurelianus, phreneticos inebriando curabat, viderint alii. Teſtor ſolo potu tepido ex decoctione levi radic. Scorzoner. & raſur. Cor. Cer. adeo feliciter uſum fuiſſe in conſtitutione quadam febrium petechialium anno 1752 graſſante, ut nullo alio adhibito auxilio plerique ignobiles convaluerint, cum non paucos eorum, qui aut venæ ſectione, aut purgatione, aut alexipharmacis, aliiſque ſumptuoſis medicaminibus pertractabantur occubuiſſe agnoverim, quod ſane illorum opinionem confirmat, qui putant ſolam victus rationem, & abſtinentiam a remediis in ejuſmodi morbis plurimum prodeſſe. Quæ cum dico, video jam quid objiciatur ab iis, qui pervidentes quot ipſe propoſuerim non vulgaria ad malignas febres a coagulatione ſanguinis oriundas, quot etiam ad illas, quæ ab ejuſdem diſſolutione proficiſcuntur, aſſequi non poſſunt cur ea deſpiciam, quæ conſulto delegi. Recte illi quidem. Si tamen intelligant me non ſelectiora remedia improbandi cauſa id affirmare, ſed ad eorum levitatem perſtringendam, qui audito maligni, contagioſi, ac peſtilentis morbi nomine male mereri ſe de ſuis ægrotantibus putant, niſi pretioſa ſtudioſe colligant, cum ea quæ ſunt ante pedes ſingularis virtutis, & quorum pulcherrima laus eſt nocere non poſse negligant, & quod deterrimum, ac pernicioſiſſimum vitium eſt, nulla accurata, diligentique cauſarum facta perquiſitione, eadem etiam præpoſtera methodo adhibeant.

XXII. *Ubi vero diſſolutionis argumenta non deſint alterantia erunt decoctiones fol. acetoſ. &c.* Quoniam in contagioſis, ac peſtilentibus febribus peccat plerunque corruptio ſanguinis per coagulationem, & diſſolutionem ſimul ab acerrimo principio texturam ejus, ac compagem ſolvente, ac colliquante, hinc jure dixerunt eximii Auctores Hildanus, Heredias, & Thonerus ſupra laudati nil deterius, ac pernicioſius eſſe in ejuſmodi morbis, quam calidioribus uti alexipharmacis, atque iiſdem utentes peſte abſumtos eſſe omnes. Ea porro in tali ſanguinis conſtitutione eximiam præſtabunt operam, quæ debitam ſanguini conſiſtentiam tribuunt, quæ moderate adſtringunt, ac nimium fervorem, æſtumque ſanguinis compeſcunt, uti ſunt nitrata, aut quæ nitroſo, aut huic perſimili ſale gaudent, præſertim ſi cum abſorbentibus miſceantur, blande diaphoreticis, & ipſa camphora, quorum connubio refrigerantem nitri indolem optime cicurari, & medicinam emergere, non modo alexipharmacam, ſed & inflammationi efficaciter reſiſtentem Cl. Hoffmannus teſtatus eſt. Et vero camphora tenuibus quidem, volatilibus, ſubtilibuſque particulis conſtat, iis tamen, ut cito e corpore avolet, in omnes partes, ac receſſus ſeſe inſinuet, poros omnes intime penetret abſque eo quod calorem, fervoremque intendat, ſed potius ſedet, ac compeſcat, etiam ſi magna doſi exhibeatur, nedum parciſſima & ad alterius amiciſſimi remedii vim corrigendam, ut alibi a nobis fuſe eſt demonſtratum (*o*).

XXIII. *His ſucceſſu temporis addantur mixturæ cardiacæ ex aq. ſuc. Acetoſ. &c.* Quoniam motus cordis, & reliqui omnes ab ipſis pendentes langueſcunt potiſſimum, ac labefactantur in malignis, & peſtilentibus febribus, quod ſoluta, ac colliquata ſanguinis maſſa a principio acerrimo, ac cauſtico, impar redditur fibris motricibus roborandis, eædemque ſpiritibus diſſipatis plus æquo flacceſcunt, ac relaxantur, hinc ea omnia, quæ tum prædictæ ſanguinis conſtitutioni opem ferunt, tum quæ ſolidarum partium vim elaſticam reſtituunt, cardiaca, & alexipharmaca erunt cenſenda. In horum cenſu veniunt aq. ſuc. Acetoſ. Oxalyd. & ſimiles alibi a nobis laudatæ, præſertim vero totius citri, ejuſque ſyru-

(*o*) *Vid. lib.* 1. *cap.* 4. *com.* 19.

ſyrupus : Acido enim ſucco citri dici vix poteſt, quam apte acris, & corrodentis veneni ſpicula obtundantur, ſanguinis orgaſmus reprimatur, putredini, & diſſolutioni humorum reſiſtatur, ventriculus relaxatus erigatur, ac firmetur, vires recreentur: hinc nil mirum Cl. Foreſtum graſſante peſte non alio præſidio munitum ad ægros ſe conferre conſueviſſe, quam mali citri putamine ſucculento dentibus attrito. Quid de aqua Theriacali dicam, cujus inſignes vires peritiſſimi Scriptores, Riverius, Sala, Diemerbroekius, Mindererus, laterus prędicarunt. Cum nempe in ejus compoſitionem Acetum rutaceum, ſuccus radic. pimpinellæ, tormentillæ, limonum aliaque id genus acida, & adſtringente virtute prædita recipiantur, cardiacum, & alexipharmacum in hiſce caſibus opportuniſſimum eſt, ſi quod aliud. Utinam & ſine vini ſpiritu, & vino Malvatico, aut ſimili conficeretur. Quamvis enim acria fermentatione confecta, cujuſmodi ſunt ſpiritus vini, ceriviſiæ, aliique ſimiles ſanguinem cogere videantur ob acidas, quas continent, particulas, animadvertendum tamen eſt vi irritandi pollere, unde ſolidis partibus validius, & fortius ſeſe contrahentibus fluida magis atteri, atque exſolvi contingit, ſulphureis, volatilibuſque particulis a calore exaltatis, magno impetu moveri, & humoribus orgaſmum, ac rareſcentiam conciliari: Aquæ Theriacali libentius indulgerem. Et ſane admirabilem eſſe vim acidorum adverſus corruptionem fluidorum, quæ fit partim per coagulationem, partim per diſſolutionem in febribus malignis, contagioſis, & peſtilentialibus, dubitare nemo poteſt, qui ſedulo perpendat maſſulas fluidorum a ſale volatili, ac corroſivo ſolutas in novas concretiones abire, acida autem figendo acre fluidorum, eorumdem diſſolutionem, ac novam inde concretionem prohibere. Hinc ſaluberrimum eorum conſilium, qui Hippocrate olim, Dioſcoride, & Galeno præeuntibus, acidis in hiſce morbis utuntur. Nihil enim Thonero (*p*) affirmante profuiſſe magis viſum eſt in peſte præter acetum theriacale inter initia ad eliciendos ſudores exhibitum, atque anno 1693 graſſante inter Milites febre maligna, hoc eodem remedio integram gregariorum cohortem non ſolum ſervatam fuiſſe, ſed eos omnes quibus tempeſtive dabatur, convaluiſſe. Idem fere eveniſſe in peſte Romana teſtatur Kircherus, (*q*) ut taceam Sylvium cum ſingulis diebus antequam ægros viſitaſſet duo cochlearia aceti aſſumere conſueviſſet, a peſte immunem ſervatum eſſe, unde ejus aqua prophylactica propter acetum, quod eſt præcipuum ejus ingrediens in malignis morbis, & ipſa peſte magni ſemper æſtimata, atque Fracaſtoreum, (*r*) qui acetum ex ſucco acetoſellæ, & citri tam ad præſervationem, quam curationem eximias vires habere teſtatus eſt. Hinc apte Geſnerus (*s*) ſuadet, ut omnia alexipharmaca ex vino, cui acetum admixtum, præbeantur:

XXIV. *Gelatinæ ipſæ juſculis miſcendæ, & potiones acidulæ fiant: illæ quidem ſucco limonum &c.* Quid opus eſt pluribus? Turcæ imitandi, qui ut refert Cole (*t*) regnante peſtilentia non alio remedii genere frequentius utuntur, quam ſucco limonum, quem liberaliter omni juſculo inſtillant. Quam in rem apte cadit, quod memorat Martinus Liſter (*u*), Piſonem Medicum Batavum in rebus exoticis exercitatiſſimum, qui refert Medicos in India potiſſimum plus præſidii in limonibus ponere, quam in lapide Bezoartico, aut Theriaca contra malignos, ac peſtilentiales morbos. Vis cogendi, figendique major adhuc ineſt ſpiritibus vitrioli,

(*p*) *Obſ. pag.* 21.
(*q*) *De peſt. p.* 375.
(*r*) *Lib.* 3. *de morb. contag.*
(*s*) *Lib.* 3. *epiſ.* 27.
(*t*) *Lib. de morb. acut. p.* 88.
(*u*) *Exercitat. Medic.* 4.

trioli, & ſimilibus: hinc eximia eorum facultas quocumque modo exhibeantur, in peſtilentialibus morbis, ut Mindererus (*x*) diſerte tradidit, qui cum nullam eſſe putredinem, infectionem, atque humorum depravationem, quæ per acida non ſuperetur, affirmet, ſubdit poſtea: *Sane ut liberrime loquar, ſi mihi vitriolicorum remediorum uſus interdiceretur, ego ad curationem peſtis nunquam, vel certe inermis accederem*. Idem teſtatus Fonſeca (*z*) inquiens: *Joannes Crato, Augenius de Monte Sancto, Martinus Rulandus, & alii in febribus peſtilentialibus, ſpiritum vitrioli ſummopere prodeſſe teſtantur. Et ego id teſtari ingenue poſſum me non modo cum ſyrupis, ſed & cum conſerva roſarum mixtum felici cum ſucceſſu eum exhibuiſſe*. Syrupo vero berberum ad gratum ſaporem potionibus vitriolatis conciliandum quid aptius, aut opportunius, qui ſale ſuo aluminoſo haud diſſimili, ut teſtatur Cl. Geoffroii non ſolum ad ſitim extinguendam in febribus ardentibus, ſed ad humorum diſſolutionem compeſcendam, ac malignitatem debellandam egregie conducunt, unde apud Ægyptios narrante Proſpero Alpino (*a*) eorum virtus in malignis, & peſtilentialibus febribus adeo eximia, ut peſtifera ibi febre correptus cum immoderata diarrhœa biliosa, ſimpliciſſima eorumdem maceratione in aqua Medicorum conſilio uſus perfectiſſime convaluerit. Simon Paulli Alpini exemplum imitatus acri febre, atque enormi diarrhæa Lutetiæ Pariſiorum ægrotans ſolius ſyrupi Berberum uſu aqua fontis diluti in priſtinum valetudinis ſtatum reſtitutus eſt. (*b*)

XXV. *Vomitus in ejuſmodi febribus ſunt infeſtiſſimi, qui ſi contumaces fuerint, conſerva cyton. &c.* Cum de vomitu ageremus Hippocraticæ doctrinæ inhærentes adnotavimus in curatione evacuationum, ſive per alvum, ſive per os illud quam diligenter conſiderandum eſſe, num criticæ ſint, num modum ſervent, num per eaſdem materia inutilis ejiciatur, vel e contra ſymptomaticæ ſint, atque ex mera naturæ irritatione oriantur, num utiles, boni, laudabileſque ſucci copioſe excernantur, qui excernendi non eſſent. Si primum, cohibendas non eſſe; ſed tamdiu ſinendas, quamdiu conferre videantur; Sin alterum, reprimendas. Id probe tenendum eſt etiam in vomitu malignæ, ac peſtilenti febri ſuperveniente, qui cum criticus eſſe poſſit non ſtatim ab exortu cohibendus eſt, ſed ſolum ſi diutius perſiſtat: ubi autem cohibendi argumenta ſuppetant, ab iis abſtinendum eſſe, quæ facile Stomachum, & nauſeam movent perſpicuum eſt, eaque in uſum vocanda, quæ Stomacho grata ſunt, & blande adſtringendi, corroborandique vim habent. Ejuſmodi ſunt mala cytonia, meſpili, pruna ſylveſtria, aliique fructus paulo auſteriuſculi, & acidi, ut Berberum limonum, & ſimiles, quorum pulcherrima laus eſt, ut paulo ante diximus calorem febrilem, ſitimque coercere, vires reficere, atque putredini valide obſiſtere. Quoniam vero violentæ, & non ordinatæ contractiones fibrarum ventriculi ab acerrimo principio inducuntur, hinc ſalubre practicorum conſilium iiſdem compeſcendis ſtudere, quod nulla meliori ratione præſtari poſſe, quam Diaſcordeo Fracaſtor. hora ſomni propinato conſtat ex Sylvio, qui in quorumvis humorum acrimonia adhibere idem non dubitavit.

XXVI. *Diarrhœæ, atque dyſenteriæ alexipharmacis, atque adſtringentibus ſimul pertractandæ &c.* Alexipharmaca, & bezoartica fixiora, nec non terrea, & adſtringentia adhiberi poſſe, vel ſola vel acidis nupta, prout res, & occaſio fert, monuit Hoffmannus (*c*) & de his legendos Cl. viros Scheeberg, Unzerum, Mindererum, alioſque conſulit. Si quis tamen hac de re noſtram ſententiam de-

(*x*) *De peſt. cap.* 15.
(*z*) *De ver. rat. curand. peſt.*
(*a*) *De Medic. Ægyptior.*
(*b*) *Conſ. lib.* 3. *aph. cap.* 1. *com.* 12.
(*c*) *De feb. cap.* 12. *de feb. peſt. ſect.* 4.

deſideret, alibi a nobis tradita (*d*) adeat neceſſe eſt, ubi eximias eorum virtutes ad diarrhœas, atque dyſenterias, quæ ſymptomata ſunt malignarum febrium compeſcendas ita proſequuti ſumus, ut nullus hic dicendi locus relinquatur.

XXVII. *Delirium phreneticum emulſione Vverlhophii* Vid. aph. lib. 1. cap. 4. com. 18.

XXVIII. *Lethargus præter veſicantia cucurbitulis, & frictionibus ſiccis &c.* Vid. lib. 1. cap. 3. com. 11. & 26.

XXIX. *Hæmorrhagiæ in malignis ſymptomaticæ mixtura cochleatim exhibenda ex aq. ſuc. plantagin. &c.* Cauſæ hæmorrhagiam facientes, ejus quoque differentiam faciunt. Si morbus, aut cauſa morbum procreans, vel procreare potens aufertur, uti cum a ſuperfluo ſanguine corpus exoneratur, quemadmodum in juvenibus contingit, iiſque qui fervidiori temperamento ſunt præditi, ſalutaris dici ſolet a Medicis, aut critica acutos morbos non raro ſolvens. Quæ vero neque morbum tollit, neque ejus cauſam, vel novum alium morbum relinquit, non ſalutaris, & ſymptomatica. Talis plerunque eſt hæmorrhagia febribus malignis colliquantibus ſuperveniens, & peſtilentialibus, eaque non excedens ſanguinis copia, aut turgentia, ſed tenuitas, & erodens qualitas dignoſcitur. Quo magis patet in ſiſtendo ſanguine avertentia, & revellentia, cujuſmodi ſunt ſanguinis detractio, ligaturæ dolorificæ partium extremarum, aliaque id genus, in hoc caſu locum minime habere, ſed ea ſolum, quæ debitam ſanguini conſiſtentiam conciliant, atque ipſius acrimoniam temperant, ac demulcent, ac ſolidas partes adſtringunt. Talia ſunt plantago, tormentilla, myrtillus, roſæ, citonia, corralla, lapis hæmatites, & ex his parata, præſertim vero tinctura corallor. anodyna Helvetii, laudanum liquidum, aliaque opiata, quæ, ut inquit Etmullerus, generalia ſunt hæmorrhagiarum remedia, quatenus & irritationes, & ſpirituum impetum ſedant. Inter adſtringentia medicamenta ſunt etiam maxime illuſtria alumen, vitriolum, & ex his compoſita. Ex vitriolo quidem ol. vitrioli, ſpiritus ejuſdem, colcothar vitrioli, ſeu caput mortuum, quod remanet ex vitriolo dulci: ex alumine ſpiritus ejuſdem, ſpecificum Helvetii, quod ex alumine, & ſanguine draconis componitur, aqua ſtiptica Lemerii, cujus præcipuum ingrediens eſt colcothar vitrioli, & alumen, aliaque id genus, quorum alibi meminimus. (*e*) Verum cum medicamenta ex vitriolo, atque alumine deſumpta magnam in ſanguinem alterationem inducere experimentis Cl. Stancarii (*f*) compertum ſit, qui eorumdem affuſione ſanguini e vena extracto ipſum majorem in modum denſari, figi, & in grumos cogi deprehendit, ſolum externum eorum uſum tutum ac proficuum eſſe cenſemus, partibus ex quibus effluit ſanguis, ad vaſa aperta adſtringenda, applicandorum.

XXX. *Parotides, bubones, carbunculi, gangræna, ſphacelus manu periti Chirurgi &c.* Si dicam in parotidum, aliorumque tumorum curatione præmiſſis jam internis ſudoriferis, quibus naturæ conatus adjuvatur, tria externe eſſe attendenda; primo attrahentia, quibus materia venefica eliciatur, deinceps maturantia, quæ tumorem ad ſuppurationem perducant, & ad expurgationem, demum conſolidantia, atque hinc (niſi forte ſuffocationis periculum immineat, vel materia adeo contumax ſit, ut juſtus ſubrepat acceleratæ mortis timor, quo caſu conſulunt nonnulli, parotides etiam crudas eſſe incidendas) ad tumorem attrahendum, ſi tardius prodeat, aut cucurbitulas, & veſicatoria, ut nonnulli volunt, applicari ſuadeam, ubi autem prodierunt ad eoſdem laxandos, ac ſuppurandos cataplaſma admoveri ex ficubus, radice liliorum alborum, cæpis coctis ſub cine-

(*d*) *Aphor. lib. 3. cap. 1. com. 16. 17.*
(*e*) *Lib. 2. aph. cap. 2. com. 11.*
(*f*) *Act. Acad. Bonon.*

neribus, farina ſeminum lini, mucilagine radicis althææ, aut ejuſdem exſiccati pulvere, melle, croco paratum, vel emplaſtrum de mucilaginibus, de meliloto, vel diachilò cum gummis, quæ ſimul diſcutiant, & niſi ſponte ſuppurentur, aut cruſta excidat, ut malignus ichor confertim exeat emplaſtrum ſuperimponi acre ex fermento, ſinapi, cæpa ſub cineribus cocta, radice althææ, aut ſimile aliud; carbunculi vero oras digeſtivo illiniri, cruſtaque avulſa unguento ægyptiaco, ut cum melle roſato mixto maturius, & melius conficiatur pus, cavumque ulceris, ut ait egregie Cl. Mindererus (*g*) *ac ſi lupi exediſſent*, repurgetur; ſi demum gangrænam, & ſphacelum ſupervenientem, ne latius ſerpat, ſcharificatione, tum ſpiritu vini camphorato, & crocato cum ſale armoniaco, vel nitro artificiali, quod ex ſpiritu ſal. armoniaci urinoſo, & ſpiritu nitri confici docet Hoffmanus, pertractari: methodum tradam, neque plane ſimilem, neque plane diverſam ab illa, quam in curanda peſte ſummo cum fructu adhibuit accuratiſſimus Langius (*h*), quamque acri judicio, optimis adnotationibus, monitiſque commentus eſt ipſe Hoffmannus, eam tamen quam propria experientia, ut idem fatetur, non didici, faxitque D. O. M., ut nunquam addiſcam. Quare ne ab eo quod non plures ante hoſce annos, aphoriſmos edens de cognoſcendis, & curandis morbis pollicitus ſum, ea ſolum quæ per magiſtram rerum experientiam detexi ingenua oratione conſcribendi, recedere videar, peritos Chirurgos conſulendos tradidi, quorum provincia eſt in hiſce ſtudium omne, omnemque operam collocare.

XXXI. *Vermibus hydrargyro præ cæteris eſt occurrendum*. Vid. lib. 3. cap. 6. com. 9.

XXXII. *Cæterum a peſte facilius præſervabitur, qui contagium fugiat, qui in aere aperto &c.* Vetus Celſi præceptum eſt, ut qui adhuc ſanus, & incolumis a contagii vi præſervari ſtudet, naviget, & peregrinetur. Cum enim peſtilentia ad nos plerunque ex remotis locis advehatur, nullo præſtantiori, remedio, quam fuga præcaveri eamdem poſſe perſpicuum eſt. Quod cum verum eſſe ratione conſtat, tum clariſſimorum virorum teſtimonia confirmant, in primis Natalis Comit. (*i*), qui in peſte Italica an. 1575. graſſante, id eximie profuiſſe teſtatus eſt, & Sanctorius (*k*), qui ingenue fatetur: *Qui aliud remedium pro vitanda peſte inſtituunt, quam fugam, vel ſunt homines ignorantes, vel volunt æruſcare*. Fieri tamen interdum poteſt, ut eo uti non poſſint. Tunc vero contagium fugiet, ſi domicilium ſaltem, & conſuetudinem vitæ cum infectis ſibi interdicat, ut ſe ab eodem muniat, ac virulentos halitus, qui ab infectorum corporibus eorumque ſupellectile emittuntur ſtudioſiſſime effugiat. Huic porro operi Principum Auctoritas plurimum tribuit paterno amore Civium ſaluti proſpicientium, ne contagium vigente peſte advehatur, atque accedat, quanta maxima fieri poteſt diligentia, ac contentione arcendo, ubi autem jam invaſit, infectos a ſanis ſegregari imperando, & omnem mortuorum ſupellectilem comburi, ne cum ea ad alios transferatur, & peſtis. Optime etiam ſibi conſulet, ſi in aere puro, & ſalubri verſetur, & ſuffumigiis odoriferis alterato, quæ ex maſtiche, thure, myrrha, ſuccino, baccis juniperi, ligniſque reſinoſis combuſtis parantur, quæque pravas aeris qualitates corrigunt, aut ſi fonticulos ſibi admoveri jubeat. Singularis enim eſt obſervatio referente Hoffmanno (*l*) eos, qui a peſte præſervantur, ea graſſante ſæpe circa fonticulum inſolitum dolorem, ac tumorem pati, argumen-

to

(*g*) *De feb. peſt. c.* 12. 5. 1.
(*h*) *Lib.* 1. *epiſt.* 18.
(*i*) *Hiſt. lib.* 27.
(k) *Medic. ſtat. ſect.* 1. *aph.* 138.
(*l*) *Sect.* 1. *cap.* 12. *de febr.*

to prope certiſſimo ſuſcepti myaſmatis materiem, quæ firmiter adhęrere ſolet fluidiori ſanguinis parti ad apertum ulcuſculum, per quod ſanguinis maſſa immediate imminuitur, & inſuper quædam illius excrementitię ſordes expurgantur; ablegari, atque extra corporis confinia educi. Eorum propterea utilitatem magnopere commendavit Fabricius Hildanus ſcribens (*m*) *Neminem autem, quod notandum eſt, eorum, qui fonticulos in cruribus, & brachiis habuerunt præter unum, aut alterum ſumme cachochymum peſte objiſſe memini, & proinde præſentaneum præſervativum tempore peſtis eſſe cum in aliis multis, tum etiam in memetipſo expertus ſum*. Verum felicis effectus rationem non tantum eſſe crediderim, quod per fonticulorum vim peſtiferum virus profligetur, quantum quod fonticuli uſus animum confirmet, & fiduciam afferat, ne virus exitio eſſe poſſit, eo prorſus modo, quo amuleta ad peſtem arcendam non alia ratione valere poſſunt, pręter illam, quam illis tribuit Cl. Aug. Quirinus Rivinus (*n*), ut ſcilicet his confiſi pręſidiis plebeii pręſertim magnanimi reddantur, & alacriores fiant, morbique ſęvitiem minus perhorreſcant; quod dici vix poteſt quantum peſti arcendę tribuat, quemadmodum ei contrahendę, aut propagandę męſtitia, formido, exanimatio, ut ſupra a nobis adnotatum eſt.

XXXIII. *Medicus vero qui nunquam jejunus ad ægros accedat, qui os, & nares aceto ſæpius colluat &c.* Medici autem potiſſimum eſt ægros lue infectos inviſere, curare, tractare. Hinc cunctis viribus conandum eſt, ut ſe ſe immunem præſtet. Quapropter ſuadent plerique, ne jejunus ad ægros unquam accedat, ut vinum meracum moderate hauriat, & vires cum cibis reficiat, ut ſalivam nunquam deglutiat; ſed crebro per ſputum rejiciat, & alicujus radicis alexipharmacæ, uti Zedoariæ, Angelicæ, Carlinæ fruſtulum in ore habeat, & dentibus tractet. Quæ quamvis non exiguæ virtutis ſint ad prohibendum, ne myaſma ſuccos vitales ſubeat, nec ſalivales in primis viis hærentes humores in ſui ſocietatem pertrahat, cum tamen acida venenati myaſmatis vires majorem in modum infringere conſtet, & cum multis, ac frequentibus, tum certis, ac conſtantibus Cl. Virorum Foreſti, Sylvii, Thoneri, Kircheri, Geſneri, Fracaſtorei, Mindereri aliorumque, quorum ſupra meminimus, obſervationibus compertum ſit, eadem ad peſtis curationem non ſolum, ſed etiam præſervationem præ cęteris conferre, cur alio auxilii genere utar, quod cum efficaciſſimum eſſe ratio evincit, tum obſervatio, atque experientia confirmat?

CAPUT IX.

De Febre Varioloſa, & Morbilloſa.

I. A Peſtilenti febre parum differt Veteribus ignota Varioloſa, ac Morbilloſa, eadem fere contagii vi inſignis, & cujus cauſa fere eadem, corruptio ſcilicet ſanguinis per coagulationem, & diſſolutionem ſimul.

II. Quam facile inducit venenum acre, tenue, celerrimi motus, quod una cum craſſioribus partibus motu quodam critico ad cutem propellitur inflammans, & exulcerans, & varias puſtulas excitans, nunc magnas, elevatas, &

(*m*) *Obſ. chir. cent.* 4. *ob.* 23.

(*n*) *Tract. de peſt. Lipſ. an.* 1680.

& ſuppurationis capaces, quæ variolæ, nunc parvas, & cutis potius aſperitates, quæ morbilli dici conſueverunt.

III. Tamdiu autem in ſanguine deliteſcere contingit, quamdiu ab ætatis mutatione, ab aere, a contagio, aliiſque ejuſmodi cauſis exaltetur, & vires ſuas exerat.

IV. Variolas, & morbillos portendunt febris acuta, & gravis dolore pulſatorio comitata circa frontem, ac tempora, vigiliis, deliriis, lancinationibus in dorſo, epilepſiis in pueris, & infantibus, pulſu inordinato, palpitatione cordis, anxietate, vomitu, tuſſi, raucedine, oculorum rubedine, phlogoſi, lacrymarum profuſione in infantibus, & pueris nondum tales morbos expertis, maxime ſi inter conſanguineos, & ſui æquales morbi illi inſurrexerint, & epidemice graſſari cęperint.

V. Si poſt duos treſque dies puſtulæ, ac tubercula ſenſim ſuccreſcant, primum forma minutiſſimæ papulæ, quæ mox attolluntur, vel inflantur, ſubſequentibus hæmorhagiis, inflammatione tonſillarum, linguæ ſcabritie, aphthis in ore, ophthalmia, nebulis in oculis, palpebrarum coalitu, phtyaliſmo, de variolis ſuſpicandum non eſt; quemadmodum nec de morbillis, ſi maculæ erumpant, quæ alias rubent, vel violaceum, & etiam lividum colorem exhibent, majores, minoreſque cum vel ſine exiguis puſtulis.

VI. Si puſtulæ attollantur in abſceſſus albos, rotundoſque, quæ tamen aliquando compreſſæ manent, aut foveam quamdam in medio conſtituunt, aut maculam nigram exhibent, auctis omnibus ſymptomatis, & accedente pruritu, & punctione in plantis pedum intolerabili, phtyaliſmo ceſſante ipſas ſuppurari cenſendum eſt.

VII. Si ſuppurata tubercula liquorem puri ſimilem fere effundant, vel in cruſtam ſiccam indurentur, exſiccari, ad differentiam morbillorum, qui citra liquidi ſanioris effuſionem exſiccantur.

VIII. Si puſtulæ disjunctæ fuerint albæ, aut rubræ, magnæ, rotundæ, molles, & a ſede vitali, & naturali remotæ plerunque boni exitus eſſe conſueverunt, præſertim ſi hæmorrhagiæ in principio, & epilepſia in augmento ceſſaverint, ac reliqua ſymptomata ſimul cum febre in ſtatu morbi, aut paulo poſt remiſerint. Idem dicendum de morbillis, ſi eleganter rubri fuerint, nec nimium abundantes. E contra res habet, ſi variolę depreſſæ, maculiſque nigris notatæ, vel lividę, plurimæ confluentes, nec maturitatem expectantes, & reliqua ſymptomata diu perdurantia ſuppurationis tempore graviora fiant, ſi vomitus, diarrhęæ, hęmorrhagię, aut cruentus fluxus, delirium, ſyncopes non remittente febre ante ſuppurationem ſuperveniant, aut alia gravis, & acuta undecima, decima quarta, decima ſeptima, aut circa vigeſimam invadat. Par ratio morbillorum.

IX. Secunda vel tertia die ante eruptionem, ſi febris fuerit vehemens, ſi venæ turgidę, ſi plenus habitus, aut ſi grave aliquod, & lethale ſym-

ptoma,

ptoma, aut febris gravis, & acuta undecima, vel ultra die ſuperveniens, poſtulent, ſanguis mittendus.

X. Purgatio utcumque lenis periculoſa inter initia.

XI. Potiones papaveraceæ tepidę, & copioſius propinatę in eruptione puſtularum commodiſſimę; nec non ſyrupus de Męconio ab ℥ .s. ad ℥ i. .s. prout vel diſcretę fuerint, vel confluentes ſingulis noctibus exhibendę ad ſedandum, & ſi phręnitis urgeat, ut ſummum emulſio Vverlhophii adhibenda.

XII. Si puſtulę ſegnius erumpant, vel collabantur, & introrſum redeant cum pulſus debilitate, ac refrigeratione, moderato inſtituto regimine detur infuſum calidum theiforme fol. ſcabioſ. Card. Bened. flor. ſambuc. Chamomil. additis pulveribus ex Cor. Cer. ph. pręp. ſtib. diaph. a ʒ i. Bezo. orient. ℈ i. m. f. pul. in partes iiii addito ſyrupo Card. S. ℥ .s. mane, & veſpere horis medicis; vel ſequens emulſio. ℞. aq. flor. ſambuc. rut. caprar. card. S. a ℥ ii. ſemin. card. benedict. aquilei. a ʒ i. .s. Adde ſtib. diaphoret. ℈ i. ſacchar. perl. q. s. m. capiat ut dixi.

XIII. Si vero nimius fervor, atque orgaſmus peccet ſolę decoctiones cichoraceę cum pulveribus diaphoreticis, addito tamen nitro puriſſimo, vel emulſiones ex decoct. raſur. Cor. Cer. quatuor ſemin. frigid. amydalar. cum ſyrup. violar. aut ſacchar. q. ſ. ad gratum ſaporem.

XIV. Sopori, ac torpori ſuccurremus emplaſtro de limacibus terreſtribus contuſis, allio, fermento panis, & acerrimo aceto plantis pedum applicito, & ſolum in graviſſimo caſu veſicatorio nuchę appoſito.

XV. Tuſſi etiam eclegmate ex ol. amygdal. dulc. ad ℥ ii. ſyrup. violat. cęleſt. Papaver. a ℥ i. de quo ſępius lambat ęger. Ardori faucium & laryngis aqua florum ſambuc. ad ℥ vi. cum ſyrup. diamor. ad ℥ i. Aphthis mucilagine ſemyn. cytoniorum. Ardori ruborique oculorum conniventium, eadem mucilagine aqua florum roſarum, & ſambuci diluta, addito modico croci & camphorę.

XVI. Vomitus, diarrhęę, dyſenterię, hęmorrhagię, ſi modum exceſſerint pertractandę, ut illę quę malignis, & peſtilentialibus ſuperveniunt.

XVII. Foveis in facie relictis ſequens linimentum applicetur. ℞. Axungi human. ℥ i. .s. ſpermat. cet. ʒ i. balſam. de Copaib. gut. x. cer. alb. q. ſ. f. linimentum. Iiſdem vero cicatrizatis aqua deſtillata flor. fabar. roſar. radicis ſigilli Salomonis facies abluenda.

XVIII. Cibus ſit tenuis: potus aq. decoct. hord. radic. Scorzoner. raſur. Cor. Cer. Aer temperatus non prius relinquendus, quam perfectiſſime ęger convaluerit.

CAPUT IX.

De Febre Varioloſa, *&* *Morbilloſa*.

I. A *Peſtilenti febre parum differt Veteribus ignota Varioloſa*, *ac Morbilloſa*. Febris genus declarandum aggredimur, quo obſcurius nullum, nullum difficilius, vel ejus cauſę ſpectentur, vel curatio, quę Antiquis vel omnimode ignota fuerunt, vel ſaltem ad nos minime traducta. Febrem varioloſam intelligo, cui in decurſu febris ad cutem puſtulæ, papulæ erumpentes nomen dedere. Si Antiquorum monumenta volvamus, exanthematicam quamdam febris ſpeciem memorat Hippocrates, quam exanthemata, ſive eruptiones, & puſtulæ ad cutem comitantur, quæ in varioloſis etiam febribus contingunt: Sed ejuſmodi febres exanthematicæ non eas adjunctas habent affectiones, quæ in Variolis obſervantur, quas certæ temporum differentiæ, & Symptomata certis temporibus ſuccedentia claras faciunt, quæ in exanthematicis ab Hippocrate deſcriptis deſiderantur. Dari enim ait quaſdam febres, in quibus aliqua ad cutem eruptio contingit, quæ mox evaneſcit. In variolis autem præter cutaneam eruptionem nonnulla quædam adnotari licet a motibus criticis non ſolum diverſa, ſed quæ ad ſymptomatica jure merito referri poſſunt, de medio ſublatis ægris vel in eruptione, vel in decurſu eruptionis, vel paulo poſt eruptionem, quod aliis commune non eſt. Unde citra erroris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur Hippocratem veram ideam, atque eſſentiam febris varioloſæ non intellexiſſe. Cui quidem id unum vel alterum robur addit, quod Galenus ejuſdem interpres accuratiſſimus, ſi quis alius, harum febrium mentionem nullibi fecit. Enimvero niſi penitus ignotæ illis fuerunt, accurate certe deſcriptæ non ſunt, & Poſterorum memoriæ relictæ. Id autem contigiſſe conjectari licet, quod ſint tantum accidentia febribus Synochis, & malignis ſupervenientia, & eruptiones criticæ proprium, & peculiare morbi genus minime conſtituentes, vel quod in Gręcia propter aeris clementiam tam levis fuerit affectus, ut Medicorum curam non meruerit, ut conjecit egregie Riverius, narrans de Indis Occidentalibus, qui antequam Hiſpani eas regiones occupaſſent, eadem de cauſa tam levi morbo corripiebantur, ut nullum fere ſtudium in eumdem, ac curam contulerint: communicata vero ab Æthiope quodam eo delato, & peſtilentibus variolis correpto per vim contagii maligna, & venenata qualitate, tam immaniter graſſari cępit, ut plerique Indorum enecarentur. Avicennas poſtea Arabum facile princeps, qui Ariſtotelis doctrinis, tamquam totius ſcientiæ fundamentis in Medicinam invectis, poſtquam litteris per Italos reſtitutis Græcorum, & Hippocratis præſertim libri, ac Medicina magno in honore haberi denuo cęperunt, cum Græcia jam devaſtata, latinoquo ſolo a Barbaris occupato, uti omnes litterę conſederunt, plurimum detrimenti acceperit in Hippocrate interpretando, atque ejus doctrinis, quæ ſparſim vagabantur, nulli ſyſtemati addictis, congerendis excelluit, quam qui maxime, febris varioloſæ meminit, atque claram ejus ideam exhibet ex pluribus affectionibus deſumptam, quibus ejuſmodi febres ſtipantur. Qua de re ſi quis curioſius doceri velit, adeat Cl. Freind, qui cum fateatur variolarum morbum primum inter Arabes exordia habuiſſe, ſolumque fere eſſe, cujus hiſtoriam, ii ex Gręcis non deſumpſerint; *volui*, inquit, *rem eam involutam ſane*, *&* *nemini adhuc*, *quod ſcio ſatis perceptam ſic explicare*, *ut expoſitis ordinibus temporum*, *uno in conſpectu omnia videres*.

Eadem fere contagii vi inſignis. Cæterum ratione contagii a peſtilenti febre parum differre ex eo potiſſimum conſtat, quod ſerpit in humanum genus tanta ſævitie ut neminem cujuſvis fere ætatis, ſexus, temperamenti, nationis pręteteat, & ex hominum

mil-

millibus vix unum reperire liceat, qui ſemel ſaltem in vita hos affectus non patiatur, ut Riverius teſtatur, & diuturna experientia compertum eſt. Si quis afferat exempla eorum, qui bis, terque variolis duorum, aut trium menſium ſpatio correpti ſunt, vereor ne quoddam puſtularum genus variolis ſimile iis facile imponat. Id mihi quoque obſervare contigit in duobus ægrotantibus, qui poſtquam in infantia variolas paſſi ſunt, alio puſtularum genere laborarunt, quæ quoniam quatuor temporibus, ſive ſtadiis diſtinctæ non ſint, & vix apparentes ad ultimum fere gradum deveniant, citoque evaneſcant, ſpurias, ac nothas appellare non dubitarim. Quid de mira eorum fœcunditate dicam, qua facillime innaſcuntur, amplificantur & creſcunt? Animadverſione dignum eſt hoc loco, quod certiſſimis Anglorum experimentis compertum eſt, inſtituta inſitione variolas confertim erumpere & germinare, ſi nempe detracti puris ex aliquo varioloſo homine particula in cutem fauciatam alterius ſani immitatur: protinus enim huncce morbum efflореſcere ſuis fere omnibus ſymptomatibus & affectionibus ſtipatum haud injucundo ſpectaculo deprehenſum eſt.

Et cujus cauſa fere eadem, corruptio ſcilicet ſanguinis per coagulationem, & diſſolutionem ſimul. Si variolarum, & morbillorum originem, aut ab occulto Syderum influxu, aut ab innato nobiſcum principio, & innominato, ut ajunt, veneno repetam, præterquamquod mera figmenta ſequar, remque ad abſtruſa, & abdita principia revocando, eo abditiorem, atque inſcrutabiliorem efficiam, accedit præterea nihil proferre, quo cognitio Medica proficiat, aut praxis. Neque ſi ad venenatam occultam qualitatem referam, quidquam dicam, quo proximam cauſam aſſequi valeam, aut eas, a quibus curandi indicationes potiſſimum eliciantur. Quoties enim occultam quamdam qualitatem, venenatum fermentum in medium profero, cauſam me neſcire poſtea velim nolim, fateri cogor. Si ad pervulgatas, ac tritas revocem, quales vulgo perhibentur a Veteribus, ad ſanguinis ſcilicet menſtrui ſub ingravidatione retenti immunditiem fœtui communicatam, aliquod forte dicam, quod veroſimilitudinis ſpeciem quamdam præſefert. Id enim docent Arabes luculento vini exemplo, cujus meminit Riverius, quod dum adhuc recens, & muſti naturam retinens in dolium mucidum, aut prava alia qualitate infectum infunditur, a dolio quidem malam illam qualitatem recipit: dum vero per ebullitionem depuratur non modo ſe ipſum, ſed & dolium purificat. Iſtam autem ebullitionem, ſeu mavis fermentationem nunc citius, nunc ocyus in hominibus excitari paſſim putant, prout citius, aut ocyus ab externa aliqua cauſa commovetur. Ut ut res eſt, primordia variolarum ab utero materno eſſe repetenda, facit potiſſimum, quod cum multis, ac frequentibus, tum certis, ac conſtantibus obſervationibus compertum eſt infantes a Matre minus ſana, praviſque ſuccis referta progenitos, variolis mali moris, & quandoque exitialibus corripi, matre licet ſub geſtatione vegeta, ob impuros ſuccos in fœtum tranſeuntes: viciſſim gravidas, ſi proba victus ratione, & affectuum moderatione gubernentur, ſi opportune plenitudini occurrant venæ ſectione, cachochymiæ purgatione, ſudore, aliiſque Medicis auxiliis, infantes edere, qui variolis & paucis, & benignis corripi ſolent, ut Frid. Hoffmannus teſtatus eſt (*b*). Ecquis vero vel e Medicinę tyronibus neſciat hanc, & ſimiles cauſas in antecedentium potius numero recenſendas eſſe? Qua enim ratione certiſſimos variolarum effectus hiſce ſuccorum impuritatibus a materno utero derivatis, tamquam rivulum a fonte emanantes explicem, ſtagnationem videlicet in glandulis ſubcutaneis, in viſceribus internis omnibus, ut conſtat obſervationibus cadaverum, quæ ejuſmodi morbo perempta ſunt, cerebro, & oculis plerunque exceptis, & violentas ſimul, enormeſque excretiones, atque hæmorrhagias, quas ſuo

(*b*) *Cap.* 7. *de feb. variol.* §. 1. *n.* 3.

ſuo loco percenſebo numerando? Cum idem fere ſit contagioſarum , ac peſtilentium maxime proprium , ut ſtagnationis , & eliquationis ſimul præclariſſima edant argumenta per maculas , exanthemata , petechias , bubones , parotides nec non enormes vomitus , diarrhæas , dyſenterias aliaque id genus ſymptomata , quæ ad corruptionem ſanguinis per coagulationem , & diſſolutionem ſimul referenda eſſe demonſtratum eſt , cur ab eodem ferme ſanguinis vitio variolæ , ac morbilli proxime , atque immediate repetendi non ſint , omnino non video.

II. *Quam fere inducit venenum acre , tenue , celerrimi motus , quod una cum craſſioribus partibus &c.* Conſequens inde eſſe ut fermentum perniocioſum , & virulentum , venenum ſi libet in variolis , & morbillis potiſſimam partem agat , ſed remote tantum manifeſta adeo res eſt , ut manifeſtior ſit nulla , idque potiſſimum acrimonia ſua , tenuitate , mobilitate , qua ſanguinis maſſulas diſſolvit in ſua elementa , unde quæ tenuiora ſunt , & ad motum magis prona , fuſa , & ſoluta manent , quæ vero craſſiora ſunt , terreſtria , & inertia coeunt , & in maſſulas majores coaleſcunt. Cum his potiſſimum motu quodam critico ad cutim propelli contingit organicam partem , ut cætera viſcera , atque ex fibris tendineis , papillis nerveis , diverſis glandulis milliaribus a Malpighio dictis , vaſis arterioſis , venoſiſque compoſitam , ibidemque hærere , ac ſubſiſtere non tantum ob diſtantiam longiſſimam a viribus cordis propellentibus , aut maſſularum inertiam ad motum , aut vaſculorum anguſtiam , ſeu contractionem majorem , quam eiſdem libera circulatione trajiciendis ſufficiant , ſed ob cauſticam ac exedentem virulenti fermenti vim cutis texturam pervertentem inflammando , exulcerando , unde puſtulæ variæ indolis , ac naturæ exeunt , prout craſſioribus , aut ſubtilioribus particulis erit admixtum , & quæ fermentationis capaces ſunt , vel per minutiſſimos cutis poros exhalationi idoneæ , unde orta diviſio variolarum , & morbillorum. Variolæ quidem nominari conſueverunt puſtulæ majores varis perſimiles , unde nomen ſortitæ ſunt , queque ad ſuppurationem pervenire ſolent : morbilli vero puſtulæ perexiguæ , & veluti cutis aſperitates cum intenſa rubedine inſtar eryſipelatum , quæ intra quinque , vel ſeptem dies ſuppuratione diſcutiuntur. Quod non aliunde repetendum eſſe facile judicaverim , quam ex materiæ conditione minus cauſticæ erodentiſque , ut in variolis , unde morbilloſa febris , totuſque morbus ob id longe mitior , nec tantam ſtragem , atque interitum efficiens. Quæ res potiſſimum anſam dedit Frid. Hoffmanno , Mortono præeunte , a communi , ac trita Medicorum conſuetudine deſciſcendi , atque eorum tractationem inſtituendi. Qui tamen cum fateatur utramque febrem exanthematicam , contagioſam , & epidemicam eſſe omnibus hominibus perpetiendam , nec non certis temporibus magis , vel minus benignam , & ſequi quam maxime atmoſphære ſtatum , corporis diſpoſitionem , ac temperamentum , & quod magis eſt eamdem omnino curationem , licet quoad cauſam , genium , diagnoſim , prognoſim utriſque inſignem intercedere differentiam prætendat , quæ rem ſedulo , & accurate perpendenti non alia occurrit , quam quæ a cauſæ plus minus vehementer operantis vi oriri poteſt , ne longiores in rebus tam paucis , & levibus videremur , ſequuti non ſumus. Tertium puſtularum genus pueris familiare , & variolis ſimile , quoad magnitudinem , ac figuram , cujus ſupra meminimus deſcripſit accurate Vidus Vidius his verbis : *Sunt qui præter duas ſpecies cryſtallos adjiciant. Sic enim appellant quaſdam veluti veſiculas plenas aqua inſtar cryſtalli ſplendentes , quibus cutis variis locis diſtinguitur , has nunc vulgo nominant ravaglione. In quas non ita incurrunt omnes homines , ſicut in variolas , & morbillos : neque ſub ipſis ita affliguntur. Quamobrem non videntur tamquam tertia ſpecies morbillis , & variolis adjiciendæ.* Venenum porro variolas , ac morbillos excitans licet acre , tenue dixerim , ac ſumme mobile , ſi occulta qualitate agere contendas,

das non multum pugnabo. Licet enim conſtet calorem e. gr. frigus, acrimoniam, mobilitatem, aut aliam ſimilem affectionem a figura, modiſque ſuarum partium naſci, vel ſaltem figuras, modoſque materiæ eſſe inſtrumenta formarum ad corpus deſtruendum, quis tamen mortalium ſcire poteſt, qua magnitudine, quo motu, qua figura præditę ſint veneni corpuſcula, quæ noſtri corporis fluida corrumpunt ea ratione, qua opus eſt ad varioloſas, ac morbilloſas febres procreandas? Neque in his perſcrutandis operam perdendam eſſe alibi a nobis adnotatum eſt, contendentibus ſatis ſuperque eſſe venenorum vires actioneſque homini infeſtiſſimas ſedula ratione explorare, licet eorumdem intima natura, agendique modus adhuc lateat in obſcuro. (*c*)

Tamdiu autem in ſanguine deliteſcere contingit &c. In memoriam hoc loco ſunt revocanda, quæ de veneno canis rabidi alibi diximus (*d*), quod in homines propagatum ſeptem, tredecim, & viginti annorum ſpatio in corpore latere poteſt, priuſquam eo infecti appareant, ut Dioſcoridis, Hildani, aliorumque obſervationibus compertum eſt. Animadverſionem etiam meretur cancer, qui in glandularum ſubſtantia quam diutiſſime reconditus, tandem pernicioſo, ac virulento principio, a quo originem ſuam mutuantur a latibulis ſuis educto, ſuos funeſtos effectus parit, ut myaſma venereum ſilentio pretermeam, quod per lac nutricis infanti communicatum nonniſi ſpatio temporis longioris vim ſuam prodere, & ferociam exercere, vel in adultis per gonorrhæam virulentam ſuppreſſam ad interiora pulſum per annos interdum latere, & quieſcere priuſquam ferociat, unde præclare dicitur pueros uſque ad ſeptimum ætatis annum cum ob molliorem temperiem vermibus magis ſubjaceant, quam adulti, mercurialibus ad eos enecandos eſſe pertractandos, adultos ad luem veneream profligandam, quæ vel acquiſita, vel hæreditaria a parentibus, avis, proaviſque ſingulos homines infeſtat. Si eadem ratione latere poſſe dicas ſeminium variolarum, & morbillorum diu ante ſuſceptum, ſanguinique, ac cæteris humoribus interſperſum, donec collectis viribus quamcitiſſime moveatur, & pernicioſas ſuas vires exerat, febrem ſuſcitando diris ſymptomatis comitatam, puſtularum eruptionibus, cæteriſque lethiferis adjunctis, plus ſane non dices, quam præclariſſimi viri, qui de hiſce febribus accurate ſcripſerunt, præ cæteris vero Cl. Frid. Hoffmannus, qui non ſolum viſcoſitate quadam involutum, firmiſque tubulis quibuſdam impactum deliteſcere tamdiu, donec in motum fermentativum, ſui multiplicativum, ut ipſe ait, ab aliis cauſis deducatur, ſuccis inſinuetur, & critica quaſi deſpumatione e corpore exturbetur, ſed peculiare ipſius latibulum, medullæ ſpinalis tubulos quoſdam obſtructos ingenioſe admodum ſubtiliterque conſtituit. Recte ne an ſecus non facile dixerim. Præterquam enim quod præjudicatæ mentis vitio non caret extraordinaria quædam phænomena, & admirabilia, a quibus praxis quicquam proficit altius perſequi, ut ipſe paulo inferius teſtatur, accedit præterea latens diu ubivis virulentum fermentum, ubi a cæterorum humorum vinculo expeditum, ac ſui juris factum ſanguinis maſſam corrumpit, ſolidas etiam partes inſigniter lædere, nervoſas præſertim, quę ſenſu exquiſito præditæ in vehementiores, & inordinatas contractiones aguntur, unde fere ſymptomata, quæ in malignis, ac peſtilentibus obſervari ſolent, in varioloſa etiam, ac morbilloſa proficiſcuntur, dolor capitis, convulſiones, deliria, tremores artuum, vomitus, diarrhææ, vigiliæ, aliaque id genus quæ clare concipi, & intelligi poſſunt, etiamſi venenum ex imis medullæ, maximeque illius portionis, quæ in inferiori regione ſpinæ non prodeat. Nonne enim veneno ore aſſumpto, ac per venas lacteas ſanguinem ſubeunte, aut peſtifero myaſmate per poros cutis, aut pulmones ingreſſo eadem fere phænomena momento fere temporis contin-

(*c*) *Lib.* 1. *aph. cap.* 7. *com.* 4. (*d*) *Ibid.*

tingunt? Quapropter ſatius eſſe duxerim fateri ſenſus noſtros omnino fugere præciſam ſedem diu latentis venenati myaſmatis, neque cogitandum eſſe, cum affecti ſunt nervi a cauſa aliqua mole ſpectabili, atque ipſos aculei ad inſtar ſtimulantis, pungentis corrodentis oriri. Sæpe enim minimum eſt, ac longiſſime a Spinali medulla diſſitum, quod eos lędit, & maximas in ipſis perturbationes creat. Sic levi odore horrendas convulſiones in fœminis excitari videmus, inconſpicuo halitu in contagioſis, ac peſtilentibus febribus actiones omnes noſtri corporis perverti.

Quamdiu ab ætatis mutatione, ab aere, a contagio &c. Tempore pubertatis inſignes mutationes fieri in ſolidis partibus, robur videlicet, atque elaterem acquirendo conſtat potiſſimum ex plerorumque morborum, Epilepſię præſertim curatione, quam diverſis in locis feliciſſime peragi per ætatem docuit Hippocrates, ab hac vero non ſanatam ægrius, vel nunquam tolli, quod & Galeni, & Riverii, aliorumque obſervationibus adeo confirmatum eſt, ut nullus ambigendi locus relinquatur. (*e*) Hinc cuique ætati juxta Veteres ſuum erat temperamentum: pueritiam calidam & humidam faciebant, juventutem calidam, & ſiccam, conſiſtentem ętatem frigidam, & ſiccam &c. Quæ doctrina ſi ad noſtra principia redigatur, nihil eſt ſane cur quoad rem noſtram attinet omnino rejiciatur. Cum enim temperamentum ab Hoffmanno definiatur certa partium ſolidarum, & fluidarum habitudo ad circulum ſanguinis, motuſque in corpore humano, & functiones tam naturales, quam vitales, & animales perficiendas, pro diverſo autem ſanguinis circulo, ejuſque in partes ſolidas influxu, diverſo modo ſe habere robur corporis, ejus functiones, ſecretiones, excretionesque, ſeu quod eodem recidit temperamentum pro vario ſanguinis circulo variari, cum vero ſanguinis circulus a cordis, arteriarum, muſculorum, fibrarum, ſolidarumque partium impellentium vi potiſſimum, atque elatere dependeat, quæ vis, atque elater ſolidorum ætatis mutatione intenditur, ſi præſertim de pueritia ſermo ſit, quæ infantiæ ſuccedit, in qua habitus plerumque mollis, ac tenellus eſt, aut de pubertate, aut adoleſcentia, in quibus adhuc magis fibræ firmantur, ac tenduntur, hinc varie etiam exagitari fluidas partes neceſſe eſt, pulſum frequentiorem fieri, vehementioremque, ſulphureas, tenuioreſque particulas exaltari, ſpiritus copioſius ſeparari, agilioreſque, atque propterea virulentum myaſma alicubi impactum excuti, dimoveri, in motum agi, aut ſanguini etiam ac cæteris humoribus interſperſum ita ab eorum nexu, ac vinculo expediri, ut quaſi ſigno dato repente moveatur, febremque varioloſam, aut morbilloſam exſuſcitet. Niſi ab aucto ſolidarum partium elatere, fluidorumque impetu deliteſcens venenum exaltetur in tota pueritia, quæ uſque ad vigeſimum quintum annum extenditur, in qua inſignes mutationes contingunt, rarius plerumque vires ſuas exerit in juventute, multo minus in ætate conſiſtente, numquam fere in ſenectute, in quibus nullæ in ſolidis partibus, & humoribus mutationes fiunt, aut eæ tantum, quibus illorum vis, ac robur langueſcat, illorum vero attritio, exſolutio ceſſet, aut imminuatur, promptitudo ad fluendum maximopere retardetur. Quid ergo ni liceat conjectari dictis de cauſis variolas plerumque pueros infeſtare, raro juvenes adoriri, nunquam fere ſenes? Quemadmodum epilepſię viginti quinque annos natis ſupervenientes nunquam fere curari Hippocratis, aliorumque teſtimonia luculenter oſtendunt. Sed hæc ſatis de ætatis mutatione. De aere, & contagio, vix ulla ſuppetunt, quæ dicam, cum inſignes utriuſque vires ad corpus noſtrum labefactandum, atque malignas, & peſtilentes febres excitandas, capite antecedenti ad examen ſic revocarim, ut ſi eas nunc denuo aut percenſere numerando velim, aut explicare dicendo, rem aut longiorem faciam, aut obſcuriorem.

IV. *Variolas & morbillos portendunt febris acuta, & gravis dolore pulſatorio comita-*

(*e*) *Aph. lib.* 1. *cap.* 7. *com.* 9.

mitata &c. Ad quatuor ſtadia, ſive tempora, quæ morbus iſte decurrere ſolet, ebullitionem, ſive apparatum, puſtularum eruptionem, ſuppurationem, atque exſiccationem adeo diligenter attendendam eſſe monuit Cl. Mortonus, *ut difficile admodum ſit hac diſtinctione omiſſa veram ipſius morbi ideam formare, ſymptomatum cauſas eruere, ſigna diagnoſtica, vel prognoſtica rite proferre, vel indicationes curativas rationi congruentes elicere, ac ſtabilire*. Tempus igitur ebullitionis illud eſſe intelligimus, in quo variolarum ſemina, diu ante ſuſcepta, facto impetu in motum acta ſanguinis texturam, & craſim immutant eam corrumpendo, ſolidas vero partes vehementer ſtimulant, vellicant, atque erodunt. Corrupta enim ſanguinis maſſa, ſeu in ſua elementa diſſoluta ab acri, tenui, celerrimique motus veneno, craſſiores, terreſtres, & inertes partes coeuntes, & in majores maſſulas coaleſcentes ad capillares arterias capitis facile hærere coguntur, dum liquidæ, ſulphureæ, tenues, volatilioreſque particulæ ſolum manentes circulationem ſanguinis pervertunt, & febrem inducunt dolore capitis pulſatorio comitatam circa frontem, & tempora, dum vel ſalino-acris altius penetrans, atque in nervos ſeſe inſinuans, ac ſpiritus animales in furorem, cæcumque impetum agens, vigilias, deliria, lancinationes in dorſo, epilepſias, cordis palpitationes, anxietates, aliaque ejuſmodi graviſſima ſymptomata procreat. Quid quod eodem vitio lymphæ communicato, atque in glandulas ventriculi, œſophagi, laryngis, & oculorum traducto, vomitus, tuſſes, raucedines, oculorum rubedinem, lacrymarum profuſionem, aliaſque ſimiles affectiones excitet?

V. *Si poſt duos treſque dies puſtulæ, ac tubercula ſenſim ſuccreſcant &c.* Hactenus recenſita ſymptomata aliis etiam morbis, & febribus communia ſunt. Propria vero variolarum, & morbillorum in ſecundo ſtadio, ſive eruptione clare innoteſcunt. Sunt ea fere puſtulæ, ac tubercula ſuccreſcentia ſenſim, ſenſimque forma primum minutiſſimæ papulæ, quæ mox attolluntur, vel inflantur non aliunde repetenda, quam ab eodem virulento principio, a quo ſanguis corrumpitur, quod poſt varios circuitus ita ſubigitur, ac miſcetur cum diſſolutis ſanguinis maſſulis, ut ad exitum impediatur. Propterea fit, ut lucta oborta & agitatione, eaque diutius perdurante ex diductis vaſorum tunicis elabatur in ſpatia interjecta, vel etiam ex iiſdem recluſis intra glandularum folliculos recedat. Diſſolutæ ſanguinis maſſulę in ſua elementa, ſi in novas maſſulas coaleſcant ea ratione, qua ibi hærentes cujuſdam veluti fermentationis capaces ſint, atque ebullitionis, diſtrahent facili negotio latera ſpatii, in quo continentur, & grandia quædam tubercula efficient, quæ niſi ab inſolita vehementiori cauſa areſiant, ſiccenturque ad ſuppurationem devenient: ſi tenuiores ſanguinis maſſulæ ad motum pronæ fuſæ, & ſolutæ maneant ea ratione, qua paulatim reſolvantur caloris vi, & perſpiratione abſumantur, non grandiores tumores excitabunt, ſed parvas eminentias, ſeu puſtulas, vel quaſi cutis aſperitates, quæ continuata exhalatione intra breve, vel quinque, aut ſex dierum ſpatium abſumentur. Alterutrum vero, aut utrumque contingat, ſolutæ jam ſanguinis partes in univerſum corpus diffuſæ, qua e minimorum vaſculorum orificiis elabendo hæmorrhagias pariunt, qua acrius tonſillas pungendo, atque capillarium extremitates convellendo ea ratione, qua liber ſanguinis curſus præpediatur, earumdem inflammationem, qua linguæ papillas adurendo, ejuſdem ſcabritiem, qua teneras oris membranas corrodendo, aphthas, qua tunicæ oculorum adnatæ vaſcula ſtimulando, atque anguſtiora efficiendo, quam ſanguini, cæteriſque humoribus libera, circulatione trajiciendis ſufficiant ophthalmiam, oculorum nebulas, qua ſalivales glandulas ad liberalem ſui humoris effuſionem ſollicitando ptyaliſmum. Cum vero non ſuppurentur morbilli, nil mirum pro varia humoris ſtagnantis conditio-

tione alias rubeſcere, alias violaceum, & etiam lividum colorem exhibere. Qui ad hæc diligenter attendat, facile morbillos a reliquis excretionibus cutaneis diſcernet. Petechiæ præterquamquod longe mitioribus ſymptomatibus ſtipantur, accedit præterea minore amplitudine, & elevatione præditas eſſe. Purpura alba maculas exhibet, ex quibus puſtulæ exiguæ, pellucidæ ſurgunt, quod de morbillis affirmari non poteſt: Rubra eminentias dat milliares duras, & aſperas: Rubeolæ, & Roſſalia non ſolum febrem habent irregularem, ſed illæ maculas habent minoris amplitudinis, quam in morbillis; hæc vero majoris, ut propterea univerſum fere corpus eryſipelate affectum videatur.

VI. *Si puſtulæ attollantur in abſceſſus albos, rotundoſque quæ tamen aliquando compreſſæ.* Non poſſunt humores in aliqua parte diu conſiſtere, quin etiam componentes partes ſenſim a ſe mutuo ſolvantur, atque ſecedant, ſubtiliores avolent, craſſiores vero remaneant, paulatimque corrumpantur in bonum quidem, ac laudabile pus, ſi virulenti principii vis retundatur, & cohibeatur a debita craſſiorum, humidiorumque particularum copia, unde puſtulæ emergunt temperatæ, & ſuppurationi idoneæ: Quæ dum fit acres, volatiles, ſulphureæ particulæ exaltatæ, atque in univerſam ſanguinis maſſam diffuſæ agitationem, ejuſque furorem augent, unde ſymptomata omnia exacerbantur, & recrudeſcunt docente ipſo Hippocrate, dum pus fit dolorem, & febrem augeri. Animadverſione dignum eſt hoc loco ptyaliſmum plerumque in hoc tertio ſtadio ceſſare, quod ſane opinionem confirmat ad bonum, ac laudabile pus conficiendum opus eſſe debita humidiorum particularum copia, quibus virulenti miaſmatis vis cohibeatur: hiſce igitur ad univerſam cutis peripheriam delatis critico naturæ motu, veritati conſentaneum videtur aſſerere ad ſalivales glandulas influere ea ratione non poſſe, qua frequens ſalivæ expuitio habeatur.

VII. *Si ſuppurata tubercula liquorem puri ſimilem fere effundant, vel in cruſtam ſiccam indurentur &c.* Ultimum etiam variolarum ſtadium inſignem eorum differentiam facit a morbillis. Nam præterquamquod morbilli non ſuppurantur, neque dolorem, ardoremque pariunt, ſed inſignem tantum declinante morbo pruritum in genis, labiis, & toto corpore, qua ægrotantes ad ſcalpendum excitantur, ac propterea citra liquidi ſanioris effuſionem exſiccantur, accedit præterea exſiccationem ipſam diverſa ratione contingere: nam in variolis ſuppurata tubercula liquorem puri ſimilem effundunt, vel in cruſtam ſiccatam indurantur, fœda relinquunt veſtigia, atque ulcera in articulis, & partibus externis: morbilli vero ſquammulas ſolum furfuraceas ſucceſſive decidentes, ut præ cæteris Hoffmannus teſtatus eſt.

VIII. *Si puſtulæ disjunctæ fuerint albæ, aut rubræ, rotundæ, molles, & a ſede vitali, & naturali remotæ &c.* Præclara eſt variolarum diviſio in benignas, & malignas: benignę produnt ſe primum numero, quę & parvę ſunt & raræ ſeu diſcretæ, præterea magnitudine mediocres, colore albæ, figura rotundę, conſiſtentia molles. Si ſolus numerus ſpectetur in fraudem facile induci poſſumus de benigna ipſarum indole pronuntiantes, cum intrinſecus in æſophago, intra pectus, & viſcera enaſci queant, ob tenacitatem particularum ſanguinis, quæ in majores maſſulas concreſcere ſolent, quęque facile adhęreſcunt extremitatibus vaſorum internas partes irrigantium, vel ob inſignem earumdem quaquaverſum diffuſarum copiam, nec alicubi hærentium. Quid quod virulentum miaſma, quod una cum craſſioribus, & inertibus particulis ambitum verſus urgeri deberet, imminuta ſanguinis agitatione in partem aliquam interiorem cumuletur, ibique inflammationem, & abſceſſum faciat, unde vel nullę, vel paucæ in cutem variolę efflo-reſcunt? Tunc vero eorum pręſentia colligi debet ex febre valde acuta, & gravi, ex pectoris anguſtia, tuſſi, difficili reſpiratione, ex magnis doloribus ventris, & inte-

inteſtinorum cruciatibus, aliiſque id genus ſymptomatis, quę ubi abeſſe deprehendantur boni ominis inditia eſſe conſueverunt. Si his addatur albus, aut rubeſcens color, quid aliud liceat conjicere, quam ſanguinem vix a naturali craſi recedentem, nec valde corruptum; ſi rotundę ſint, magnę, elevatę, quam debitam cordis, & arteriarum vim, atque elaterem ad expellendum id quod corpori infeſtum eſt, & humidiorum particularum affluxum ad venenati fermenti acrimoniam infringendam, ac cohibendam; ſi molles & albæ fiant, quam diſpoſitionem ad bonum, ac laudabile pus conficiendum, aut ſaltem ad ichorem ſeroſum, & acrem emittendum, qui cutem corrodens vel ulcuſcula excitat, & altiores foveas efficit, quæ propterea in cute veſtigia ſolet relinquere? Huc accedit variolis longe a ſede vitali, & naturali diſſitis, minus ſubeſſe periculi, quin intro aperiantur, majora adhuc ulcera, & vitia ſaltem intrinſecus imprimant, & ſi forte fuerint in via chyli pus inde, & ichor ad inquinandum chylum ipſum, & ſanguinem deductus uberiorem variolis, & febri materiam præbeat. Verum quoniam futurorum ſcientia humanæ mentis vires ſuperat, & pauciſſimis divino munere conceditur, conjecturæque ſolæ relictæ ad præſagia inſtituenda fallere poſſunt, ideo niſi certæ ſalutis faces affulſerint, nihil temere pronuntiandum eſt, quæ ut in morbis omnibus acutis, ita & in variolis longius erui poſſunt a nonnullorum ſymptomatum, quæ initio ægros exercere ſolent, remiſſione in augmento inter quæ maxime eminent hæmorrhagiæ, & epilepſia, & reliquorum omnium ſimul cum febre in ſtatu morbi, aut incipiente declinatione. Jam de malignis variolis ſermo urget, quæ cum inſignem ſanguinis corruptionem pro cauſa proxima agnoſcant, & eam quæ fit cum maſſulæ fibroſæ, rubræ, a ſe invicem ſegregantur, non inchoatam tantum, & levem, ſed perfectam diſſolutionem maſſularum earumdem in ſua elementa ſalina, ſulphurea, terrea a cauſtico, corrodenteque fermento, varie etiam erumpere ſolent, depreſſæ quidem ob ſpirituum jacturam, ac languеſcentem cordis ad impellendum vim, maculis vero nigris notatæ, vel lividæ a putrefactione intima ſanguinis, qua rutilum colorem amittens nigrum, aut liveſcentem, aut ſimilem colorem acquirit. Ab hoc eodem fonte, & pulſus frequentiam, & ſyncopem, & alia horrenda ſymptomata, diarrhœas præſertim, & mictus cruentos repetenda eſſe ex dictis de peſtilente febre adeo manifeſtum eſt, ut curioſiore explicatione nullatenus indigere poſſe putem. Lethales adeo ejuſcemodi variolas eſſe tradidit Hoffmannus (*f*), ut ex viginti vix unus evadat, qui iiſdem corripitur, atque ſectione cadaverum, qui hac variolarum ſpecie occubuerunt, ſanguinem fluidum eſſe totum, nec in ſerum, nec in coagulum ſecedere ſæpius obſervaſſe teſtatur, *manifeſto inditio*, ut ait *putrefactione intima ejus craſim plane eſſe colliquatam*, *&* *vinculum ſeri*, *& ſanguinis deſtructum &c.* Quæ omnia luculenter oſtendunt diverſam eſſe virulenti miaſmatis acrimoniam, quæ ſanguinis, & humorum temperiem varie pervertit, eorum ſubſtantiam corrumpendo, quarum ſumma illa videtur, qua carnes exeduntur, & oſſa ipſa corroduntur, quod interdum accidere in pueris, & tenellis corporibus deprehenditur. Quid ſi putreſcentibus variolis malignis, & confluentibus putris humor in ſanguinem remeans peſſimam febrem accendit, quæ aut decima quarta, vel decima ſeptima, aut circa vigeſimam omni ſpe ſalutis abjecta vitam miſerrime extinguit? Hæc fere eſt illa febris quam adventitiam, & ſecundariam appellavit Sydenhamius, atque ad putridarum cenſum revocavit, magnum Medentibus laborem afferentem, ut ſuperetur.

IX. *Secunda vel tertia die ante eruptionem*, *ſi febris fuerit vehemens &c.* Jam de morbi pathologia hactenus plura. Remediorum hiſtoriam therapeuticam quod

 ſpe-

(*f*) *Sect.* 1. *de feb. variol. cap.* 7.

ſpectat diſputant practici, quid agendum in variolis, num ſcilicet committendum ſit opus omne naturæ, an manus medica adjicienda ad acrem cauſticam materiam contemperandam, ad effrænes vaſorum, ac nervorum motus compeſcendos, ad eruptionem variolarum promovendam, ad ſanguinem ſecundaria, accedente febre putrida repurgandum, ad graviora ſymptomata coercenda. Profecto qui cenſent in varioloſa febre, prout & naturæ, & fortunæ febris eſt, nihil eſſe agendum, & variolarum medendi methodum eſſe curare variolas ſine remediis, ii fortaſſe rem melius intelligunt, quam qui artificioſa medicatione per ſpirituoſa, per volatilia, aliaque commoventia, atque exaltantia remedia: aut contra per refrigerantia, compeſcentia præpoſtere adhibita, naturæ opus evertunt. Ut autem ordine procedamus ea ſunt examinanda remedia, quę in quocumque tempore, ſive ſtadio variolarum adhiberi paſſim ſolent a Medicis: quę cum quatuor ſint conſtituta, ebullitionis, eruptionis, ſuppurationis, & exſiccationis, quid in priore primum agendum ſedulo, & accurate perquirendum. Tempore igitur ebullitionis, cum febris Synochos æmuletur, nullaque puſtularum eruptio adſit, quæritur utrum vena ſecanda. Qui ad generale venæ ſectionis indicans attendunt, nimiam videlicet humoris arterioſi venoſique copiam vel abſolutam, & veram, vel relativam, & apparentem, qui ad habitum corporis plenum, vaſiſque amplis, ac turgentibus præditum, qui ad virium robur, ac cætera coindicantia, cum hæc omnia deprehendant in varioloſo homine, nulli dubitant, quin optime cedat operatio. Utraque enim plenitudo venæ ſectione tollitur utiliſſime, vel dempta materie ſanguinis, vel orgaſmo nimio, ac rareſcentia ſedata: quo fit, ut variolæ vel parcius, & diſcretæ erumpant, vel viſcerum inflammatio pręcaveatur, vel totus febris decurſus mitioribus ſymptomatibus ſtipetur. Qui vero ad ętatem puerilem reſpiciunt ferendę venæ ſectioni minus accommodatam, qua plerumque invadere ſolent variolæ, licet ratione febris ſynochi putridę, effervefcentiæ ſummæ, atque orgaſmi ſanguinis fateantur indicari venę ſectionem, ratione tamen ſubjecti in puerili ętate conſtituti venę ſectionem perhorreſcunt. Qui tamen hodie audiendi non ſunt, cum experientia compertum ſit, etiam in tali ætate non ita formidandam eſſe, quin aliquo acuto morbo, & calido urgente, velut varioloſa febre adminiſtretur, præſertim ſi vires permittant, & vaſa ampliora ſint, & ſanguinis copia turgens. Quid enim ſi phlebotomię loco cucurbitulas ſcharificatas applicemus? Alia ne ratione ejuſmodi pręſidia differunt inter ſe, quam ex eo quod per phlebotomiam ſanguis e majoribus vaſis educitur, per cucurbitulas a minoribus? Cum vero ſanguis fluat & refluat a vaſis majoribus ad minora eamdem ſanguinis copiam imminui, nimium orgaſmum, rareſcentiam compeſci, ac ſtagnationem in vaſis pręcaveri perſpicuum eſt. Neque te ab opinione removeat mittendi ſanguinem, criticæ evacuationis nomen: præterquam enim quod ante eruptionem miſſionem ſanguinis celebrandam eſſe diximus, accedit præterea vel in ipſa incipiente eruptione, & longius progreſſa, ſi aut atrox dolor capitis, aut artuum, & lumborum, aut truculentus ſpaſmus, aut dolor pleuriticus, ſeu peripneumonicus urgeat, aliaque horrenda ſymptomata, quorum neglectu plures non minus, quam a veneno primario variolis confluentibus, & malignis interemptos periiſſe teſtatus eſt Mortonus (*g*), venę ſectione liberali, eaque ſi opus ſit repetita occurrendum eſſe. Quid ſi ſecundaria, & putrida febris undecimo, vel alio die confluentibus ſuperveniat? Nullo enimvero alio pręſidii genere ex monito Sydenhamii tam prompte, ac tuto ſedari poteſt periculoſiſſimus humorum orgaſmus, & æſtus ſanguinis, quam ſecta quam primum vena brachii rarioribus puſtulis circumſepta, miſſoque liberaliter ſanguine ad ℥ x. & ultra juxta patientis habitum, ætatem, & vires,

(*g*) *De app. variol. cap. 7.*

res, iterata etiam venę ſectione, ſi eam requirat ſymptomatum magnitudo. Si vero puſtulis erumpere incipientibus febris miteſcat, ſymptomata omnia remittant, vel antequam erumpant gracilis ſit ęgri habitus cum vaſorum exilitate conjunctus, nec æſtus comitetur, & orgaſmus inſignis, debilitas virium adſit, tunc ſatius eſſe duxerim omne opus naturę bene operanti relinquere, quæ totam materiem morbificam ad cutem ſufficienter expulſura eſt, docente experientia infinitos pueros benignioribus variolis laborantes, neque plethoricos feliciſſime curatos fuiſſe: immo ſi venę ſectio celebretur illud maxime verendum eſſe, ne nimia ſanguinis copia ſubtracta materia intus detineatur, & eruptio ad plures dies protrahatur magno ægrotantium diſcrimine, ut egregie Hoffmannus oſtendit.

X. *Purgatio utcumque lenis, periculoſa inter initia*. Si eos audimus, qui certis obſervationibus edocti alvi fluxum licet copioſum per totius morbi decurſum ſine ullo periculo ſucceſſiſſe, hi non ſolum purgationem variolarum eruptioni contrariam eſſe facile putant, ſed inſtituendam a Medicis eſſe pugnaciſſime ſuſtinent. Opinioni anſam dedit Amatus Luſitanus inquiens (*h*) *Pervenere hac æſtate ad manus noſtras plus minus C L pueri variolis, & morbillis affecti, e quibus parentum ex culpa evacuatio facta non fuit, vitam cum morte commutarunt, numero tres: alii vero quatuor in ulcera difficillima, & male morigerata pervenerunt, quæ cum aphthis communionem habent, & facile in gangręnam abeunt. Iis ſimilis ſuperſtes puer, qui ulcus cancroſum, & malignum cubitum dextri brachii occupans multis foraminibus perforatum habet*. Cum eadem ſit Ballonii (*i*) ſententia, & Hoffmanni, nullus dubitandi locus relinqui videtur. Si tamen ſedulo, & accurate perpendant, qua potiſſimum ratione purgantia medicamenta operentur, intelligent facile ad purgantia medicamenta in varioloſa febre non ſine magna præmeditatione, & eorum delectu deveniendum eſſe. Ut igitur miſſa faciamus, quæ acribus, ac fere cauſticis particulis non ſolum inteſtina vellicant, ac pęne corrodunt, ſed præterea in venas lacteas, & inde in ſanguinem invecta ejus texturam ſolvunt, atque colliquant, agitationem in ipſum inducunt, quibus efficitur, ut humores fuſi uberius ad inteſtina confluant, & in cavitatem inteſtinorum effundantur, ceu quæ omnino reijcienda eſſe a Medicis non ſemel a nobis demonſtratum eſt; certum eſt non ſolum in materiam excernendam agere purgantia, vel inteſtina ipſa leniter ſtimulare; ſed eorum tum periſtalticum motum ad crebriores corrugationes ſollicitare, tum glanduloſos folliculos, biliarium atque pancreaticum ductum ad humores ſuos copioſius effundendos, hinc motum naturæ contrarium, nempe a circumferentia ad centrum fieri, ac variolarum eruptionem, & ſuppurationem inhiberi. Quapropter aut ſoli clyſteres, ſi excrementa in inteſtinis copioſius aggeſta moleſtas ægris jactationes, & anxietates afferant vel in ipſo maturationis tempore inijciantur, vel in id tempus purgantis uſus protrahatur, quod curationi locum præſtet. Ubi autem purgandum ſit, lenientia ſolum eſſe in uſum vocanda cujuſmodi ſunt Rhabarbarum, Caſſia, Tamarindi, Manna docuit olim Riverius, quem poſtea Cl. Freind, qui peculiari ſcripto purgationis utilitatem variis obſervationibus adſtruxit, adeo ſequutus eſt, ut nonniſi decoctum Mannæ admittat. Quam tamen cum utilem in principio ſolum, & incremento variolarum obſervaſſe ſe affirmet Hoffmannus, poſt declinationem vero ſoluto morbo inſignes flatulentias creare, pectus lentis, viſcidiſque ſuccis obruere, anxietateſque efficere, quandoque ut exulcerationes ſequantur in ipſam cutem, anſam præbere, quamvis id adhuc mihi obſervare datum non ſit, neque plane aſſequar, cur remedium quod præter vim lenientem tuſſi, raucedini, & aliis ejuſmodi affectionibus aſperæ arteriæ ſuccurrendo famam obtinuit, id præſtare valeat, nihil eſt cur ejus loco

(*h*) *Cent. 3. p.* 234.
(*i*) *Epid. & ephem.*

loco ſimile leniens adhibeatur, ut pulpa Caſſiæ, tamarindorum, qui ſuavi acore ſuo ad alchalicos, & ferventes humores compeſcendos, atque ex maſſa ſanguinea præcipitandos opportuniſſimi exiſtunt.

X. *Potiones papaveraceæ tepidæ, & copioſius propinatæ in eruptione puſtularum &c.* Inſignis ſanguinis, & humorum tumultus, vigiliæ, nervorumque ſpaſmodici motus puſtularum eruptionem comitari plerumque ſolent. Hinc nervos induſtriæ omnes intendendos eſſe, ut ille ad quietem componatur, & tranquillitatem, hi vero ſedentur perſpicuum eſt. Quo loco quæſtio occurrit inter Medicos. Nonnulli enim in ea ſunt opinione, ut credant ubi humorum tumultus violenti, effrænesque motus compeſcendi ſunt, & ſomnus conciliandus, ad opiata, & narcotica confugiendum eſſe: Alii e contra ab opiatis abſtinendum ſuſtinent cum ſtricturam, & inflammationem augere valeant, aut confirmare. Priorem ſententiam tenet Celſus. (*k*) Alteram Cęlius Aurelianus. (*l*) Cautiſſime alii in illorum uſu procedendum eſſe arbitrantur. Cum enim in Synocho febre varioloſa incongruæ particulæ Cerebri filamentis, & ſpiritibus infeſtæ prædominentur, verendum eſt, ne horum uſu vel nimium figantur ſpiritus, vel magis adhuc perturbetur eorum motus, unde aut ſoporoſi affectus, aut vigiliæ, & ſpaſmi vehementiores excitentur, ut cum Alexandro Tralliano, & Celſo viri præſtantiſſimi Wiliſius, & Etmullerus animadverterunt. De infido opiatorum uſu in febribus, ſi quis curioſius doceri velit, adeat quæ alibi a nobis dicta ſunt, ubi argumentum paulo diligentius pertractavimus. Interim hic innuiſſe ſufficiat Mortonum opiatis ad dolores, & ſpaſmos ſedandos in varioloſa febre frequenter, & liberaliter utentem minus placere. Quies enim, quæ ſpiritibus ex narcoticorum actione accedit torpor potius eſt, ut cum Cyrillo alibi oſtendimus, quam placida exoptanda tranquillitas. Ea igitur nobis maxime probantur, commendanturque, quæ acres, ſtimulanteſque, ac nimium mobiles particulas demulcendo, ac refrænando, atque motrices fibras laxando, atque emolliendo ſpiritus cæco impetu hac illac ruentes ad placidum, & æquabilem motum redigunt, ut moderate in fibras influendo moderatam etiam in ipſis tenſionem efficiant. Talia porro ſunt non quæ ſtricte narcotica, ſed quæ anodyna appellantur: inter quæ papaveracea eminent: quorum uſum indicaſſe videtur Ovidius.

Ante fores antri fæcunda papavera florent,
Innumeræque herbæ, quarum de lacte ſoporem
Nox legit, & ſpargit per opacas humida terras.

Qua in re ſummopere arridet Sydenhamii methodus, qui cęteris anteponit ſyrupum de Mæconio, quem ſic parari jubet. ♃. Capit. papav. alb. bene Siccat. ℥ xiiii. Macerentur per horas viginti octo in aquæ fontis Lib. viii. Probe coquantur: facta demum fortiſſima expreſſione colentur, & addantur Sacchar. Lib. ii. f. .s. a. Syrupus, cujus unciam unam præſtare aſſerit unciis duabus alterius vulgaris in officinis parati ex capitibus, vel non bene ſiccatis, vel nigris, vel papaveris rhæados, adhibita leviore expreſſione: Syrupum itaque de Męconio parca doſi porrigit ſingulis noctibus, ſi variolæ fuerint diſcretæ, ſin confluentes doſim auget ad ℥ i. .s. & mane repetit ad ℥ i. quin etiam ſæpius in die breves hauſtus præbet, ubi ad turbas humorum, aut phrenitidem compeſcendam largiori paregorici doſis opus eſt. Quod ſi hiſce medicamentis optato fine potiri non valeamus, ſubſtitui poſſe Laudanum liquidum tradit, cujus deſcriptio eſt. ♃. Vin. hiſpanic. Lib. i. Op. ℥ ii. Croc. ℥ i. Cinnam. & Cariophyl. a ℥ i. Infundantur in B. M. per duos vel tres dies, donec liquor debitam conſiſtentiam adipiſcatur: Ejus autem guttas xviii. præſcribit pro qualibet ſupradicti ſyrupi uncia: guttas xxv. pro qua-

(*k*) *Lib.* 3. *cap.* 18.
(*l*) *Lib.* 1. *cap.* 4.

qualibet uncia, & ſemiſ. Verum cum Opiatis fidendum non ſit, etiamſi non vino hiſpanico, croco, cinnamomo aliſque ſpirituoſis præparentur, ſed aqua ſimpliciſſima, ut cum Wedelio, & Geoffroii demonſtratum eſt loco citato, ſola camphorata emulſione utendum traderem, cujus eximiam virtutem ad deliria ſedanda, ad immanes effrænesſque phrenitides compeſcendas qui non cognoſcit, Medicinam cognoſcit plane nullam.

XI. *Si puſtulæ ſegnius erumpant, vel collabantur, & introrſum redeant &c.* Utrum ante puſtularum eruptionem, & ſub ipſa etiam validiora expellentia conveniant, & æſtuoſum quoad lectum, & conclave regimen, vel contra refrigerantia, & ambientis aeris frigus quæſtio eſt. Nonnulli enim animadvertentes dum ſanguinis curſus acceleratur, ſimulque ejus partes attenuantur, compages eorum ſolvitur, & univerſa ejus maſſa rareſcit, curſum ejus per exiliſſimos quoſque corporis meatus promoveri, ac propterea ad corporis ambitum copioſe, celeriterque delatum per minimos cutis poros ſeroſi liquoris guttas effundere, atque omnes impuritates hac via e ſanguine eliminari, ea omnia quæ craſſiores ſanguinis partes reſolvunt, ſanguinis maſſam rarefaciunt, eiuſque curſum concitatiorem efficiunt, variolis quoque expellendis, earumque virulento fermento opportuniſſima exiſtunt. Hinc uti de malignis ac peſtilentibus febribus dictum eſt validiora diaphoretica, cujuſmodi ſunt in primis ſales omnes volatiles e. gr. Cor. Cer. ſanguin. human. urin. viperar. tincturæ bezoartic. alexipharmaca ſpirituoſa adhibere, nec non æſtuoſum regimen inſtituere ſaluberrimum ducunt. Verum enimvero cum obſervationibus cum multis, ac frequentibus, tum certis, ac conſtantibus deprehenſum ſit, validioribus hiſce expellentibus ſanguinis, & humorum maſſam majorem in modum exagitari, æſtus, anxietates, convulſiones, ſpaſmos, vigilias exacerbari, virulenti fermenti particulas acriores fieri, atque variolas ex benignis non ſolum malignas evadere, ſed eorum eruptionem ab intempeſtiva, atque periculoſa retropulſione excipi, quo ægrotantes de medio tolluntur, ut de ſpiritu Cor. Cer. conſtat in Ammani Medicina critica, quo liberalius dato tres liberi enecati ſunt, non defuit præcl. Sydenhamius, qui a calidioribus medicamentis, & a multis ſtragulis impoſitis, & æſtuoſo conclavi non ſolum abhorruit, ſed frigidum regimen in variolarum curatione, cujuſcumque fuerit generis, ubique, & ſine ullo diſcrimine adhibendum acriter contendit: hinc ſpiritu vitrioli, decocto albo, ſyrupo de Mæconio, aliiſque refrigerantibus, & aere ipſo, cubiculo frigido, utut peſtilentialis, ac deleterius fuerit morbi genius, utramque curationis paginam adimplet. Mediam tenent viam Mortonus, Hoffmannus, aliique fatentes quidem a calidioribus medicamentis, a multis ſtragulis impoſitis, atque æſtuante cubiculi calore plus æquo exagitari ſanguinis maſſam, fundi, rarefieri, atque acres ſubtilioreſque fermenti particulas a reliquarum nexu ſecedentes, ſuique juris factas corruptionem ſanguinis ita augere, ut & ſymptomata omnia ſæviora fiant, & morbus malignam indolem nanciſcatur, ſed illud etiam acriter ſuſtinentes a frigore nimio, & ambientis aeris injuriis plus æquo coacta ſanguinis maſſa, atque cutis vaſculis adſtrictis non ſolum varioloſam materiem ad ambitum corporis critico naturæ motu deferri difficilius poſſe, atque ætherogenea quæque, omneſque impuritates e ſanguine eliminari, qui propterea in tota ſua craſi depuratus tutæ, & citæ valetudini occaſionem præbeat, ſed expulſas jam ipſas variolas retropelli faciilime poſſe, atque ægrum in vitæ diſcrimen adduci. Hinc apte Cl. Van-Suvieten (*n*) quamvis meminerit obſervationis, quæ extat in actis Acad. Reg. Sc. an. 1732., quæ docet conferre aliquando ad febrem compeſcendam a lecto abſtinere, antea tamen docuit adverſus Sydenhamium *frigidiſſimo aeri exponere calefactum corpus temerarium eſſe, propterea cautelam adhiberi poſſe, ne nimis diu lecto abſint ægrotantes,*

(*n*) *Com. in aph. Boer.* 5. 610.

tes, *& poſſe aerem ſic temperari*, *ubi decumbunt ægri*, *ut nimio frigore nocere nequeat*. Hos in præſens ſequimur, ita tamen, ut ſi variolæ congrue erumpant, eleventur, tumidæ fiant, atque in bona, ac laudabili ſua eruptione, atque elevatione tamdiu perſiſtant, quamdiu ſuppurationi, & exſiccationi locus detur, nihil omnino movendum ſit, atque omne opus, ut de venæ ſectione dictum eſt, naturæ committendum. Si vero puſtulæ ſegnius erumpant, vel collabantur, & introrſum redeant, arctioris ſanguinis compagis, ſpirituum inopiæ, atque inde conſequens virium impellentium languoris inditio manifeſtiſſimo, ea potiſſimum indicari videntur, quæ ſanguinis motum accelerant, tenuitatem, fluiditatemque eidem conciliant, curſum ejus per exiliſſimos quoſque corporis meatus promovent, ac blande volatiles, atque actuoſas partes ingerendo, proximam, atque convenientiſſimam ſpiritibus materiam præbent, unde cordis, ac ceterarum impellentium virium efficacia ad variolarum eruptionem reſtaurandam, promovendam, confirmandam. Ejuſmodi ſunt ſcabioſa Card. bened. aliæque plantæ, ac ſemina, quæ blande alchalicis, ac volatilibus particulis præditæ ſunt, & ex quibus aut decoctiones parari ſolent, aut emulſiones; quæ cum pulveribus diaphoreticis, ſeu humores ad diaphoreſim diſponentibus tempeſtive aſſumptæ cum ſudori movendo, tum prædictis muneribus obeundis opportuniſſimæ exiſtunt.

XII. *Si vero nimius fervor*, *atque orgaſmus peccet*, *ſolæ decoctiones Cichoraceæ &c.* Sydenhamii methodus variolas pertractandi iis medicamentis, quæ nimium ſanguinis æſtum eruptionem prohibentem, compeſcunt, ferventeſque, atque alchalicos humores cohibent, novum ejuſdem inventum non eſt. Cognovit ſingularem eorum vim Riverius, ſed quando maxima ebullitio, & fervor ſanguinis immodicus urget, iiſdem utendum tradidit. Cognovit ante ipſum Amatus Luſitanus (*o*), ſed tunc ſolum cum a fervidioribus humoribus originem ducunt variolæ adhibenda docuit, ut præclariſſimo conſtat exemplo, quod Medentibus reliquit, inquiens: *Puer Altaraſii variolis corripi cœpit*, *ex quibus nonnullæ ita percurrebant*, *ut miſerum corpuſculum intra duos dies fere totum excoriatum reliquerint: quæ aliis quoque eveniſſe puerulis obſervavi*; *contra quæ ſic orſus ſum*: *primo cum materia hæc plus juſto acrior eam obtundere conati ſumus*, *nec tantum eam*, *verum etiam jecinoris*, *& membrorum internorum malam qualitatem infringendo*, *ne de novo altera gigneretur*. *Sed id refrigerantibus complebamus medicamentis*, *ut ſyrupo roſato*, *ſyrupo de Cichoria ſimplici de endivia*, *de Violis adjectis ſimilibus aquis &c. Quibus omnibus materia craſſior eſt reddita*, *& variolæ craſſæ*, *& amplæ apparere cœperunt*. Inſignes cichoraceorum, & quæ nitroſo ſale, aut huic perſimili ſunt prædita, quæque ad blandiſſime attenuandum, ſed fervorem etiam nimium, æſtumque ſanguinis compeſcendum ſunt opportuna toties dicendo explicuimus, ut ſupervacaneum ſit hiſce diutius immorari. Innuiſſe ſufficiat in peculiari caſu variolarum, nitri doſim augere non ſolum non dubitaſſe Hoffmannum, ſed tincturam roſarum, & quatuor florum cordialium cum phlegmate vitrioli paratam ex monito Waldſchmidii, & Dolæi præbere. Verum ſi quid ſentio a vitriolatis medicamentis, niſi peſtiferum principium ſanguinis maſſam omnino corrumpens peccet, abſtinendum traderem, ne ſanguinis partes plus æquo figendo, & ejus texturam quaſi conſtringendo, aut variolarum eruptionem, aut congruam maturationem coerceamus.

XIII. *Sopori*, *ac torpori ſuccurremus emplaſtro de limacibus terreſtribus contuſis &c.* Si Freindium, Mortonum, alioſque Anglos Medicos audimus, ii Veſicantia in varioloſa febre miris laudibus extollunt. Hoffmannus vero, qui rarius eadem adhibuit, atque ſolum ubi pueri, vel adoleſcentes in ingentem ſoporem, ac torporem inciderunt, aut finito morbo oculi rubore, ac defluxione affecti ſunt, nihil certi de eorum virtute affirmare teſtatus eſt. Et ſane cum diuturna experientia con-

(*o*) *Cent.* 3. *cur.* 18.

conſtet a Veſicantium applicatione veſicæ dolores, urinæ ardores, ſuppreſſiones, mictus cruentos, vigilias, aliaque dira ſymptomata excitari ab acribus, urentibuſque eorum particulis non ſolum cutim cui applicantur extimulantibus eam divellendo, lacerandoque, ſed in ſanguinem introductis univerſum nervorum genus mirum in modum percellentibus, & vaſa veſicam perreptantia, cui potiſſimum infeſtæ ſunt Cantharides, corrodentibus, aſſequi nulla ratione poſſum qui fieri poſſit, ut in varioloſa febre, quam vigiliæ, ſpaſmi, hæmorrhagiæ, mictus cruenti, ſputum ſanguinis e pulmonibus, aliaque id genus ſymptomata claram faciant, bene cedat eorum operatio, etiamſi ſopor, aut torpor acceſſerit. Quo quidem in caſu licet haud inficiaverim ea eſſe uſurpanda, quæ aſperum ſenſum, ac dolorem inducendo univerſorum nervorum genus percellunt, atque in reciproco motu conſtrictionis, & relaxationis excitant, unde craſſos, viſcidoſque humores cerebrum infarcientes attenuari contingit, fibras flaceſcentes firmari, ac ſpirituum liberum motum in partes redire, a mitioribus tamen ſemper in hoc caſu incipiendum traderem, cujuſmodi ſunt cataplaſmata ſtimulantia acria, vel rubefacientia plantis pedum applicita, quorum in cenſu veniunt præ cæteris eximii uſus emplaſtrum de limacibus terreſtribus cum cortice contuſis ut alibi (p) oſtendimus, ac ſolum ad veſicatorium nuchæ deveniendum eſſe, cum cetera minus profuerint.

XIV. *Tuſſi etiam eclegmate ex ol. amigdal. dul. ad ℥ ii. ſyrup. violat. cœleſt. papaver. &c.* Moleſtum magis in morbillis ſymptoma eſſe tuſſim ferinam, quam variolis experientia conſtat. Alterutri vero, aut utrique morbo ſuccedat, cum non aliud tuſſeos nomine veniat, quam violenta, ſubita, & iterata muſculorum reſpirationi inſervientium contractio, per quam aer prius copioſe inſpiratus, mox vehementer extruditur, tranſienſque per arctatam laryngem ſonitum quemdam facit, cujus violentæ irritationis cauſa repetenda eſt a nervoſarum partium, muſculorumque reſpirationi inſervientium irritatione, ob quam in convulſivum illum motum adiguntur, & quæ irritare eaſdem partes poſſunt, ſint propemodum infinita, eaque vel ipſas immediate vellicare, vel alias cum ipſis connexas, in varioloſa tamen, ac morbilloſa febre, acres ac cauſticas fermenti particulas potiſſimam partem agere tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Cum enim univerſum nervorum genus mire percellunt atque in vehementes, & non ordinatas contractiones ſollicitant, ex quibus convulſiones, ſpaſmi, deliria, vigiliæ, aliaque dira ſymptomata proficiſcuntur, tum bronchia, atque pulmones irritant, atque interdum ſanguifera eorumdem vaſa corrodunt, unde & tuſſis, & ſputum cruentum. Quid autem in tali morbi conſtitutione, in qua nihil fere omnino operandum eſt, ad eam ſedandam adhibeam? An potiones calidas copioſius aſſumendas, infuſionem Theè, juſcula avenacea, hordeacea, mucilagines ex ſemin. malvar. alth. cyton. emulſiones ex amygdalis, & ſeminibus frigidis, aliaque humorum tenuitatem incraſſantia, ſi ex modo memoratis præſidiis irritatio ſuavi eclegmate tolli poſſit, & pueris præſertim commodo? Neque alia fere methodo ab eodem fonte prodeuntem ardorem faucium, & laryngis aphthas, aliaque id genus ſymptomata eſſe pertractanda notum omnibus eſt, planeque perſpectum.

XV. *Vomitus, diarrhææ, dyſenteriæ, hæmorrhagiæ ſi modum exceſſerint &c.* Vid. cap. 8. n. 25. 26. 29.

XVI. *Foveis in facie relictis ſequens linimentum. ℞ axung. human. &c.* Cum Variolæ præſertim confluentes profundiores, & fędas cicatrices, & foveas in facie relinquant, ut quam maxima fieri poteſt diligentia, avertantur, ne faciem deturpent, puellæ utpote de pulchritudine, & nitore vultus ſollicitæ, enixe obſecrant. In hoc porro opere Sylvii induſtria maxime eluxit, qui ut faciem a variolis tueretur, pediluvia frequentia commendat, ut materia ex ſuperioribus ad inferiores

(p) *Aph. lib. 1. cap. 3. com. 26.*

partes trahatur. Non deſunt etiam, qui cum Riverio aliiſque papulas in facie pinguibus, & oleoſis inungendas ſuadent. Verum quemadmodum periculo non vacat pediluvium utpote criticum, & ſalutari naturæ motui contrarium, ita papularum inunctio peſſima, cum oblinitis poris difflatio impediatur, profundiores reddantur abſceſſus, & cicatricum veſtigia longe magis conſpicua, ut Hoffmannus teſtatus eſt. Quapropter ſalubre illorum conſilium, qui linimenta, & aquas coſmeticas ſimplices in uſum revocant, cujuſmodi fere eſt linimentum ex axungia humana, ſpermate ceti aliiſque deſcriptis compoſitum, papulis applicandum antequam areſcant: ad nitorem vero faciei conciliandum aqua deſtillata flor. fabarum, roſarum, radicis ſigilli Salomonis, & ſimilibus, quibus etiam vultus rubor elui ſolet. Quid enim, aut aquam Reginæ Ungaricæ, aut Coſmeticam Mynſicht, Schroderi, aut eſſentiam coſmeticam Michalis, Hoffmanni aliaſque ſimiles magno artificio paratas commemorem, quarum meminit Cl. Joan. Jacobus Janthius (*q*) quæ cum a divitibus impenſe conquirantur, id habent ſolum, quo clariora fiant, ut majori gloria nitori ſerviant?

XVII. *Cibus ſit tenuis: potus aq. decoct. hord. &c.* Quandoque poſt varioloſam, ac morbilloſam febrem aſthma, phthiſim, tabem, tumores, furunculos, ſcabiem ſanioſam, gangrænas, cachexiam alioſque funeſtiſſimos morbos ſubſequi teſtatur Mortonus. Quos cum ex eo maxime evenire ille putet, quod veneni particulæ nondum perfecte ſubactæ ſunt, tum ad præmaturum aeris, & victus, vitæque rationis neglectum, quo impuras morbi reliquias retineri, & adaugeri contingit, referre non dubitat Hoffmannus. Quocirca ſalubre monitum reliquit, ut convaleſcentes non ſolum victum ſervent tenuem, & bibant decoctum temperans, & diluens, ſed non nimis cito aeri ſeſe committant per aliquot hebdomadas, perſpirationem ſollicite cuſtodientes, quo ſane nihil efficacius ad ætherogenea quæque omneſque impuritates eliminandas e ſanguine, qui propterea in tota ſua craſi depuratus optimum partibus nutrimentum, & materiam ſpiritibus præbeat convenientiſſimam.

L. D. S.

FINIS.

(*q*) *Select. mater. Medic. tab. 6.*

INDEX
RERUM, ET VERBORUM.

A

Abſceſſus cur febrem conjunctam habeant. 50
Abſceſſus in Synocho putri interdum ſalutares. 83
Abſorbentium multiplex genus. 105
Eximiæ virtutis in hectica febre. ib.
Quænam ſint? 129. 130
Quomodo agant. ibid.
Interdum noxia. ibid.
In malignis ac peſtilentibus initio adhibenda quænam? 217
In febribus tertiani motus eximia. 161. 192.
Abſyntium quandonam adhibendum? 191.
Acetum ſanguinem ſolvit. 39
Aceta vegetabilium quænam ſint. 106
An tuta adverſus hecticam febrem? ib.
Acetum theriacale cur præſtantiſſimum contra peſtilentiales morbos? 221
Vulgare paris efficaciæ. ibid.
Item compoſitum ex ſucco acetoſellæ, & citri. ibid.
Quomodo a peſte præſervet? 225
Acetoſa eximia in malignis, & peſtilentialibus morbis. 220
Acerrimus oris ventriculi morbus in intermittente maligna cur? 152
Acida quomodo ad febres fugandas agant? 34
Acida quæ ſanguinem cogunt quænam? 39.
Acida fortiſſima cur ſanguinem corrumpant? 40
Cur febrem excitent? 39
Acidum, & acre utrum fermenteſcant? 44.
Aciditas ſanguinis utrum detur? ibid.
Acidum ſanguinem ingrediens ſuam naturam amittit. ibid.
Sanguinem ingredi dubitandum non eſt. ibid.
Cur ſenſibile non appareat? 45
Acidum & acre utrum febrem excitent extimulando? ibid.
Quænam ſint ſaporis ſpecies? ibid.
Acidum qua ratione frequentius febrem excitet? 45. 46
Quibus ſalibus conſtet? 69
Acida lenia quo modo ad ſudorem diſponant? 73
Cur optima in Synocho putri? 86
In Cauſo, ſeu febre ardente. 94
Acida naturalia quænam ſint? 105
Cur efficaciæ inſignis adverſus hecticam febrem? ibid.
Quomodo interdum ſudori provocando ſunt opportuna? 193
Cur præſtantiſſima adverſus peſtilentiales morbos? 221
Acidorum abuſus cur paroxyſmos intermittentium acceleret? 124
Acria fortia quomodo ſanguinem corrumpant? 39. 40
Acredo inſignis ſanguinis ardentis febris cauſa. 78
Cum fuſione, & colliquatione conjuncta hecticæ febris. 99
Aconitum venenum homini infeſtiſſimum. 202
Acrimoniæ ſpecies illuſtres quot? 44
Acre cur frequentius febrem excitet? 45.
Acutis febribus ſtatim eſt occurrendum. 71.
Acutæ febris augmentum ſanguinis miſſione prohibetur. 91
Adſtringentia lenia, cur cardiaca ſint. 109.
Optima in alvi fluxu. ibid.
Aer quomodo ſit cordis antagoniſta. 21.
Aereum principium per pulmones ingrediens cur neceſſarium? 25

Aer nimis calidus multorum morborum cauſa. 61
Aeris rarefactionis inditium quodnam? 62.
Levitatis quodnam? ibid.
Aere calido cur ſanguis rarefiat? ibid.
Quomodo febris ardens excitetur? 79.
Aer moderate frigidus, & humidus cur eligendus hecticis? 108
Frigidiſſimus cur minus tutus? ibid.
Aeris mutatio cur iiſdem proficua? ib.
Aer humidus, & paluſtris quomodo febribus intermittentibus tribuat? 122
Aeris affectiones, & proprietates quænam? 123
Aer quandonam febrium recurſus acceleret? ibid.
Aeris manifeſtæ, & occultæ qualitates quænam? 204
Aer quomodo malignis, & peſtilentibus febribus tribuat? ibid.
Aer quomodo varie, & multipliciter afficiat corpus humanum? 205
Quomodo ſalinis acribus, aliiſque pravis particulis infectus agat? 205
Aer purus, & ſalubris plurimum facit ad contagium præcavendum. 224
Multo magis, ſi ſuffumigiis odoriferis alteretur. ibid.
Aer ſpiritus proxime afficit, & nervos. 37.
Ætas ſenilis, vel puerilis an venæ ſectionem prohibeat? 90
Non prohibet interdum. 91
Ætas juvenilis cur in hecticam febrem proclivis? 101
Curationi cur nihil tribuat? 105
Ætas infantilis utrum in quartanas proclivis? 122
Ætatibus ſuum eſt temperamentum. 232.
Ætatis mutatio cur veneno variolarum exſuſcitando idonea? ibid.
Æſtas calida, & humida cur ad tertianas diſponat? 122
Æſtuoſum regimen evitandum in emitritæo. 198
In variolis utrum inſtituendum? 239
Noxium revera eſt. ibid.
Agaricum cur minus tutum purgans? 196
Alchalia omnia terrea, & cruſtacea quomodo ad ſudorem diſponant? 73
Alchalica urinoſa, ac volatilia quænam ſint? 217
Cur evitanda inter initia malignarum, & peſtilentium febrium? ibid.
Alexipharmaca quænam dicantur? 218
Calidiora in principio malignarum, & peſtilentium febrium locum non habent. ibid.
Quænam ſint? ibid.
Alexipharmaca contra morbos ex diſſolutione quænam? 220. 221
Algida febris a velociori ſanguinis circulatione oriri non poteſt. 33
Algida febre laborantes cur frigore corripiantur? ibid.
Algida febris unde dicatur? 153
Alimenta quæ facile teruntur a ſtomacho quænam? 107
Cur corpus nutriant facilius? ibid.
Alimenti ſumendi neceſſitas unde? 123
Ejus quantum ſit ingerendum? 124
Ejus abuſus multorum morborum cauſa. ibid.
Alimenta temperata quænam ſint. ibid.
Craſſa, & duriora ſale condita cur quartanas creent? 185
Alternus cardialgiæ, & hemicraniæ recurſus in febribus intermittentibus compoſitis unde? 128
Alvi fluxus in hectica febre cur cohibendus? 108
Quibus auxiliis? ibid.
Aluminoſa medicamenta cur ſolum externe ad adſtringendum ſint adhibenda? 223
Amara, amaro-acria in febribus quomodo agant? 31
Anaſarca a ſuppreſſis Menſibus cur venæ ſectionem requirat? 189. 190
Animalia jugulata cur convellantur? 22
Spatio anguſto clauſa cur brevi moriantur? 25
In recipiente machinæ pneumaticæ exantlato aere cur intumeſcant? ibid.
Animalia volatilia in eodem recipiente cur fumo carbonum carotica fiant? 59.
Animalium venenatorum applicatio vulneri,

neri,

neri, quod infigitur cur ſaluberrima? 95
Animalia cruſtacea dicta optima ad hecticam febrem. 106
Amuleta quomodo tribuant ad præſervationem peſtis? 225
Animi pathemata graviora quomodo febrem excitent? 22
Animi poteſtas inſignis in nervos & ſpiritus. 22. 37. 58
Animi pathemata quomodo febrem ephemeram gignant? 58
Quomodo ad hecticam febrem diſponant? 100
Quomodo intermittentibus febribus tribuant? 122
Animi defectio gravis, & frequens in intermittentibus malignis unde? 152
Quot modis contingat? 152. 153
Animi commotiones vehementes cum ira quomodo tertianas continuas excitent? 183
Cum mœrore, & triſtitia cur ad quartanas diſponant? 184
Animi deliquia in malignis unde? 209
Animi fiducia cur peſtis præſervationi inſerviat? 225
Animi quies cur nonnullorum morborum remedium? 68
Aniſi Caſſiam corrigunt. 89
Anodyna optima in eruptione variolarum quænam? 238
Antimonium diaphoreticum cujuſnam efficaciæ? 74
Antimonialia in hectica febre parum juvant. 106
Antihecticum Poterii cum iiſdem elaboretur nullius efficaciæ. ibid.
Antiſcorbutica mitiora quænam ſint? 195.
Quomodo agant in quartana continua? ibid.
Anthrax quinam tumor vocandus? 212
Cur in peſte contingat? ibid.
Anxietates in ebullitione variolarum unde? 233
Appetitus proſtratio inſignis in malignis unde? 206
Aphthæ malignæ febri accedentes cur mali ominis? 214
In eruptione variolarum, & morbillorum unde? 233
Apyrexia in febribus intermittentibus unde? 120
Brevi ſuperveniens in tertianis unde? 147
In quartanis. 148
Aqua frigida quomodo febribus opituletur? 34
Interdum abſtinendum. ibid.
Nervos afficit. 59
Aquæ tepidæ uſus inſignis contra ventriculi cruditatem. 68. 69
Aquæ uſus inſignis in Synocho ſimplici. 71. 72
In Synocho putri. 86
In ardente febre. 92. 93
Non multum frigida propinanda eſt. 71. 72. 93.
Aquea diæta minus tuta. 72
Aqua quomodo exhibenda? ibid. 94
Aqua gelida multorũ morborum cauſa. 94
Aquæ neceſſitas in febribus. 124
Aquæ Quinquinnæ vehiculum plures. 171.
Aquæ Nocerianæ præſtantiſſimæ in febribus bilioſis. 193
Ex plantis refrigerantibus ſtillatæ paris virtutis. ibid.
Aquæ ſucci acetoſæ oxalydis, citri eximia cardiaca in febribus bilioſis. 193. 194.
Aqua frigida evitanda in emitritæo. 198
Aquarum paluſtrium potiones malignarum, ac peſtilentium febrium cauſa. 206
Aqua theriacalis cur eximia in malignis, & peſtilentibus? 221
Præſtantior quomodo exiſteret? ibid.
Aqua ſtiptica Lemerii cur ſolum extrinſecus applicanda in hæmorrhagiis? 223.
Aquæ coſmeticæ quænam? 242
Aquea omnia quandonam hecticis præſcribenda? 105
Archeus cordis furens cauſa febris perperam habitus. 30
Ardentis febris cauſæ nomine differunt. 78.
Eædem quæ Synochi putris vehementius agentes. ibid.
Arſenicalia qua vi agant? 202

Ar-

Artifices metallorum cur brevi moriantur? 59
Arteriæ undenam originem mutuentur? 50.
Arteriarum morbi cur febrem conjunctam habeant? ibid.
Arteriæ diverſæ vario tempore affectæ cur humoribus una recipiendis ineptæ? 127
Aſſodes febris quænam dicatur? 184
Athletæ Græcorum, & Romanorum cur robuſtiſſimi? 18
Attractio humorum quomodo fiat? 95
A Modernis magni habita licet antiquiſſima ſit. ibid.
Attenuantia medicamenta quænam ſint? 129.
Cur febribus quandoque opitulentur? 31.
Auſtera ſtiptica cur minus tuta in hectica febre? 106
Quænam ſint? ibid.
Auræ frigidæ ſenſus in ſubintrantibus, aut proportionatis febribus unde? 178.
Auripigmentum qua vi agat? 202
Autumnalis tempeſtas ætati calidæ ſuccedens cur ad hecticam febrem diſponat? 100
Axungia humana optima ad variolarum foveas. 242

B

BAlnea minus tuta in febribus. 70
Balneorum diviſio, & uſus ab antiquis traditus contra hecticam febrem. 109
Noſtratibus familiaris. 110
Cur minus tuta? ibid.
Berberis eximiæ virtutis contra malignos, & peſtilentiales morbos. 222
Bezoar orientale, & occidentale cujuſnam efficaciæ? 74
Bezoarticum minerale. ibid.
Bilis ſanguinem quandoque inquinat ſine febre. 48
Inſpiſſata quas vires habeat? 49
Ne cum acido quidem fortiſſimo effervescit. ibid.
Bilis nomine quinam humores intelligendi? 182
Bilioſi ſanguinis quænam ſit ſuperficies? 85.
Quam attritionem patiatur venæ ſectione? ibid.
Bilioſa Veterum dyſcraſia quid ſit? ib.
Bilioſi homines calidique cur venæ ſectionem minus ferant? 96
Biſtorta eximiæ virtutis in hectica diarrhoea. 109
Borago optimum diaphoreticum. 74
Optimum refrigerans. 192
Bolus armena optima in hectica diarrhœa. 109
Bubonis peſtilentialis analyſis quænam principia ediderit? 210
Bubo quinam tumor vocandus? 212
Cur in peſte contingat? ibid.

C

CAchochymia eſſe poteſt ſine febre. 41.
Cachexia febribus intermittentibus cur ſuperveniat? 155
Caligines inſolitæ poſt terræ motus cur peſtem portendant? 211
Calor vitalis juxta Veteres quid? 6
Calor non eſt ſignum pathognomonicum febris. ibid.
Calor naturalis undenam proficiſcatur? 9
Præternaturalis undenam? 11
Cur frigori ſuccedat? ibid.
Mitis in malignis unde? 14
Perpetuus in febribus unde? 15
Caloris & frigoris inſultus alterni unde? 16. 17
Calor, & frigus in una eademque parte unde? ibid.
Calor nonnullarum febrium effectus tantum. 28
Febrium cauſa perperam habitus. 30
A viſcido coactoque ſanguine oriri non poteſt. 35
Neque ab ipſius fermentatione. ibid.
Calor mitis in ephemera unde? 64
Cur major ſi a violentis exercitationibus, & temulentia naſcatur? ib.
Cur acris ubi ab ira? ibid.
Calor plus minus acris, & urens in Synocho cur? 80

In-

Intenſiſſimus in Cauſo, ſeu febre ardente cur? 81
Calor actualis non eſt proxima, & continens febris cauſa. 92
Calor vix ægris moleſtus in primo hecticæ febris gradu cur? 103
Cur nullo horrore comitatus? 104
Cur una cum pulſu cibo aſſumpto increſcat? ibid.
Calor frigori ſuccedens intermittentibus a lentore ſanguinis non ſoluto perperam deſumptus. 117
Undenam repetendus? 120
Calor acris, & mordax in tertiana febre unde? 147
Mitis, & cum levi ſiti conjunctus in quartana? 148
Cum acredine conjunctus etiam intermiſſionis tempore in febre ſubcontinua cur? 154
Notabiliter diminutus in remiſſione ſubintrantium, & quæ proportionatæ dicuntur. 178
Intenſior in remittentibus. 179
Acris in augmento quotidianæ continuæ. 182
Internas potius partes vexans, quam externas in malignis. 208
Calx viva quas partes contineat? 103
Cur aqua viva effervescat? ibid.
Camphora nitratis mixta cur eximia in malignis, & peſtilentibus morbis? 220
Camphorata emulſio in deliriis variolarum eximia. 239
Candentia ferramenta aqua demerſa fervorem concitant. 103
Cantharides in veſicantium compoſitione aliis præferendæ. 94
Cum Pipere deglutitæ cur hydrophobiæ remedium? 95
Cur corroſivæ, & gratiſſimorum ſymptomatum cauſa? ibid.
Capitis dolores ab ira unde? 23
Capitis gravitas in Synocho unde? 66
Cardiaca quot ſint? 108
Cardiaca calefacientia cur noxia in paroxyſmis febrium? 162
Cardiaca in quotidianis continuis validiora minime adhibenda. 191
Quænam adhibenda, & quando? ib.
Cardiaca moderate acida quandonam exhibenda in febribus? 193
Quænam ſint? ibid.
Cardiaca febris unde dicatur? 152
Cardialgia conſtanter recurrens in intermittentibus cur? 126
In febre Aſſode cur? 184
A gelida potione cur? 94
Carduus Benedict. quomodo ſudorem moveat? 73
Ejus virtutes aliæ inſignes. 190
Carbunculus quinam tumor dicendus? 212.
Cur in peſte contingat? ibid.
Carnes ſalitæ cur facilius dulceſcant aqua ſalita? 95
Carnes ſuillæ, ovillæ optimæ adverſus hecticam febrem. 106
Carnes vetuſtiorum animantium, aut fumo induratæ cur intermittentium paroxyſmos accelerent? 124
Carus quid ſit, & quomodo differat a lethargo? 153. 154
Caſſia optimum leniens in fabribus. 89
Quomodo corrigenda? ibid.
Etiam in malignis & peſtilentibus. 216.
Iu variolis. 237. In Emitritæo. 196
Catharis inſida in hæctica febre. 110
Catholica, & univerſalia remedia quęnam dicantur? 216
Quęnam a multis recenſeantur? ibid.
Cur nulla revera dentur? 216. 217
Cathartica in Synocho putri peſſima. 84.
Caſtrenſis febris quęnam dicenda? 209
Centaureæ minori virtutes inſignes. 190
Cephalalgia in Synocho putri unde? 80
Cerebri ſubſtantia cuinam muneri comparata? 181
Choleræ iræ ſupervenientes unde? 23
Cholerica febris unde dicatur? 151
Cholerę in tertiana continua colliquante dicta unde? 184
China Chinæ idem ac cortex Peruvianus, & Quinquinna. 134
Quid ſit? ibid.
Ejus vis febrifuga Hiſpanis in India quantum latuerit, & cur? ibid.
Quomodo cognita. ibid.
Cur pulvis Patrum dicatur, & Cardina-

dinalis de Lugo? 135
Ejus uſus cur primum obſoleverit? ib.
Cur cęteris febrifugis palmam præripuerit? ibid.
Quas febres tuto curet, & contra? 135. 136.
Criſim, & excretionem aliquam promovendo agit. 136. 137
In ejus uſu caute perſiſtendum. 137
Ea uti quandonam minus expediat? 137. 138.
Calore & ſiccitate non agit. ibid.
Nec acidum invertendo, & obtundendo. ibid.
Nec quod venenatas ac deleterias particulas delet. 139
Nec quod humores condenſat. ibid.
Qua probabiliore ratione agat? ibid.
Gravidis, & quibus menſtrua fluunt innoxie exhibetur. ibid.
Etiam in ſanguinem agit ſales acres corrigendo. ibid.
Complexu omnium qualitatum, quæ ejus tantum propriæ ſunt operatur. 139. 140.
Cur cęteris febrifugis anteponenda? 140.
Quo potiſſimum tempore ſit exhibenda? 163
In febribus ſalutaribus cur non exhibenda? ibid.
In corruptivis benignis cur elapſis aliquot paroxyſmis? ibid.
In pernicioſis, & malignis cur ſtatim? ibid.
Nullo habito diſcrimine exhibenda non eſt. 164
Quæ ad nos adfertur ab illa differt, qua utuntur Amęricani. ibid.
Cur interdum valde noxia? 165
In principio febrilis paroxyſmi minus tuta. 165. 166
Quo tempore exhibenda? 166
Qua doſi? ibid.
Qua methodo in quotidiana, aut tertiana duplici? ibid.
In tertiana ſimplici. ibid.
In quartana ſimplici. ibid.
In quartana duplici. 166. 167
Num miſcenda cum aliis medicamentis? 167
Cum rhabarbaro, & ſalibus digeſtivis commodiſſime miſcetur. ibid.
Non ita cum purgantibus validis. ib.
Qua methodo exhibenda in tertiana pernicioſa? 168
In tertiana duplici, aut quotidiana. 169.
In quartana. ibid.
In febribus ſubintrantibus. ibid.
In ſubcontinuis. ibid.
Qua ratione recidivas arceat? 170
Qua forma efficacius agat? ibid.
Ejus vehiculum quodnam? ibid.
Variæ præparationes. ibid.
Utrum in Emitritæo locum habeat? 197.
Quandonam adhibenda? ibid.
Chymicæ analyſi cur parum fidendum? 210.
Cibi abſtinentia optimum cruditatis remedium. 68
Cibi voracitas multorum morborum cauſa. 61
Febris ephemeræ, & Synochi. ibid.
Cibi acres, aromatici, ſalſi cur tertianis continuis tribuant? 183
Cibi viliores pravique quomodo malignas, & peſtilentes febres excitent. 205.
Craſſi crudique quomodo intermittentibus generatim? 122
Cichoraceorum vires inſignes in variolarum æſtu nimio, & fervore. 240
Cicutæ ſuccus hominibus infeſtiſſimus. 202.
Sturnis pabulum. 208
Cinamomum Caſſiam corrigit. 89
Circulatio ſanguinis per æqualia temporis intervalla æqualiter aucta perperam habita febris cauſa. 31
Eam ſuſtinet Sylvius. 28
Perperam habita pariter nimis ſegnis, & tarda. 34
Citrum cur optimum in malignis, & peſtilentibus febribus? 221
Clyſterum efficacia inſignis in morbis inteſtinorum. 68. 69
Clyſteres quomodo operentur? 109
Cur torminibus infra umbelicum opitulentur. ibid.
Qua ratione adhibeantur in Diarrhœa

rhœa hectica? ibid.
Ad alvum laxandam? 110
Cur præmittendi purgationi in Hemitritæo? 196
Tuti in variolis cur? 237
In Synocho putri. 84
Coctio humorum quomodo fiat? 83
Quomodo variet? ibid.
Coctio præſertim ſpectanda in purgantium uſu. 87
Coctionis ſigna diligenter examinanda in uſu diaphoreticorum. 134
Cœliaca paſſio dyſenteriæ cur ſuperveniat? 156
Colliquatio cur purgationem prohibeat? 88.
Contagio ſpiritus afficit, & nervos. 37
Ejus vis in quo ſita? 209
Contagioſæ febres quęnam dicantur? ib.
Cur facile communicentur? 209. 210
Earum halitus quomodo diu lateat? ibid.
Emiſſus tandem ſuam vim exercet. ibid.
Contagio quomodo præcaveri poſſit? 224.
Contrayerva quandonam eximia in malignis, ac peſtilentibus febribus? 217.
Convulſiones in malignis ex diſſolutione cur? 213
Conclave cur in pleriſque morbis aperiendum? 96
Cornu Cervi uſtum alvi fluxui opitulatur. 109
Conſolida major optima adverſus alvi fluxum. ibid.
Cordis, & arteriarum contractio velox quomodo febris ſymptomata procreet? 12
Naturalis quantum ſanguinis trudat in arterias? ibid.
Quomodo non ſoluto ſanguine frigus excitet? ibid.
Quomodo ſoluto ſanguine calorem? 13.
Cordis actio muſcularis vis incredibilis. ibid.
Cor ab iiſdem cauſis movetur, ac cęteri muſculi. 17
Nempe a ſpiritibus, & ſanguine. 19
Cordis motus langueſcens quomodo excitetur? ibid.
Cor quinam muſculus ſit? 20
Quomodo non convellatur in convulſionibus? 21
Utrum antagoniſta careat? ibid.
Vires habet æquiparentes antagoniſtæ muſculo. ibid.
Cordis vires inſignes quot ſint? 21
Cordis contractio quomodo pervertatur, non cęterorum muſculorum? 22
Cordis, & arteriarum contractio velox cur inter cauſas febris recenſenda? 27.
Cordis dilatatio parva crebriori contractioni anſam non præbet. 35
Cordis motionem vehementem quomodo agnoſcat Medicus? 36
Cordis palpitationes in eruptione variolarum unde? 233
Confectio alchermes optimum cardiacum. 74
Cortices vegetabilium eximiæ virtutis contra acidum. 69
Corporis extenuatio in febre hectica unde? 104
Corporis exercitatio optima contra hecticam febrem. 108
Corporis languor in quotidiana continua unde? 182
Emaciatio ſubita in tertiana continua colliquante? 184
Colliquantis febris indicia quænam? 188
Corporis immobilitas in febribus malignis unde? 208
Segnities. 213
Criſis quid ſit. 83
Quomodo diſtinguenda? ibid.
Criſeos tempus varium cur. 83. 84
Critici dies quinam dicantur? 84
Criſium inditia quænam? ibid.
Criſes per quaſnam vias promoveantur? 86.
Criſium ſpecies, & differentias quænam præeant inditia? ibid.
Per urinas quænam? ibid.
Per ſudorem quænam? ibid.
Cruditas ventriculi, & inteſtinorum quotuplex? 68
Ejus remedia. ibid.
Cruditatis acidæ cauſæ, & remedia. 69

Magis proficua quænam? ibid.
Cruenta dejectio in intermittente maligna unde? 151
Culicularis febris quænam dicatur? 209
Cauſus. V. Febris ardens.

D

DEcoctiones cichoraceæ, & refrigerantium herbarum in tertiana continua optimæ. 192
In quotidiana febre. 190
In hemitritæo. 196
Decoctiones Card. S. Meliſ. Scorzoner. in malignis ex coagulatione eximię cur? 217
In Variolis. 240
Decoctio levis Scorzoneræ, & Cor. Cer. pro potu commodiſſima in malignis, & peſtilentialibus. 219
Definitio quænam optime tradita? 49
Definitio febris cur perperam a multis tradita? 51
Deglutiendi difficultas in quotidiana continua unde? 182
Delirium in Synocho putri unde? 80
In febre ardente. 81
In malignis febribus. 208. 213
In ebullitione variolarum. 233
Diaphoretica in febribus quomodo agant? 31
Utrum in Synocho ſimplici adhibenda. 73
Eorum genus varium, variuſque agendi modus. ibid.
Validiora in Synocho ſimplici proſcribenda. 74
Mitiora eximiæ virtutis. ibid.
Diaphoretica cardiaca quomodo agant? ibid.
In fine morbi ſudore non ſuperveniente optima. ibid.
Valentiora cur penitus proſcribenda in Synocho putri? 86
Diaphoretica quomodo differant a ſudoriferis? 133
Quomodo varie operentur? ibid.
Quænam in febribus adhibenda? 133. 134.
Quandonam adhibenda? ibid.
Diaphoretica in quotidianis continuis neque inter initia, neque validiora adhibenda. 191
Quænam, & quandonam adhibenda? ibid.
In febribus malignis quænam, & quandonam? 193
Validiora cur cauſam febris adaugeant? ibid.
Quænam ejuſmodi ſint? 239
Utrum in variolarum eruptione adhibenda? ibid.
Revera noxia ſunt. ibid.
Blanda & temperata tuta. 240
Diaphoretica febris unde dicatur? 152
Diarrhœa iræ ſuperveniens unde? 23
Diarrhœa & dyſenteria multorum morborum cauſa. 43
Cur minus obſervandæ, ubi ſanguis detrahendus eſt in Cauſo, ſeu febre ardente? 91
In malignis febribus ex diſſolutione cur ſuperveniant? 213
Quandonam boni ominis inditium in peſtilentibus? 214
Quomodo in ejuſmodi morbis tractandæ? 222
Cur variolis malignis ſuccedant? 235
Diaſcordeum Fracaſtorei quandonam eximium in malignis, & peſtilentibus febribus? 222
Diatriapiperon Veterum quid ſit? 69
Cur minus tutum cruditatis remedium? ibid.
Diviſio febrium multiplex. 54
Diuretica quomodo agant in febribus? 31. 132.
Quænam ejuſmodi dicenda? ibid.
Quænam in variis febribus adhiberi tuto queant? ibid.
Quænam in aliis morbis? ibid.
Dolores interdum acerbiſſimi ſigna febris. 6
Doloris cauſa proxima quid ſit? 50
Dolor levis, & mitis cur febrem non excitet? ibid.
Dolor dorſalis circa lumbos in febribus undenam? 51
Dolor vehemens quomodo ephemeram, & Synochum gignat? 63
Dolor artuum, lumbi in febribus intermittentibus unde? 120

Dolor cum tenſione aut moleſtia viſcerum in apyrexia intermittentiumunde? 125
Dolor capitis in tertiana unde? 147
Vehemens in malignis febribus cur?
Interdum cur gravativus? 213
Acutus, & terebrans cur? ib.
Dorſi lancinationes in ebullitione variolarum unde? 223
Dulcia in Stomachi cruditate infeſta. 73
Cur intermittentium paroxyſmos accelerent? 124
Cur tertianis continuis occaſionem prębeant? 183
Dyſenteria a gelida potione cur? 93. 94
Dyſenteria mitis, & brevis quartanæ ſuperveniens cur ſalutaris? 156
Dyſenteria hecticæ febris cauſa. 102
Dyſenterica febris unde dicatur? 151

E

Effervefcentia ſanguinis cauſa febris perperam habita. 46
Effluvia ex muſco, & ambra tenuiſſima. 25
Effluvia maligna febrium malignarum cauſa. 24
Spiritus prius afficiunt, quam ſanguinem. ib.
Per quas vias ſanorum corpora ingrediantur? ibid.
Elodes febris unde dicatur? 184
Emitritæus cur ad erraticas febres referendus non eſt? 186
Cur confuſa febris jure dicatur? ibid.
Neque ad tertianam ab inflammatione prodeuntem eſt referendus? ib.
Ejus ſigna, cauſſæ, curatio. 174. 175
Cur periculi plena febris ſit? 189
Ejus curatio cur perdifficilis? 195
Cur quamcitiſſime eſt inſtituenda? 196
In ejus curatione quænam evitanda? ibid. 197.
Cur horrifica febris dicatur? ibid.
Cur ejus ſymptomatis truculentis occurrendum? ibid.
Emitritæus cur rariſſima febris reputetur? 180.
Emetica quandonam conveniant in febribus? 88
Quænam eorum uſum prohibeant? 89
Vehementia omnino proſcribenda. ib.
Mitia quænam ſint? ibid.
Emeticorum vires inſignes. 131
Quandonam indicentur? 132
Quænam in febribus adhiberi tuto poſſunt? ib.
Emetica acriora infeſta in malignis, & peſtilentibus morbis. 216
Quænam proficua? ibid.
Emollientia quænam ſint? 130
Quomodo agant? ibid.
Cur quandoque noxia? ib.
Empyematicorum pus interdum febrem ciet, interdum neutiquam. 26
Empyematici a febre recurrente per corticem peruvianum liberari nequeunt. 136.
Emplaſtrum de limacibus terreſtribus optimum in ſopore variolarum. 241
Emulſiones ſeminum frigidorum minus tutæ in Stomachi cruditate. 72
Optimę adverſus hecticam febrem. 106
Ephemera febris a ſpirituum agitatione excitatur. 37
Quomodo differat a Synocho ſimplici? 52. 58.
Ejus ſigna, prognoſis, curatio. 52. 53
Ephemeræ cauſæ qua ratione differant a Cauſi, & hecticæ febris cauſis. 64
Ephemera a calore non pendet? 65
Cur cautiſſime tractanda? 66
Quomodo multorum morborum ſit medicina? ib.
Quandonam in Synochum putrem definit? ib.
Ephemeræ ab ira ab animi affectionibus cur occurrendum? 67
Epialæ ſymptomata unde? 17
Epilepſiæ a forti timore? 23
In ebullitione variolarum? 223
Equitatio omnium præſtantiſſimum auxilium adverſus hecticam febrem. 108
Evacuationes enormes venæ ſectionem prohibent. 90
In tertiana maligna cur contingant? 151.
Seroſi humoris loturæ carnium ſimilis cur? ib.
Quandonam ſinendæ, aut reprimendę? 222.
Remittentes in augmento morbi cur boni

boni ominis eſſe conſueverunt? 235
Suppreſſę quomodo intermittentibus febribus tribuant? 122
Exercitationes corporis violentæ quomodo ſanguinem cogant, aut diſſolvant? 39.
Quomodo ephemeram, & Synochum gignant? 62
Quomodo hecticam febrem? 101
Experimenta in cadaveribus quandonam incerta? 24
Extremorum pallor in intermittentibus unde? 119
Extremorum livor cum oſcitatione in ſubintrantibus, aut proportionatis. 178

F

FAciei rubor, & tumor in Synocho ſimplici unde? 66
Facies ſubtumida in quotidianis continuis unde? 182
Facies quomodo a variolis præſervari queat? 241
Febris affectiones maxime propriæ. 1
Earum cauſa proxima, & remota. 2
Febris definitio. ib.
Febris unde dicatur? 4
Cur ſæviſſimus morbus ſit, & ſalutaris? 5
Febris natura cur hactenus latuerit? ib.
Febris algida utrum detur? 7
Febris exiſtentiæ inditium quodnam? ib.
Febris cauſæ cur ignotæ? 8
Febrile fermentum quid ſit? 14
Febres calore comitatæ quænam? 15
Febres acutæ, malignæ, inflammatoriæ cur convulſiones conjunctas habeant? 22.
Febres ardentes acutæ ab ira quomodo fiant? 23
Febris ab animi affectionibus undenam repetenda? ibid.
Febris eſſentia in quo conſiſtat? 27
Febris cauſa remota quænam? ibid.
Febris definitio cur diverſa ratione ab aliis tradita? 28
Ejus differentia in quo conſiſtat? ib.
Febris definitio a Pitcarnio tradita quænam? ibid.
A Sylvio. ibid.
A Veteribus Medicis. 29
Febres aliæ frigidis curantur, aliæ calidis. 30
Febris definitio Pitcarnii cur eadem ac Galenica? 30
Iiſdem rationibus ejicitur. 31
Febres quibus remediis generatim curentur. 31
Febres, & febrium tempora in quibus ſanguis ocyus movetur quænam? 34
Febrium phænomena viſcido, coactoque ſanguine explicari non poſſunt. 34
Febris nulla, in qua pulſus non aberret a naturali ſtatu. 40
Febris cum ſanguinis vitiis neceſſario conjuncta. ib.
Febres urentes, & lentæ quas cauſas agnoſcant? 43
Febres inflammatoriæ undenam exoriantur. ibid.
Febris ſymptomata per fermentationem explicari nequeunt. 46
Febres a ſubjecto, in quo accendi videbantur perperam diviſæ a Veteribus. 54.
Quænam ejuſmodi ſint? ib.
Febres typorum ratione melius diſtinctæ quænam? 55
A cauſa eas faciente juxta nonnullos quænam? 56
Cur minus ſpectandæ ita diviſæ? 58
Ab origine, & durationis modo magis arrident. 56
Primariæ ſive eſſentiales cur dicantur? ibid.
Secundariæ, & ſymptomaticæ cur? ib.
Continuæ, & intermittentes. ib.
Ephemera. 57
Synochus ſimplex. ib.
Synochus putris. ib.
Cauſus, ſive ardens. ib.
Hectica. ib.
Quotidiana. ib.
Tertiana. ib.
Quartana. ib.
Emitritæus, & ſemitertiana. ib.
Malignæ. ib.
Peſtilentes. ib.
Comitatæ. ib.
Subintrantes. ib.
Communicantes. ib.

Coal-

Coalternæ. ib.
Epiala. ib.
Algida. ib.
Syncopalis. ib.
Lypiria. ib.
Dejectoria. ib.
Diuretica. ib.
Elodes. ib.
Aſſodes. ib.
Petechialis. ib.
Scarlatina. ib.
Puncticularis. ib.
Milliaris. ib.
Morbilloſa. ib.
Varioloſa. ib.
Febris origo ab externa aliqua cauſa quomodo ephemeræ ſignum? 63
Febrilis commotio ſanguini expurgando idonea. 70
Febris ardens notha cur levior legitima? 81.
Febres compoſitæ quænam dicantur? 126
Quas cauſas agnoſcant? ib.
Febris motus quem in finem inſtitutus? 128.
Febris curatio, in quo conſiſtat? ib.
Febres ſubcontinuæ quænam? 136
Febres omnes cum excretione aliqua, & criſi ſolvuntur. 137
Febres depuratoriæ quænam dicendę? 148. 149.
Febres ſalutares quomodo dignoſcendæ? 149.
A corruptivis quomodo differant? ib. 150.
A benignis quomodo? 150
A perniciofis. ib. 151
Febres ſalutares, ac depuratorię cur ſinendę? 158.
Febres autumnales cur periculoſiores quam vernales, & ęſtivę? 159
Febres intermittentes recidivę cur vulgari methodo, non cortice peruviano pertractandę? 165
Febres ſubintrantes a ſubcontinuis diſtinguendæ. 169
A remittentibus, & proportionatis quomodo differant? 176
Cur eaſdem cauſas agnoſcant, ac intermittentium? ib.
Cur manifeſtiora habeant exacerbationis, & remiſſionis inditia quam remittentes? 177
Cur in fervidioribus præſertim temporibus oriantur? 178
Cur origine ſua apte diſtinguantur? 179.
Febrium malignarum, contagioſarum, peſtilentium, & peſtis differentiæ, cauſæ, ſigna, prognoſis. 198. 199
Curatio. 120. 121
Earum varia, ac multiplex conditio. 203.
Earum fermentum cur venenum dici poſſit? ibid.
Undenam exordium ſuum habeant? 204.
Quomodo communicentur? ibid.
Quomodo a vermibus ortum traducant? 206. 207
Quomodo curentur hydrargyro? 207
In occulta qualitate fundari cur optime dictum? ibid.
Febris acuta in ebullitione variolarum unde? 233
Febris ſecundaria putrida in variolis unde? 235
Febris ardens & Cauſus quomodo differant? 81
Febrifuga quænam dicantur? 136
Quomodo differant a venæ ſectione, ab emeticis, a purgantibus? ib.
Febrifugorum facile princeps cortex Peruvianus. 137
Febrifuga omnia excretionem aliquam, & criſim promovendo operantur. ibid.
Febrifuga Veterum quænam? 137. 161
Fermentatio ſanguinis nulla datur. 44
Quænam ſint ejus impedimenta? ib.
Fermentatio ſanguinis cur febris cauſa eſſe nequeat? 46
Fermentatio frigida quomodo excitetur? ibid.
Calida quomodo? ibid.
Fermentatio nonnullorum a ſubtili materia commentitia. 47
Potius in aucto motu inteſtino, & progreſſivo ſanguinis reponenda. 47. 48
Naturalis, & præternaturalis eſt. 48
Fibrarum conformatio, & niſus quinam? 18

Fibræ

Fibræ muſculares quomodo moveantur? 10.
Fibrę utcumque affectæ febrem excitant ſpiritus compellendo. 50
Fluor albus mulierum multorum morborum cauſa. 43
Quomodo fiat, & ad hecticam diſponat? 102
Fluida continuo motu agitata fermentationem non ſubeunt. 45
Fluidorum vitia in intermittentibus febribus quænam? 127
Quandonam augeantur? ibid.
Aucta cur febrilem accelerent? ibid.
Florum perſicorum conſerva, aut ſyrupus optimus in tertianis febribus. 161
Fæminæ non generant ſemen. 102
Fæminæ præ viris cur ad quotidianas continuas diſpoſitæ? 181
Præſertim ſi menſtrua deficiant. ib.
Fonticuli cur eximiæ virtutis ad præſervationem peſtis? 244
Frictiones moderatæ cur eximiæ virtutis in nonnullis febribus? 69
Frigus non eſt ſignum febris. 6
Frigus febrile quomodo excitetur? 11
Frigus, & calor in una eademque parte quomodo? ibid.
Frigoris & caloris inſultus alterni. ib.
Frigus perpetuum in febribus. 14
Quomodo differat ab horrore rigoreque? 64
Undenam in ephemera proficiſcatur? ibid.
Frigus intermittentium cur optime deſumptum a lentore? 117
Frigus in quotidiana febre ſine rigore unde? 146. 147
Cum horrore, & rigore in quartana unde? 148
Frigus diuturnum, & continuum in algida febre unde? 153
Frigus ægris vix perceptibile in quartanis continuis unde? 185
Frigidum regimen in variolis cur ſæpe noxium? 239
Fumi carbonum ephemeræ aliorumque morborum cauſæ. 59
Fumi metallici infeſtiſſimi. 59. 60
Fuga omnium præſtantiſſimum auxilium ad præcavendum contagium. 224
Fructus paulo auſteriuſculi quinam? 222
Cur in vomitu malignarum, & peſtilentium febrium eximii? ib.

G

GEnitura undenam ſecernatur? 101
Ejuſdem effuſio nimia tabem inducit. ibid.
Gladiatores Veterum cur robuſtiſſimi? 18.
Gonorrhœa multorum morborum cauſa. 43.
Quomodo fiat, & ad tabem diſponat? 102.
Gravitas corporum quas cauſas agnoſcat? 47.
Gravitas corporis in quartana unde? 148
Gutturis inflammatio ulceroſa cum cruſta in ſubcontinuis febribus malignis magni momenti. 154

H

HÆmorrhoidalis fluxus unde? 10
Cur ſalutaris in viris? 181. 182
Ejus loco interdum urina copioſior. 182.
Hæmorrhagię ſuppreſſę quomodo ephemeram, & ſynochum gignant? 63
Quomodo ardentem febrem? 79
Hæmorrhagię urgentes quomodo ſiſtendæ? 131
Hæmorrhagia ſalutaris quænam? 157
Non ſalutaris quænam? ibid.
Quartanis ſuperveniens cur mala? ib.
Quomodo ſuperveniat? 185
Critica quomodo diſtinguenda a ſymptomatica? ibid.
Hæmorrhagiæ in malignis ſymptomaticæ quænam dicendæ? 223
Quomodo ſiſtendæ? ibid.
In eruptione variolarum, & morbillorum unde? 233
Remittentes in augmento morbi cur boni ominis ſint? 235
Hecticæ febris eſſentia, cauſę, ſigna, prognoſis, curatio. 97. 98
Hecticæ febris ſubjectum partium ſolidarum læſio non eſt. 99
Quomodo differat a febre phthiſica? ib.

Unde-

Undenam repetenda? ib.
Cur inter initia vix dignoſcatur? 103
Confirmata cur nullam curationem admittat? 105
Quomodo in longius protrahi poteſt? ibid.
Hecticorum ſtomachus utrum craſſis alimentis terendis idoneus? 106
Helleborus hominibus infeſtus, Coturnis pabulum. 203
Hemicrania conſtanter recurrens in intermittentibus unde? 126
Hepatis infarctus unde? 10
Herbæ inſipidę quænam ſint? 106
Sero lactis deſtillatæ eximiæ contra hecticam febrem. ib.
Homines calidi bilioſique, juniores, & viri cur ad tertianas procliviores? 122.
Melancholici, & Senes cur ad quartanas? ib.
Qui temperamento ſunt humido cur ad quotidianas? ib.
Hordeum torrefactum optimum in hecticis alvi fluxibus. 109
Horror & rigor in intermittentibus unde? 119
Horror varia hora invadens, qui a calore excipitur in Emitritęo cur? 187
Horror quidam miti calore intermixtus cur incipientis malignæ febris inditium? 208
Horrifica febris. V. Emitritæus.
Horror febrilis quid ſit? 64
Levis, & mitis cur in ephemera fębre? ib.
Humanum corpus quid ſit? 123
Humorum ſanguineorum ad extrema vaſcula ſtagnatio quomdo febris ſymptomata excitet? 36
Humorum vitia in qualitate quęnam? 43.
Craſſities, quomodo differat a viſciditate, & lentore? ib.
Quomodo febrem excitent? ib.
Humorum tenuitas, fluiditas, & fuſio quomodo craſſitiei, viſciditati, & lentori contraria? 43
Quid ſint? ib.
Quomodo febrem excitent? 44
Humorum acrimoniæ inſignes quot? ib.
Quomodo febrem excitent? ib. 45
Humores crudi, concoctique quómodo differant? 87
Quinam ad ſecretionem apti ſint? ib.
Humorum concoctio quomodo promoveatur? ib.
Humoribus nimis tenuibus exiſtentibus cur nulla fiat ſecretio? 87. 88
Humorum turgeſcentia quid ſit? 88
Ejus inditia quęnam? ib.
Humorum ſpiſſitudo quomodo venæ ſectione tollatur? 131
Humores Veterum quomodo ſint accipiendi? 180
Hydrops quomodo intermittentibus ſuperveniat? 155
Hyſtericæ atque hypochondriacę affectionis pręcipuum ſubjectum ſpiritus, & nervi. 37

I

Icterus in Synocho putri peſſimum ſalutis prę ſagium. 83
Quomodo intermittentibus ſuperveniat? 155. 156
Incidentia medicamenta in febribus quomodo agant? 31
Igneus faciei ardor in Cauſo unde? 81
Iliaca paſſio ab aqua frigida. 93
Quomodo fiat? 94
Indicatio generalis therapeutica febrium in refrigeratione, & humectatione perperam ſtatuta. 92
Quęnam ſit? ib. 93
In intermittentibus deſumendę quęnam? 157. 158
Incraſſantia medicamenta optima adverſus hecticam febrem. 106
Inanitas ſanguinis, & ſucci nutritii plurimorum morborum cauſę. ib.
Imaginatio fortis cur multorum morborum cauſa? 23
Imaginationes tetrę in malignis febribus unde? 208
Inedia acrimonię inſignis cauſa. 61
Cur febrem ephemeram excitet? ib.
Ardentis febris cauſa cur? 79
Cur ad hecticam febrem diſponat? 101
Cur ad malignas ac peſtilentiales? 205
Inflammatio axillarum, inguinum, & alia-

aliarum partium ephemerę cauſa perperam habita. 63
Inflammationes cur febrem intenſiſſimam conjunctam habeant? 48
Inflammatio febris ardentis comes, quomodo excitetur? 81
Quomodo eamdem adaugeat? ib.
Inflammatio Cerebri in ſynocho putri quandonam excitetur? ib.
Inflammationis inditia quęnam? 131
Ad eam pręcavendam cur ſtatim venę ſectio imperanda? ibid.
Inflammationes viſcerum imi ventris in emitritęo quomodo contingant? 186
Tonſillarum in eruptione variolarum quomodo? 233
Inſenſibilis tranſpirationis emolumenta maxima. 67
Inſectorum corpuſcula quantum minuta? 206. 60
Inſecta quędam quomodo ephemeras gignant? 60
Inſolatus quomodo ephemeram, & Synochum gignat? 61
Intermittentium febrium ſigna, diviſio, cauſę. 111
Earum remedia. 112
Natura, & ſymptomata quęnam? 113 114.
Differentię a periodorum intervallis deſumendę. 114
Quę ſine frigore, horrore, aut rigore invadunt intermittentes non ſunt. ibid.
Pręter quotidianas, tertianas, quartanas utrum quintanę dentur, ſextanę &c. ibid.
Dantur revera. 115
Alię differentię a periodorum conſtantia quęnam? ib.
Earum circuitus vitio lentoris juxta Bellinum explicati. 115. 116
Apyrexię longitudo, aut brevitas. ib.
Permutationis inter ſe febrium. ib.
Perperam tamen. 117. 118
Intermittentium focus, & ſedes quid ſit? 121.
In viſceribus omnibus imi ventris ſtatuendus. ib.
Symptomata inter ſe contraria undenam repetenda? 122
Periodi cur eodem puncto temporis revertantur? 123
Cur citius e contra? ib. 124. 125
Intermittentes cur iiſdem ſemper ſymptomatis ſtipatę recurrant? 125. 126
Cur diverſis? 126. 127
Intermittentium compoſitarum paroxyſmi omnes cur anticipent, & contra? ibid.
Alii cur celerius, alii tardius? 127. 128.
Cur diverſis cum ſymptomatis conſtanter recurrant? 128
Intermittentes febres a vitio ſaguinis, & humorum perperam deſumptæ. 127
Eſſentiales quęnam dicendæ? 136
Earum ſpecialis diviſio, differentiæ. 140.
Cauſæ, ſigna prognoſis. 141. 142
Earum differentiæ cur deſumendæ a more? 145
Quandonam ad longævitatem diſponant? 155
Cur varia tempeſtate variæ? ibid.
Quænam ad ſubintrantes, aut proportionatas referendæ? 178
Inunctio variolarum peſſima. 242
Jovialia medicamenta in hectica febre parum juvant. 106
Ipecuacanæ radix mite emeticum? 89
Ira quandoque cur ſalutaris? 23
Ira quid ſit? 64
Quæ organa afficiat? ibid.
Ira correpti cur caleſcant? 37
Iræ proprietates aliæ. 125
Juſcula avenacea hordeacea optima cruditatum remedia. 69

L

LAc quomodo in varias partes ſecedat? 16
Lac omnium præſtantiſſimum remedium contra hecticam febrem. 107
A lacte in quibus abſtinendum? ib.
Quonam lactis genere utendum in vario febris ſtadio & virium robore? ibid.
Quo modo exhibendum? 107. 108
Lactatio nimia multorum morborum cauſa. 43

Quo-

Quomodo hecticam febrem inducat? 102.
Lapis hyſtricis cujuſnam efficaciæ? 74
Laſſitudo tenſiva in Synocho unde? 66
Dolorifica omnium membrorum in putri cur? 86
In febribus intermittentibus cur? 119
Laudanum liquidum cur eximium in hęmorrhagiis? 223
Quomodo paretur? 238
Lenientia adhibenda in quotidiana continua quænam? 190
Quandonam locum habeant in contagioſis, & peſtilentibus febribus? 216
Quænam ſint eligenda? ibid.
In variolis. 237
Leonina criſpatura quid arguat? 18
Lentor in ſanguine non ſolutus ſymptomatis febrium intermittentium explicandis ineptus. 117
Aucta cordis, & arteriarum contractione ſolvi debet. 118. 119
Lentoris fermentum in intermittentibus vires ſuas exercere nequit ſine Solidorum vitio. 121
Ejus actio quomodo varia? 122
Lepus marinum pulmones ſpeciatim afficit. 203
Lethargica febris unde dicatur? 154
Lethargus in malignis quomodo tractandus? 222
Lienteria quomodo dyſenteriæ ſuperveniat? 156
Limonum ſuccus cur præſtantiſſimus in malignis, ac peſtilentialibus morbis? 221
Ligna ſudorifica quomodo agant? 73
Linguæ ſiccitas, & ſcabrities in malignis unde? 208
In eruptione variolarum, & morbillorum. 333
Linimenta ex oleis, & ſpiritibus ſuaveolentibus cur eximia extus applicita in hemitritæo? 197
Liquidum arterioſum, cur ad motum muſculorum concurrat? 18
Qua ratione? 19
Locuſtarum confluxus peſtis præſagium. 211.
Lipyriæ febris calor internus, externum frigus unde? 17

M

Maculæ varii coloris cutim fędantes in malignis febribus unde? 209
Cur mali ominis? ibid.
In peſte unde? 212
In prognoſi malignarum, & peſtilentium febrium cur ſpectandæ? 213
Malignæ febris ſymptomata undenam repetenda? 24
Maligna effluvia febris malignæ cauſa. ibid.
Malignæ febres intermittentes quomodo dignoſcantur? 151
Cur a truculentis ſymptomatis nomen aſſumant? ibid.
Quænam generatim dicendæ? 207. 208
Malignarum, & peſtilentium febrium nulla generalia medicamenta. 217
Malignæ, & peſtilentes quomodo inter ſe differant? 201
Manna utrum in variolis locum habeat? 237. 238
Martialia optima in quartana chronica ad hydropem præcavendum. 195
Medicina juxta Veteres ex quibus conſtituatur? 30
Medici munus in ephemeris dignoſcendis febribus. 63. 64
Medicus qua ratione præſervari poſſit a peſte? 225
Medicamenta quænam in febribus eligenda? 128
Alterantia quid ſint, & quomodo agant? 129. 130
Melancholici quinam dicantur? 146
Melancholiæ nomine quid ſit intelligendum? ibid.
Melancholiæ loco quinam humores veniant? 184
Meliſſa optimum cardiacum. 74
Mercurius vitæ, ſeu pulvis Algaroti noxium emeticum. 89
Mercurius ſublimatus qua vi agat. 202
Mercurius vivus, aut dulcis qua ratione febribus malignis, ac contagioſis opituletur? 207
Menſtrua cur ad mulierum ſanitatem conducant? 181
Menſtruorum loco hæmorrhoides ſuperve-

veniunt. ibid.
Menſtrui ſanguinis ſub ingravidatione retenti variolarum cauſa cur habeatur? 129
Mentis hebetudo in malignis unde? 209
Metallorum crocus noxium emeticum. 89.
Morbi a craſſo oriundi cur ſenibus periculoſi? 15
Morbi a ſpiritibus affectis infiniti. 22
Eorum remedia quęnam? ibid.
Morbi ab amore quomodo dignoſcantur? 23
Morbus febri adhærens juxta Pitcarnium quid ſit? 28
Morbi ab affectis nervis quinam? 36
Morbi recurrentes ſine ſolidarum partium vitio explicari non poſſunt. 121.
Morbi febre curandi quinam? 148. 149
Morbis dire graſſantibus de peſte ſuſpicandum. 211
Graſſante peſte quieſcunt. 212
Morbus ungaricus. V. Caſtrenſis febris.
Morbi variolis ſupervenientes quinam? 242.
Quibus auxilis præcavendi? ibid.
Morbifica materies quandonam ad ſeparationem moveatur? 158
Morbilli quinam ſint? 209
Cur brevi abſumantur? 333
Quomodo differant a variolis. 230. 234
A reliquis cutis excretionibus. ibid.
Cur varium colorem exhibeant? 234
Mictus cruentus in variolis malignis unde? 235
Mors a gelidis potionibus cur? 94
Moribundis pulvinaria ſubtrahere cur periculoſum? 10
Morientes cur convellantur? 22
Motus cauſa caloris. 9
Motus differentia in naturalem, & voluntarium. 20
Undenam repetendus uterque? ibid.
Motus convulſivi ex inanitione quomodo fiant? 22
Motus inteſtinus, & progreſſivus ſanguinis quid ſit? 47
Plures internas, & externas cauſas agnoſcit. ibid.
Utrum fermentatio diu queat? 48
Augeri non poteſt quin ſanguis acer evadat? ibid.
Quomodo febrem excitet? ibid.
Motus aſymmeter elementorum ſanguinis idem ac fermentatio Chymicorum. ibid.
Tamquam proxima febris cauſa haberi nequit. 49
Motu violento corporis cur ſanguis incaleſcat? 85
Quandonam paroxyſmi febriles accelerentur, aut contra? 125
Muſculorum motus quomodo peragatur? 18.
Muſculi ſuos habent antagoniſtas. 21
Miaſmata quomodo ſanguinem corrumpant? 39
Miaſmata leviter infeſta ephemeræ febris cauſa. 60
Ubi inſigniter agant, peſtilentialium. ibid.
Miaſma virulentum non ſola aciditate, aut acrimonia corroſiva malignas, & peſtilentes febres excitat. 202

N

NApellus venenum homini infeſtiſſimum. 202
Narium hæmorrhagia die critico ſuperveniens in Synocho putri cur ſalutaris? 83
Nauſea in intermittentibus unde? 120
Nervorum pori, qui tendunt in cor cur patuli ſint, & aperti? 20
Qui in alias partes clauſi. ibid.
Nervorum vera origo adhuc latet. ib.
A nonnullis tradita cur admittenda ibid.
Nervorum paria quotnam in cor tendant? 22
Nervi cur ad glandulas propagentur? 49
Nervei ſucci expurgatio impedita quomodo febrem excitet? 50
Nerveæ corporis fibræ quot vitiis efficiantur? ibid.
Vitiatæ quomodo febrem excitent? ib.
Nitrata quomodo ad ſudorem diſponant? 73.
Optima adverſus ardentem febrem. 94
Adverſus tertianam continuam. 192
Hemi-

Hemitritæum. 196
Malignam colliquantem. 195
Malignas, & peſtilentes ex diſſolutione. 220
Variolarum æſtum nimium fervoremque. 240
Nutritius ſuccus quid ſit? 102
Nutritio quomodo fiat? ibid.

O

Obſonia, aut veſtimenta in aperto aere corrupta peſtis præſagium. 211.
Obſtructiones viſcerum imi ventris unde? 16
Olea deſtillata, quomodo ſudorem moveant? 73
Oleum amygdalarum dulcium optimum in irrito vomendi conatu in febribus intermittentibus. 161
In tuſſi variolarum. 241
In faucium ardore, in aphthis. ibid.
Oleum vitrioli venenum coagulans. 202
Ophthalmia in variolarum, & morbillorum eruptione cur? 233
Opiata utrum in variolarum eruptione locum habeant? 238
Cautiſſime adhibenda. ibid.
Immo prorſus abſtinendum. ibid.
Ante univerſalia remedia locum non habent. 161
Organica, & animata corpora ex aere decidentia quomodo malignos, & peſtilentiales procreent? 206
Oſcitatio in quartana febre unde? 148
Oſſa vel uſta, vel in pulverem redacta abſorbendi virtute prędita. 69
Quomodo ſudorem moveant? 74
Oſſium raſuræ optimæ adverſus hecticam febrem. 106
Oſtræarum cochleæ præſtantiſſimæ ad acidam ſtomachi cruditatem. 69
Ovum incubatum cur folliculis donetur? 25
Ova recentia quibus partibus conſtent? 124.
Oxymel ſcilliticum mite emeticum. 89

P

Pandiculatio in intermittentibus febribus unde? 119
In quartana febre. 148
Papaveracea ceteris pręferenda ad ſedandum in eruptione variolarum. 238
Paregorica cur vitanda in hemitritæo? 196.
Parotides aliique tumores, & maculæ in malignis ex coagulatione, & diſſolutione ſimul. 213
Panis quibus partibus conſtet? 124
Pediluvium in variolis noxium. 242
Periculi magnitudo in febribus undenam deſumenda? 83
Periodicarum febrium cauſæ, ſigna, prognoſis, curatio. 174
Periodicæ febres continuæ quomodo ab intermittentibus, quæ continuæ factæ ſunt, differant? 177
Cur diſtinguendæ. ibid.
Periodicæ proportionatæ quas cauſas agnoſcant? ibid.
Licet continuæ cur quamdam habeant periodum? ibid.
Periodi remiſſio obſcura in remittentibus unde? 179
Periodicæ febres continuæ quomodo diſtinguantur? 180
Peſtilens febris a peſte quomodo differat. 201
Peſtis natura occulta. 204
Quomodo variet? ibid.
Peſtis cur poſt famem? 205
Cur plebejis magis infenſa? ibid.
Cur truculentiſſimus morbus? 210
Ejus præſagia quænam? 211
Non ſemper bubones, aut carbunculos cunjunctos habet. 212
Cur paucis remediis tractanda? 219
Peſtilentes febres a malignis, & contagioſis quomodo diſtinguantur? 210
Peſtilentis principii volatilitas, atque acrimonia inſignis quomodo arguatur? ibid.
Prima ejus origo obſcuriſſima. 211
Peticulares febres quænam? 209
Quomodo a pullicum morſibus diſtinguantur? ibid.

Petechiæ quomodo differant a morbillis. 234
Phthiſici a febre recurrente per corticem peruvianum curari nequeunt. 136
Phtiſanæ in febribus commodæ quænam? 124.
Piſces ſubtus glaciem cur moriantur? 25
Mortui citra cauſam cur peſtem portendant? 211
Pinguia, & oleoſa cur intermittentibus pabulum præbeant? 124
Pleuriticorum ſanguis cur cruſta inflammatoria obductus? 15
Plethora eſſe poteſt ſine febre. 41
Plethoræ plures ſpecies. 42
Earum cauſæ. ibid.
Quandonam febrem excitant? ibid.
Potiones calidæ quomodo ſudorem moveant? 73
Potio frigida cur noxia in paroxyſmis febrium intermittentium? 162
Quænam ſit exhibenda? ibid.
Subacida cur large propinanda in febrium incremento? 162
Liberalis in febribus bilioſis maximi emolumenti. 193
Copioſa, & calida vitanda in hemitritæo. 197
Prognoſis febrium quibuſnam auxiliis felicius inſtituatur? 157
Præcordiorum anxietates in malignis unde? 209
Ptyaliſmus in quartana continua unde? 185.
In eruptione variolarum, & morbillorum. 233
Cur in tertio ſtadio ceſſet? 234
Pubertatis tempore inſignes fiunt mutationes. 332
Pueritia quomodo veneno variolarum exſuſcitando tribuat? ibid.
Pulſus febris phlegmaticæ, & ſyncopalis quinam? 7
Pulſus naturali frequentior utrum inſeparabile febris ſignum? ibid. 8
Pulſus frequentiæ cauſa quænam? 12
Pulſus celer, & parvus in febribus intermittentibus quando? 14
Frequens, & validus. ibid.
Pulſus magnitudo quid arguat? 34
Quas febres comitetur? ibid.
Pulſus vitiari non poteſt ſine ſanguinis vitio. 41
Ejus inæqualitas in ephemera ab ira cur? 64. 65
Pulſus velocitas cur major in diaſtole, quam in ſyſtole in ephemeris febribus? ibid.
Celeritas, frequentia, & inæqualitas in Synocho putri. 81
Parvus, moderate celer, & frequens in hectica. 104
Frequens, & celer in intermittentibus. 120
Robuſtus, & magnus in progreſſu. ibid.
Cur in intermittentibus finito paroxyſmo tardius ad naturalem rhythmum redigitur? 126
Celer frequens, & vehemens in tertiana. 147
Nec valde celer, nec vehemens in quartana. 148
Pulſus inæqualitas ſyſtematica quid ſit? 149.
Quas cauſas agnoſcat? ibid.
Pulſus quomodo explorandus in judicio ferendo de benigna, aut ſubdola febris natura? 150
Pulſus aliqua perturbatio etiam intermiſſionis tempore cum ſiti aliiſq; ſymptomatis in ſubcontinua febre cur? 154.
Pulſus tranquillior in remiſſione febrium ſubintrantium, aut quæ proportionatæ dicuntur cur? 178
Pulſus elevatio, atque turgentia major in remittentibus. 179
Compreſſus, abdituſque in quotidiana continua cur? 182
Validior cur progreſſu? ibid.
Compreſſus abdituſque, & inæqualis breviſſime durans in tertiana continua. 183
Languidiorum laſſitudine univerſali in quartana continua. 185
Varia hora compreſſus, abdituſque, qui continuo fit expanſus, & inæqualis in hemitritæo. 187
Valde languidus in malignis. 208
Parvus, & inæqualis. ibid.
Frequens in variolis malignis. 235

Purgantia valida in febribus intermittentibus proſcribenda. 159
Lenia quo tempore exhibenda? ibid.
Eorum delectus habendus. 161
Poſt uſum Quinquinnæ interdum adhibenda. 165
Poſt uſum Quinquinnæ interdum recidivas pariunt. 170
Quandonam tuto adhibentur? ibid.
Purgantia in febrium curatione ſuſpecta. 68. 69
Quandonam indicentur? 132
Quænam adhibenda? ibid.
In quotidiana continua minus tuta. 190.
Nec non in quartana continua. 194
Penitus proſcribenda in tertiana continua. 192
In malignis, ac peſtilentibus morbis infeſta. 216
In variolis caute adhibenda. 237
Purgatio cur minus tuta ante venæ ſectionem in febribus? 85
Utrum inſtituenda initio ſtatim. 87
Quandonam celebranda poſt venæ ſectionem? ibid.
Quandonam indicetur? 88
Quænam eamdem prohibeant? ibid.
Quomodo inſtituenda? ibid.
Non fortioribus purgantibus. 89
Purgatio cur ſtatim inſtituenda in hemitritæo. 196
Quibus purgantibus perficienda? ibid.
Purpura febris quænam? 209
Purpura alba & rubra quomodo differat a morbilis? 234
Pus loci inflammati quomodo fiat? 38
Dum fit cur ſymptomata augeantur? ibid.
Puſtulæ ad ambitum corporis in Synocho putri, unde? 81
Quæ in eruptione variolarum contingunt cur ad ſuppurationem deveniant? 233
Quæ in morbillis cur abſumantur? ibid.
In peſte quomodo fiant? 212
Puſtularum ſuppuratio quomodo fiat in tertio variolarum ſtadio? 234
Cur depreſſæ, & lividæ eædem ſint in variolis malignis? 235
Putredo humorum febris cauſa eſſe nequit. 38
Quomodo differat a ſuppuratione? ib.
Ejus loco quid ſit intelligendum? ib.
Putredo ſanguinis, & bilis quomodo explicanda? 77
Putredo ſordida, ac profunda humorum malignarum, ac peſtilentium cauſa perperam habita. 202

Q

Quartanæ febres cur frigoris tempore Senes interimunt? 15
Undenam nomen ſortitæ ſunt? 145
Spuriæ cur mitiora conjuncta habeant ſymptomata? 148
Convulſionibus ſupervenientes cur ſalutares? 156
Quartanæ continuæ cur frequentes? 180
Quartanæ continuæ cur ad quadrageſimum, & ultra diem protrahantur? 188
Cur motibus ſymptomaticis judicentur? ibid.
Quotidiana febris unde dicatur? 145
Quomodo a quartana duplici diſtinguatur? 146
An frequens ſit vel rara? ibid.
Utrum a putredine pituitæ dependeat? 146.
Cur diuturnior quam tertiana, non ita tamen ut quartana? 154
Quotidiana continua utrum detur? 180
Cur humidiores plerunque corripiat, phlegmaticos? ibid.
Qua ratione diſtinguenda a catarrhali? 182
In benignam, & malignam diſpeſcitur. 187
Illa cur periculi expers, e contra alia? ibid.
Quotidianæ febris curandæ indicationes quænam? 189
Si venæ ſectione tractetur cur in obſtructiones viſcerum imi ventris, in cachexiam deſinat? ibid.
Si chronica fiat cur in hydropem terminetur? 195

R

R

RAucedo in quotidiana continua unde? 182
Refrigerantia optima in Synocho putri. 86
In hemitritæo. 196
In quartana noxia ſunt. 194
Eorum loco quænam adhibenda? ib.
An locum habeant in variolis? 239
Interdum noxia. ib.
Quandonam adhibenda? 240
Refrigeratio corporis quomodo febribus intermittentibus tribuat? 122
Remedia quibus ſanguinis motus cohibetur quænam? 34
Quibuſnam febribus opitulentur? ib.
Remittentes febres quas cauſas agnoſcant? 177.
Cur hyberno plerunque tempore exoriantur. 178
Res non naturales quænam ſint? 123
Quodnam earum munus? ib.
Reſpiratio magna, & difficilis in Synocho unde? 66
Anheloſa in intermittentibus? 120
Valida progreſſu cur? ib.
Difficilis in malignis unde? 209
Rhabarbarum optimum purgans in tertianis ſpuriis. 161
Commodiſſime miſcetur cum cortice peruviano in tertianis, quartaniſque longis. 167
Qua methodo? 168
Quocumque tempore exhibitum blandiſſime purgat? 170
Qua ratione agat? 192
Cur minus tutum in tertiana continua? ib.
Cur eximium in quartana continua? 194.
Cur infuſum melius agat? ib.
Ejus vis quomodo tartareis augeatur? ibid.
Tutum in variolis. 237
Rigor febrilis quid ſit? 64
Cur levis in ephemera febre? ib.
Rigor, & horripilatio in Synocho, unde? 80
Rigor cum dolore, & aliis ſymptomatis in tertiana cur? 147
Rigor cum urinæ coctione circa declinationem febris ſuperveniens cur ſalutaris? 157
Rigor horror, aut frigus ad extrema in ſubintrantibus febribus, aut proportionatis unde? 178
Rubor in vigore intermittentium unde? 120.

S

SAccharum quid ſit? 129
Saccharum in morboſo Stomachi apparatu peſſimum. 72. 129
Salivatio multorum morborum cauſa ſi immodica ſit. 43
Saturnina in hectica febre parum juvant. 106.
Sal armoniacale ineſt ſanguini. 44
Sales lixivioſi quinam? 45
Sales cujuſvis generis quomodo febrem cieant? 45. 46
Sales volatiles quomodo ſudorem moveant? 73
Sales fixi, lixiviales, & medii quinam? 129.
Quomodo agant? ib.
Cur ſæpius noxii? ib.
Sales volatiles quinam ſint? ib.
Quomodo agant? ib.
Cur dubiæ virtutis in febribus? ib.
Sales neutri quinam ſint? 162
Cur locum habeant in quotidiana, & quartana febre? ib.
Sales digeſtivi commodiſſime miſcentur cum cortice peruviano in febribus tertianis, quartaniſque longis. 167
Eximii in quartana continua. 195
Salus in deſperatis morbis quomodo interdum contingat? 83
Sal nitri, & aluminis in cryſtallos ſuæ figuræ proprias quomodo reſolvantur. 95
Scorzonera quomodo ſudorem moveat? 73.
Scorbutus febribus intermittentibus quomodo accidat? 156
Scorpii venenum qua vi agat? 202
Sanguis quid ſit? 9

Utrum

Utrum diſpari velocitate moveatur? ibid.
Qua quantitate cor ſingulis horis pertranſeat? ib.
Quantum in homine contineatur? ib.
Diverſis partibus conſtat? 10
Sanguinis analyſis quænam? ib.
Sanguinis curſus per varia viſcera varius. ib. 118.
Quomodo velox in una parte, in altera ſegnis? 11
Sanguis craſſus, viſcidus, & lentus quomodo frigus excitet? 12
A corde quomodo trituretur? ib.
Certo temporis ſpatio cor ingredi debet? 15
Inordinate ingrediens quid mali efficiat? ib.
Quomodo partim craſſus ſit, partim fluidus? ib.
Extractus in viſcerum obſtructionibus cur ſeroſus? 16
Sanguinis circulatio perturbata quid ſit? 27.
Quomodo febris eſſentiam conſtituat? ibid.
Sanguinis conſtitutio varia quid ſit? ib.
Sanguinis circulatio in febribus quandonam diminuta? 31
Sanguis initio intermittentium cur e ſecta vena non effluat? ib.
Sanguis ſtagnare poteſt ſine fermentatione. 35
Sanguis in vivis cur non putreſcit? 38
Sanguinis corruptio triplex. 39
Per coagulationem quomodo fiat? ib.
Per diſſolutionem. ib.
Per coagulationem, & diſſolutionem ſimul. ib.
Quos morbos frequenter pariat? 40
Sanguinis motus velocior quomodo febrem cieat? 39. 40
Velociſſimus quomodo ſanguinem corrumpat? ib.
Plane cohibitus quomodo? ib.
Sanguinis vitio omnia febris phænomena explicantur. 41
Sanguinis vitia eſſe poſſunt ſine febre. ibid.
Sanguine deficiente omnes functiones corporis languent. 42
Sanguinis motus quomodo vitietur? 46
Vitiatus quomodo febrem cieat? ib.
Sanguinis rarefactio in principio nonnullarum febrium eſſe nequit. 47
Cum adeſt quomodo febrem gignat?
Sanguis pleuriticorum cujuſnam naturæ? 48
Sanguinis partes ſubtiliores in inflammationibus ſolutæ, reliquæ cur hærentes? ib.
Sanguis eductus in peſſimis, corruptiſque febribus nihil a naturali mutatus. ibid.
Sanguinis partes plures ſunt. 49
Sanguinis mittendi menſura quomodo definiri poſſit? 71
Sanguis in viventibus continuo circulum ſuum conficit. 83
Undenam momentum acquirat? 85
Quomodo æſtimetur? ib.
Sanguis quibus viribus ſolvatur? 118
Cur in Synocho putri ſtatim detrahendus? 84
Senſuum torpor in malignis unde? 209
Senectutis vitia quænam? 15
Serum lactis tamarindatum optimum in hemitritæo, in malignis, &c. 216. 196.
Serum lactis ſtillatum optimum contra hecticam febrem. 106
Nec non contra febres bilioſas. 193
Semitertiana febris. V. Emitritæus.
Sitis intolerabilis in Cauſo unde? 81
In tertiana febre mitior. 147
In paroxyſmis febrium intermittentium. 166
Quibus temperanda? ib.
Sitis levis in quotidiana continua unde? 82.
Sitis nulla in malignis cur? 209
Cur malum portendat? ib.
Singultus in Synocho putri peſſimus. 82.
Somnus quomodo fugandis febribus tribuat? 34
Aliorum morborum remedium. 68
Quandonam noxius, & pernicioſus? 125.
Initio prioris acceſſionis permiſſus cur alteram acceleret in intermittentibus? ib.

Gra-

Gravis, & profundus in earum principio cur? 117
In toto earum decurſu? 153
In malignis. 213
Sopori variolarum quomodo occurrendum? 240
Solidarum partium vitia quot ſint? 51
Quænam ſint in febribus intermittentibus? 127
Quandonam augeantur? ib.
Aucta cur febrem accelerent? ib.
Sputum cruentum in variolis, ac morbillis unde? 241
Spiritus animales cur ad motum muſculorum concurrant? 18
Qua ratione, & modo? 19
Quomodo cordis motum accelerent? 20.
Quomodo non convellat? 21
Spiritus pauciores ad Cor movendum inepti. 22
Ordinate influentes cur cordis motum adaugeant, non cæteros muſculos convellant? ib.
Eorum motus concitatus quomodo febrem gignat. 28
Quomodo præcipuum febrium ſubjectum? 36
Principaliter agunt febrem excitando. 37.
Quibus de cauſis in crebriorem motum agantur? ib.
Spiritus acidi quinam? 45
Urinoſi quinam. ib.
Spiritus nitri, vitrioli cur optimi in febribus bilioſis? 193
Spiritus Cor. Cer. infeſtiſſimus in variolis. 239
Spaſmodica nervoſi, & vaſculoſi generis affectio quid ſit? 51
Febris phænomenis explicandis inepta. ibid.
Spiratio denſa, ac difficilis in Cauſo unde? 81
Stillæ ſanguinis e naribus in malignis cur? 213
Stimuli nomine in febribus quid veniat? 28.
Stomachi cruditates quomodo intermittentibus febribus tribuant? 122
Suaveolentia eximia in virium languore. 108
Quænam? ib.
Subcruenta febris unde dicatur? 152
Subcontinua febris quænam dicatur? 154
Quomodo in malignam tranſeat? ib.
Quomodo diſtinguatur? ib.
Succus nutritius poteſt ſolus deficere, licet non deficiat ſanguis. 43
Deficiens multorum morborum cauſa. ibid.
Succi pancreatici cum bilis effervescentia qua ratione febres intermittentes excitet? 49
Ejus aciditas naturalis incerta. ib.
Succi primarum viarum quomodo intermittentes excitent? 122
Sudor levis in ephemera unde? 53
Sudor quomodo promoveatur? 73
Sudor largus die critico in Synocho putri cur ſalutaris? 83
Sudore quinam morbi finiantur. 86
Sudores profuſi in intermittente maligna unde? 152
In tertiana continua colliquante. 184
In Elode febre. ib.
Multorum morborum cauſæ. 43
Sudor quandonam promovendus? 193
Qua ratione promovendus in malignis febribus? 209
Ejus utilitates. ib.
Quibus remediis juvandus? ib.
Syderum influxus malignos in corpora agere perperam creditur. 210
Quinam ſint. ib.
Nec variolarum, & morbillorum cauſa habendi. 229
Symptomata mitiora in quartana continua, quam in quotidiana cur? 185
Symptomatum inconſtantia in hemitritæo unde? 186
Symptomata omnia, quæ in peſtilentibus obſervantur, cur in variolis, & morbillis accidant? ib.
Cur in eorum ſuppuratione exacerbentur, & recrudeſcant? 235
Eorum remiſſio in ſtatu morbi cur boni ominis? 235
Symptomata horrenda in variolis malignis unde? ib.
Inter hæc ſyncopes. ib.
Synochus putris cur inflammatoria febris di-

dicatur? 32
Synochi putris cauſæ. ib.
Synochus ſimplex quomodo differat ab ephemera? 52
Ejus cauſæ, ſigna. ib.
Prognoſis, curatio. ib. 53
Synochi ſymptomata cur graviora, quam in ephemera? 66
Synochus quandonam in inflammationes deſinat? ib.
Synochi putris eſſentia, cauſæ, diviſio, ſymptomata, ſigna. 75
Prognoſis, curatio. 76
Synochus cur putris dicatur? 77
Cur in ſanguineam, & bilioſam dividatur? 78
Sanguinea cur minus periculoſa? ib.
Synochus putris cum urinis crudis cur ſemper periculoſa? 82
Quandonam læthalis? ib. 83
Quomodo hecticam inducat? 103
Syncopalis febris quomodo intermittenti ſuperveniat? 151
Syrupi ribeſiorum, berberum aciditatis citri eximii in febribus bilioſis. 193
Syrupus de Mæconio quomodo paretur? 238.
Eximius ad ſedandum in variolarum eruptione. ib.
Syſtolis, & diaſtolis magnitudo, & parvitas unde? 13

T

Tabes extremaque macies in hectica febre unde? 104
Quomodo differat a macie ſenum. 105
Tamarindi optimi in febribus bilioſis. 89.
In tertianis febribus exquiſitis. 161
Etiamſi continuæ fuerint. 192
In Hemitritæo. 196
In contagioſis, & peſtilentibus. 216
In variolis. 237
Tartarea purgantium actionem corrigunt, & juvant. 89. 194
Qua ratione agant? 192
Cur minus tuta in tertiana continua? ibid.
In tertianis ſpuriis locum habent. 161
Temperamentum calidum bilioſum cur ad hecticam febrem diſponat? 100
Cur ad tertianas continuas? 182
Frigidum melancholicum cur ad quartanas? 184
Temperamentum quid ſit? 232
Quomodo variet? ib.
Temperatum regimen cur inſtituendum in variolis? 239
Temperantia quomodo agant in febribus acutis, bilioſis, & ardentibus? 128
Tempeſtas potiſſimum eſt perpendenda in judicio ferendo de febribus intermittentibus. 155
In febrium continuarum curatione. 178
Tempora febrium quot ſint? 158
Tempus univerſale exhibendi corticem Peruvianum in febribus intermittentibus quodnam? 164
Particulare quodnam? 165
Terebinthinæ vapor quomodo ſanguinem ingreditur? 25
Terræ multæ ſigillatæ eximiæ virtutis contra acidum. 69
Terror cur ad propagandas malignas febres efficax. 206
Tertiana febris unde dicatur? 145
Exquiſita, & notha quomodo differat? 147.
Exquiſita cur graviora habeat ſymptomata? ib.
Tertianæ ſimplices vernales cur ſinendæ? 158
Tertianæ continuæ cur periculoſæ? 187
Cur in lypiriam febrem terminentur? 188.
Cur inflammatio interdum precedat? ib.
Cur in colliquantem malignam deſinant? ib.
Si ſint benignæ cur 14 diebus judicentur? ib.
Earum acceſſiones cur ſine frigore, horroreque? 183
Timentes cur frigeſcant? 36
Cur peſte facilius corripiantur? 206
Tinctura corallorum anodyna Helvetii cur eximia in hæmorrhagiis? 223
Tranſitus ab uno contrariorum in aliud cur periculoſus? 94
Triteophyæ febres cur periculoſæ? 189
Tumores in malignis febribus unde? 213
Quandonam boni ominis in peſte? 214

Cur mali e contra? 215
Tuſſis cum excretione pituitoſa in quotidiana continua unde? 182
Quid ſit? 241
Quas cauſas agnoſcat in variolis, ac morbillis? ib.
Quibus ſedanda? ib.

V

VAletudo quomodo conſervatur. 123
Varioloſæ, & morbilloſæ febris differentiæ. 226
Cauſæ, ſigna, prognoſis, curatio. 227.
Variolæ unde dicantur? 228
Quomodo differant ab exanthematibus? ibid.
Utrum Veteribus ignotæ? ibid.
Varioloſa febris parum differt a peſtilenti. 228
Variolæ ſpuriæ quid ſint? ibid.
Variolarum primordia quomodo ab utero materno ſint repetenda? 229
A corruptione ſanguinis per coagulationem, & diſſolutionem ſimul cur proxime repetendæ? 230
Variolæ quomodo differant a morbillis? ibid.
Earum deſcriptio. ibid.
Variolæ ſpuriæ quid ſint? ibid.
Variolarum tempora quot ſint? 233
Variolarum differentia inſignis a morbis propter exſiccationem. 234
Variolæ benignæ quænam? ibid.
Quomodo diſtinguantur a malignis? 235.
Variolarum intus latentium præſentia undenam colligenda? 234. 235
Felix earum exitus quibuſnam arguendus? 235
Variolæ malignæ cur plerunque læthales? ibid.
In variolis an naturæ opus committendum, vel contra? 236
Volatilibus certe pertractandæ non ſunt. ibid.
Quid in unoquoque variolarum ſtadio præſtandum? ibid.
Velocitas contractionis pulſus major in intermittentibus, quam in aliis febribus cur? 126
Vena cava, & pulmonaris inter vires antagoniſtas cordis cur recenſenda? 21.
Venæ cavæ ſtructura, & proprietates. ibid.
Venæ ſectio in febribus quomodo agat? 32
Quouſque acceleret motum ſanguinis? ibid.
In Synocho ſimplici cur optimum remedium? 70
Cur initio ſtatim celebranda? ib.
Quoties iteranda? ib.
In Synocho putri ſanguineo cæteris omiſſis cur ſtatim celebranda liberaliter? 84
In bilioſa cur parcius? 85
Ejus effectus. ib.
In Cauſo etiam bilioſis, calidiſque exiſtentibus humoribus. 90
Ejus emolumenta. ib.
Parca tamen eſſe debet. 91
Venæ ſectio cur nulla interpoſita mora in pleriſque morbis inſtituenda? ib.
Salvatellę ſectio commodiſſima in pleriſque caſibus. ib.
Venarum delectus in detrahendo ſanguine habendus. ib.
Venę ſectio infida in hectica febre. 110
Venarum turgentia in intermittentibus febribus unde? 120
Venæ ſectionis indicantia quænam? 130
Ejus operatio cur promptior, & tutior inedia? ib.
Cur motibus, & exercitationibus? ib.
Cur cæteris omnibus evacuantibus? 131
Quibus humorum vitiis, & morbis eadem occurrat? ib.
Quibus cautelis adminiſtranda? ib.
In intermittentibus febribus utrum celebranda? 158
Cur varia tempeſtate varios edat effectus? 159
Quandonam tuto inſtitui poteſt? ib.
Utrum ante purgationem locum habeat? 160
Cur tutior purgatione initio celebrata? ib.
Quænam eamdem prohibeant? ib.
In quotidiana febre cur male plerunque

que cedat? 189
Celebranda ſolum ſuppreſſis menſibus, aut graviore urgente ſymptomate. ibid.
In tertiana continua cur opportuniſſima? 191
Abſtinendum ſolum cum virium reſolutio adſit. 192
In quartana continua cur ſolum ſuppreſſis menſibus, aut hæmorrhoidibus celebranda? 194
In Hemitritæo cur nulla interpoſita mora inſtituenda? 196
Quibuſnam prohibeatur? ib.
In malignis ac peſtilentibus utrum celebranda? 215
Caſus in quibus locum habet, & contra. ib.
Utrum in variolis? 236
Quandonam tuto celebrari poteſt? ib.
Quando e contra abſtinendum? 237
Senes a morbis præſervat. 91
Venenum quomodo nonnullarum febrium cauſa habeatur? 37
Veneni febrilis antidotum China Chin. ibid.
Venenata & occulta qualitas cauſa non eſt malignarum, ac peſtilentium febrium. 202
Venena quæ ſanguinem cogunt, aut diſſolvunt quænam? ib.
Venenum acidum quomodo malignas febres, & peſtilentes gignat? 203
Acre quomodo? ib.
Acidiſſimum, aut acerrimum quomodo peſtem ipſam excitat? ib.
Cur aquæ forti, regiæ, arſenici floribus comparandum. 203
Undenam ſublimetur? 204
Venenum acre, tenue, celerrimi motus quomodo variolarum, & morbillorum cauſa? 230
Cur occulta agere qualitate cenſendum ſit? 231
Diu interdum latere poteſt. ib.
Ejus ſedes utrum in tubulis ſpinalis medullæ recte ſtatuta? ib.
Senſus noſtros fortaſſe fugit. 232
Cur in pueritia plerunque exaltetur, raro in juventute, nunquam in ſenectute? ib.
Venus immodica cur hecticam febrem gignat? 101
Venti auſtrales, aut boreales inſigniter flantes quomodo ephemeram, & Synochum gignant? 62
Quomodo ardentem febrem? 79
Ventis ab ea regione flantibus, in qua peſtis exiſtit ſuſpicandum alias afferri. 211
Vermes cur innumeris trachæis donentur? 25
Vermes malignarum febrium cauſa, an effectus? 206. 207
Cauſam eſſe dubitari non poteſt. 207
Veſicantium genera, & formulæ. 94
Quænam præferenda? ib.
Veteribus ignota fuerunt. ib.
Utrum attrahendo operentur? 95
Plurimorum ſymptomatum cauſa. ib.
Non ſolum extrinſecus agunt, ſed in ſanguinem & nervos. 96
Eorum effectus. ib.
Sales acres augent, non corrigunt. ibid.
Solum in cauſo notho locum habent, non legitimo. 96
Quomodo agant in malignis & peſtilentibus morbis? 218
Quandonam applicanda? ib.
Utrum conveniant in variolis? 240
Plerunque infeſta ſunt. 241
Eorum loco quænam applicanda? ib.
Veſicatorium nuchæ quandonam applicandum? ib.
Victus crudior in delicatioribus cur quotidianis continuis occaſionem præbeat? 181
Vigilia naturalis quid ſit? 60
Vigiliæ intenſæ, & diuturnæ quomodo ephemeram gignant? ib.
Quomodo ardentem febrem? 79
Quomodo ad hecticam diſponant? 100
Quomodo tertianas continuas gignant? 183.
Vigiliæ intenſiſſimæ in malignis unde? 213.
In ebullitione variolarum? 234
Ultimum moriens quodnam ſit. 21
Vinum quomodo dulcis ſaporis evadat? 45.
Vini, & liquorum ſpirituoſorum abuſus ephe-

ephemeræ, & Synochi cauſa? 61
Vinum hypochondriacis noxium. 69
Vinum fragrans, & ſuave cur viribus ſervandis idoneum? 108
Vina auſtera, & fæculenta quomodo intermittentibus tribuant? 122
Vini abuſus cur intermittentium paroxyſmis accelerandis idoneus? 124
Quomodo ardentis febris cauſa? 79
Vini lymphatici uſus quandonam proficuus in malignis, & peſtilentibus? 219.
Parca doſi, & poſt cibum cur exhibendum? ib.
Vinum optimum vehiculum corticis peruviani. 170
Viri præ fæminis cur ad tertianam continuam proclives? 182
Virium reſolutio in tertiana continua maligna quomodo dignoſcatur? 192
Virium ſubitus, & ingens lapſus in maligna febre unde? 208
In hectica febre. 108
Vires potiſſimum ſunt ſpectandæ in prognoſi malignarum febrium. 213
In prognoſi contagioſarum, & peſtilentium. 214
Viperæ venenum qua vi agat? 202
Virium debilitas a reſolutione, & per ſuffocationem differunt inter ſe. 32
Unius remedium cur alteri contrarium? ib.
Vitia fluidorum utrum velociorem cordis contractionem excitent? 26
Interdum inſignia eſſe poſſunt ſine febre. ib.
Quomodo interdum febrem cieant? ibid.
Vitia ſolidorum quomodo? ib.
Vita deſes, & otioſa quomodo febribus intermittentibus tribuat? 122
Quomodo quotidianis continuis? 180 181.
Vitrioli ſpiritus aqua dilutus eximius contra malignos, ac peſtilentiales morbos. 222
Vitrioli colcothar cur ſolum extrinſecus applicandum in hæmorrhagiis peſtilentium morborum? 223
Vitriolata medicamenta minus tuta in variolarum eruptione. 240
Ulcera larga, & profunda plurimorum morborum cauſa. 43
Quomodo tabem inducant? 102
Vomitus bilioſus in Synocho putri peſſimus. 82. 83
Vomitus quandonam promovendus in febribus? 88. 89
Vomitui quandonam præmittenda venæ ſectio? ib.
Vomitus conſtanter recurrens in intermittentibus unde? 126
Vomitu quinam humores ejiciantur? 131
Ejus neceſſitatis inditia quænam? ib.
Ejus utilitates. ib.
Vomitus in malignis unde? 213
Quandonam ſinendus, aut reprimendus? 222
Si reprimendus quibuſnam remediis? ibid.
Vomituritio inanis, & ſicca in febribus intermittentibus unde? 161
Quibus remediis pertractanda? ib.
Volatiliora omnia vitanda in Hemitritæo. 197.
In varioliſ. 236
Urina colorata in tertiana febre unde? 147.
Urinæ initio crudæ, vel parum coctę cur corruptivam febrem plerunque deſignant? 150
Urinæ præ cæteris attendendæ ſunt ad prognoſim morborum. 157
Urinarum conſiſtentia, color, contentorum ratio varia unde? 65
Urinæ plerunque ſanorum ſimiles in ephemera unde? ib.
Rubræ, & ſaturatæ in morbis ab ira, & temulentia cur? 66
Urinæ initio flammeæ, & crudæ in Synocho putri unde? 80
Cur ſolæ ſpectandæ non ſint? ib.
Urinæ cruditatis, & concoctionis inditia quænam. 82
Præcipuum eſt hypoſtaſis. ib.
Urina naturalis quid ſit? ib.
Urinæ nubecula quid? ib.
Hypoſtaſis ſeu ſedimentum quid? ib.
Urina tenui, vel rubra quid indicetur in febre ardente? ib.
Urina copioſa die critico in Synocho putri cur ſalutaris? 83

Uri-

Urina quinam morbi finiantur? 86
Urina nebuloſa, ac turbida exiſtente cur tuta purgatio? 88
Urinæ color naturalis undenam repetendus? 104
Cur initio febris hecticæ parum mutetur? ib.
Cur oleaginoſæ, diverſicolores ſucceſſu temporis appareant? ib.
Urinæ profluvia in tertiana febre colliquante unde? 184
Cur craſſæ, pingues, & oleoſæ? ib.
Urina tenuis, & alba in quotidiana continua unde? 180
Rubra & craſſa in augmento quotidianæ continuæ. 182
Urinæ varia hora tenues, & albæ, quę continua evadunt craſſæ, & rubiæ in Hemitritæo unde? 187
Urinę fere naturales in incipiente maligna febre unde? 208
Variæ in progreſſu cur? ib.
Aqueæ in malignis ex coagulatione cur? 213
Turbidæ, & oleoſæ in malignis ex diſſolutione cur? ib.
Vulnere a Veſicantibus inflicto incongrui ſucci educuntur. 96
Uvarum ſuccus qui fieri poſſit, ut non fermenteſcat? 45

FINIS.

Errata	ſic pagina	Corrige	linea
Mæcenas	4	Mæcenati	16
ſentio ſe	8	ſentio	36
perpendenter	10	perpendenti	4
tecto	11	tuto	42
paroxyſma	14	paroxyſmi	37
exercent	14	exerceat	43
ſero	28	vero	38
exiſtant	46	excitant	31
quæ	54	quas	19
Compoſitam	55	Compoſitarum	31
poſſunt	63	non poſſunt	22
avellerent	66	accelerent	2
curatione	90	ea ratione	11
eſt	92	&	8
halitum	108	habitum	3
uſtio	115	vitio	47
ajunt	132	uniunt	39
accedentes	135	accedente	18
quotidianam	182	continuam	11
Cubo	212	bubo	15
Si tamen	220	li tamen	15